IHS

14
16-I
6

6
42 D
4

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

14-16. I.6

44 44

Peregrinus de Marit.

V

IV

2.

DE MORIBVS LIBRI DECEM IIS, QVI ARISTOTELIS Ad Nicomachum inſcribuntur, ordine perpetuo, atque ſententia reſpondentes:

AD

COSMVM MEDICEM ETRVRIAE PRINCIPEM.

AVCTORE

LAELIO PEREGRINO SOMNINATE

PHILOSOPHIAE MORALIS

In Romano Gymnaſio Profeſſore.

Additus eſt ad calcem Index rerum inſigniorum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE, Apud Aloyſium Zannettum. M. DC.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur
P.Epiſcopus Rauellen. Viceſg.

Imprimatur
Fr.Gregorius Seruantius Reuerend.*P.Magiſtri*
Sacri Palatij Socius.

Sereniſsimo Principi

FERDINANDO MEDICI

MAGNO ETRVRIÆ

DVCI.

LAELIVS PEREGRINVS
Feliciter agere.

CVM ſuperioribus annis poſt iacturam longiſſimi temporis quærerem in aula viuẽdi conditionem, diligenterq. diſpicerem, vt in eiuſmodi me familiam darem, in qua otioſe ſtudijs incumbere, atque reliquum ingraueſcentis ætatis quiete tranſigere poſſem : ex multis viris primarijs, ad quos mihi aditus vel illorum in me voluntas, vel mea in illos obſeruantia fecerat, ſtatui Franciſcum Mariam e Marchionibus Montis Cardinalem mihi potiſſimum eſſe deligendum, apud quem quicquid ſupereſſet vitæ, conficerem. Cauſſas omnes, quæ me ad hoc impulerunt, referre maximo Principi, non eſt indolis meæ : audire obſcuri hominis conſilia, non eſt dignitatis tuæ. Satis ad præſens fuerit dixiſſe, ſuauiſſimos eius mores, atque ſincerum animum, candoris plenum plus apud me, quam ſpes ab alijs reluceſcentes valuiſſe. At ſi addiderim, in ea deliberatione ad Magnum Etruriæ Ducem, quem ille dignitatis,

& amplitudinis ſuæ auctorem agnoſcit, me oculos primum conuertiſſe: ac reputantem eos, qui illum amant, & venerantur, non poſſe Celſitudini tuæ non eſſe acceptos, aleam ieciſſe: nihil profectò loquar non veriſſimum. Quare non eſt quod mirere, hominem tibi nec de facie notum, poſt commentariolum de Affectionibus animi, hunc de moribus librum Mediceo nomini, eruditis omnibus perquam gratiſſimo, inſcribere, atque dicare. Intelligo enim multum me Franciſco Mariæ Cardinali debere ob ſingularem, qua me complectitur, humanitatem: ac illi me gratum facturum ſcio, ſi de tua benignitate hactenus mihi fuero pollicitus, vt exiſtimem, commentationes meas, nullo elati ingenij faſtu oblatas, tibi pro tua in illum, & eos, quos ille in ſuis habet, beneuolentia fore non inſuaues. Quo quidem animo vt eas accipias, te ſummis precibus oro, obſecroque. Deus immortalis te principem optimũ, & modeſtiſsimum: religioſiſsimam coniugem, non minus ſanctimonia, prudentia, mariti, ac liberorum charitate, quam Regio ſanguine illuſtrem: generoſam denique ſobolem bonis omnibus cumulet, ac diutiſsime ſuperſtites velit. Roma. Kal. Febr. Anno ſæculari ſexcenteſimo ſupra milleſimum.

L. AELII PEREGRINI SOMNINATIS

In decem de Moribus libros

AD COSMVM MEDICEM ETRVRIAE PRINCIPEM

PRAEFATIO.

LIBRI de moribus, olim ab Ariſtotele ad Nicomachum filium puellum ſane, ſed ingenioſum ſcripti: nuper a me in tui obſequium, vtq. tuam promererer voluntatẽ COSME PRINCEPS *enucleati, & illuſtrati, poſt anni operam prodeunt in lucem: quos tibi, qui in tenera ætate adultis ingenio, & prudentia præcurris, non minus vtilitatis, quam Nicomacho paterni labores fecerint, arbitror allaturos. Sunt enim ſingularis cuiuſdam, & reconditæ ad formandum virtutibus animum eruditionis confertiſſimi: ac ipſe, quamquam innumeris, & preclariſſimis maiorum tuorum exemplis ad honeſtæ diſciplinæ profectum ſis cumulate inſtructus: affluaſq. egregijs in omni doctrinæ genere magiſtris: ſi tamen progreſſu ætatis hoſce libros Ariſtotelis, ſublatis ſalebris quaſi complanatos, decurreris: intelliges magnam quandam bonorum ſupellectilem eximijs animi tui dotibus tum ad frænandum appetitum, & mores componendos, tum ad eos, quibus es iura daturus, prudenter, & humaniter regendos acceſſiſſe. Meum vero fuit in hoc ſuſcepto labore conſilium, vt quæ Ariſtoteles docte, & acute; ſed more ſuo plerunque obſcure, & implicate ſcripſit, aperirem, ac enodarem; nulla lectoris moleſtia, minime interrupto orationis filo: vt legere volenti; non eſſet opus quà ad Ariſtotelem, quà ad enarratorem ſeſe conuertere (moleſtum id enim, & inſuaue præſtantibus ingenijs, nec a temporis iactura vacuum) ſed quiſque vno hauſtu, vnoq. greſſu, continuatis verbis, & ſententijs*

vtrumque

vtrumque conſequeretur. Quæ vero ſunt Ariſtotelis ab ÿs, quæ nos addidimus, characteres diuerſi diſtinguunt. Nec referenda magiſtri ſententia fuimus admodum in verbis religioſi. Addidimus, detraximus, immutauimus paraphraſtice, vt aiunt: eadem vſi licentia, quam Themiſtius in eodem explanando ſe ſumpſiſſe ſcribit. Nam ſi tenebris Ariſtotelis lucem allaturi, eiuſdem verbis alligari voluiſſemus, eaſdem porrò tenebras legentibus reliquiſſemus. Satis habuimus mentem, atque ſenſum illius retinuiſſe, nec ordinem vllatenus immutaſſe: quin iuxta vulgatam partitionem libris per capita diuiſis, Ariſtotelis perpetuo veſtigÿs inhæſiſſe: additis ad ſingula capita ſcholÿs quibuſdam, & dubitationibus, quæ ad contextus explanationem requirebantur. Qua in re illud maxime ſpectauimus, ne ſuperuacaneis difficultatibus, & quas moralis diſciplina non admittit, paginas impleremus, quaſi laudem a magno codice quæſituri. Hoc enim tum nobis, qui breuitate, & facilitate ſummopere delectamur, perarduum fuiſset: tum alios a lectione retardaſſet. Habentur Buridani, Burlæi, aliÿq; eiuſdem farinæ molitores non pauci, qui in iſtos de moribus libros ſubtiles, & ad tenuiſſimum elimatas quæſtiones ediderunt. Sed & a S. Thoma, vbi de functionibus humanis, deq; virtutibus, & vitÿs diſputat, in eundem vſum multa faciliter, acute, grauiterq. conſcripta ſunt, quibus moralium ſubtilitatum eſuritor animus expleri, & ſatiari queat. At hoc præter propoſitum fuerit Ariſtotelis, qui non ſemel in his libris philoſophiam de moribus ait nec requirere, nec pati exquiſitam nimis, elaboratamq. rerum, quæ ſub actionem cadunt, tractationem: ac materiam, quæ illi ſubÿcitur, eiuſmodi eſſe, vt non admitteret, ferretue demonſtrationes. Quantum vero ÿſdem libris illuſtrandis profecerimus, intelligent, qui legent. Qua in re vt iudicium planius ferant, ſic eos progredi velim. Ariſtotelis primum contextum, vel partem eius aliquam percurrant. ſi Philoſophi ſenſum tenuerint, & inoffenſo pede iter iſtud confecerint, magnam tum ſibi, tum naturæ, ac Deo inprimis gratiam habeant, quod ingenio, vel labore id aſſequuti fuerint, quod magnis Peripateticis arduum ſemper, & impeditiſſimum viſum eſt. Sed nos vt non liberalium artium plane rudibus, & imperitis ſcribimus: ſic neque ſcientiſſimis. Sin aliquid offenderint, quod eos a cœpto curſu retardet, adeant ea, quæ ſcripſimus: ac pro luce, vel tenebris, quæ in eorum ſe mentes inde effuderint, de illis conſtituant, & decernant. Neque verò ſum neſcius, non defuturos, qui opus improbent, vel inutile aſſerant, mancum, ieiunum. Quis vnus diuerſis adeo ingenÿs, atque diſcordibus iudicÿs placere poſſit? Mihi quidem inuidorum, & indoctorum nulla ratio, nullus metus. Eiuſmodi generis hominum omne ſæculum feraciſſimum. tolerandi ſunt, quando conuelli nequeunt: ſed

præte-

prætereundi, atq. ſpernendi. Satis produnt non poſſe ſe emergere, ni alios deprimere conentur, & rapaces illas imitari aues, quæ ſeſe manſuetis, licet maioribus, & valentioribus inferunt, & cum ijs complicant, atque inuoluunt, vt volatu impedito vnà cadant. Horum inquam roſtrum, & vngues non mihi curæ. vindicabit forte ab iniurijs iudicium doctorum, atque proborum virorum, quos non paruo ætas noſtra numero extulit. hos porrò mei operis cenſores dico, facta corrigendi, ac ſi viſum ita fuerit, penitus abdicandi poteſtate. Nec deſpero futuros ex ijs, qui probent, laudent, & beneuolo animo legant, alijsq. legendum ſuadeant. horum vel vnius iudicium mihi pluris, quam multorum faciendum, Antiphontis Rhamnuſij exemplo, qui, cum pro ſe dixiſſet in iudicio, etſi condemnatus, quod tamen Agatho defenſionem illam laudaſſet, profeſſus eſt, ſe magis iudiciũ eius vnius ſequi, quam multorum, qui ipſam criminabantur. Tibi certè, COSME PRINCEPS *magnoq.* FERDINANDO *parenti tuo noſtram operam non viliſſimam fore, confido. Habeo enim in hoc genere pignus egregie illius, a quo diſſentire non potes, in me voluntatis: quòd commentarium de affectionibus animi ſuperiore anno a me dono oblatum attentiſſime legerit: nec ante miſſum fecerit, quam ventum eſſet ad calcem: quodq. teſtatus fuerit, magnam ſe animo voluptatem ex ea lectione cœpiſſe. Hæc porrò præmia virtus quærit, laudem, & egregiam hominum in ſe voluntatem: quanto magis Principum, &, quales vos eſtis, maximorum? Alget quidem adhuc in dolio Diogenes, & laudatur: attamen alget; vniuſq. Solis ab eo præſentia depellit algorem. Irridentur philoſophi non à vulgo tantum, vt à Poeta illo veſtro dictum eſt, ſed & a fortunatis non paucis, qui huiuſmodi ſtudia vel inania, vel non ſatis vtilia, nec amplis admodum præmijs digna cenſent. quare nec multum ab his commodi, atque gratiæ philoſophi expectant. At à Mediceis Principibus, qui olim Græcas litteras, barbarorum armis pulſas ſedibus ſuis, è naufragio ſeruarunt & in omnem Europam effuderunt: philoſophos, oratores, poetas magnis vbique præmijs honeſtarunt: viros in omni doctrinæ genere præſtantiſſimos ad Piſanam Academiam ornandam, & Etruriam optimis replendam ſtudijs magnis, & inauditis æuo noſtro ſtipendijs conduxerunt, hodieq. honorificentiſſime alunt: & laudem, & beneuolentiam, & in difficilibus temporibus patrocinium philoſophi ſperant, atque adeo ſe habituros confidunt. His præmijs Philoſophia gaudet, nec magni facit, quòd in Diogenis dolio interdum ferre cogatur algorem. Quæ ſi, vt a periſque fit, negentur, adhuc tamen ſtat animo,*

Nec faſcibus vllis
Erigitur, plauſuve petit clareſcere vulgi:

Nil

Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis
Diuitijs animoſa ſuis,

& ea, quam perpetuo ſecum gerit, mercede contenta: vſu ſcilicet, atque conſuetudine ſui. Cum autem Philoſophia omnis vel in contemplando vertatur, vel in agendo: porrò pars illa, quæ his libris continetur, in agendo poſita eſt. Subiectam illi materiam hominis functiones, vt virtute dirigi, ac perfici poſſunt, exiſtimamus. Finis eiuſdem remotus eſt felicitas, cuius in hac vita potiri poſſumus: proximus vero perturbationum animi compoſitio, ac virtutum ſatus. Efficientem denique cauſſam cum ſcientijs reliquis communem habet. ea mens eſt, quæ notiones rerum in ſe ipſa gignit, ac ſinu gerit. Quæ ab ea percipitur vtilitas tanta eſt, vt reliquis Philoſophiæ partibus collata, longe appareat fructuoſior. Rectè namque Stoici, cum Philoſophiam, quaſi agrum, in tres partes diuiſiſſent, Dialecticam quidem ſepi, Naturalem arboribus, Moralem fructibus ſimiles eſſe dixerunt. In hæc igitur ſtudia, donec maiora gerendi tempus appetat, COSME PRINCEPS *incumbe: vitiorum turpitudinem, virtutis, & honeſtatis decorem in his libris intuere: eos potiſſimum, quod neque aſſentari, neque ad gratiam aliquid loqui poſſint, in conſilium adhibe: eius dicti memor, Principum liberos præter equitandi artem nihil diſcere incorruptum. Nam cum in ceteris multos nanciſcantur aſſentatores, a quibus erroris non admonentur, ac potius in malefactis confirmantur: ab equis certe, qui diuitem à paupere non diſtinguunt, imperiti equos regendi arguuntur.*



DE MORIBVS LIBER PRIMVS.

An libri ad Nicomachum ſint Ariſtotelis.

ID primum videtur ſtatuendum: ne, cuius agrum colamus, plane à nobis ignoretur: aut dum ſumus Megaris, Athenis nos philoſophari arbitremur. Græca in antiquiſſimis codicibus inſcriptio ſic habet. ἠθικὰ Νικομάχεια *conciſe admodum, & ambigue. vnde potiſſimum enata dubitatio: Ab auctore nè, quod Ciceroni placuit 5. de finib. an ab eo, ad quem ſcribuntur, appellationem acceperint. Omnino autem non eſſe hos libros Ariſtotelis, contendit Franciſcus Patritius lib. 4. diſcuſ. peripatet. primum ex eo, quod Ariſt. 2. polit. c. 1. ait, ſibi ſcriptum in libris de moribus, æquali compenſatione ſeruari ciuitates; cuius oppoſitum aſſeritur in 5. horum librorum, cap. 5. tum, quia 7. polit. cap 3. hæc habentur.* Poſſit vir bonus paupertate, morbo, & aliis fortunæ caſibus pulchre vti; veruntamen in contrariis beatitudo poſita eſt. hoc enim definitum in libris de moribus: Virum bonum eſſe talem, cui quæ ſimpliciter bona ſunt, bona ſunt. *Eiuſmodi vero ſententiã reperire non eſt in his libris. deinde, quoniam infra lib. 6. cap. 3. ſic ſcientia definitur,* Scientia eſt habitus demonſtratiuus, & quæcumq; adiecimus in Analyticis. *at in analyticis Ariſtotelis non habetur ſcientiæ definitio. Demum cur inſcribuntur Nicomachij? certe, vel ab auctore, vel ab eo, ad quem deſtinatur; at Ariſtoteles, moriens, filiam reliquit immaturam: & ea natu minorem Nicomachum filium, vt ex illius teſtamento liquet apud Laërtium: cui, puello adhuc, libros iſtos, de rebus grauiſſimis conſcriptos, à quorum lectione iuuenes parum, aut nihil emolumenti percepturos, ipſe auctor profitetur, dicatos, non videtur Ariſtotelica ſeueritate dignum. dicantur igitur Nichomachij ab auctore. Hæc Patritius. Ego vero in his libris, tum Ariſtotelis ingenium, abdita quæque de moribus, & affectibus animi inueſtigantis, agnoſco; tum etiã ſtylum, flexu multiplici ſinuoſum: (eſt autem ſtylus teſte M. Varrone, quaſi lapis Lydius, qui vera, & natiua monumẽta ſcriptorum diſcernità falſis, atque ſuppoſititijs.) aſſentiunturq; magni Philoſophi, Alexander Aphrodiſienſis, atque Simplicius: tum etiam horum ipſorum librorum egregij enarratores Euſtratius, Aſpaſius, & Michael Epheſius. ſuadetur hoc ipſum argumento, quod vel peruicaciſſimum hominem ab oppoſita ſententia dimouere queat. reſpondent enim his alij Ariſtotelis libri, hiq; illis ſuccinunt, perinde ac ſuccentiua tibia incentiuæ; vt mi-*

randum porrò ſit Franciſcum Patricium, beluonem librorum, & verborum, ne dum ſententiarum Ariſtotelis ad faſtidiū indagatorem, poſt longam, & plenam laboris lectionem, adhuc in his, ceteriſque Doctoris noſtri commentationibus ea quærere, quæ legentibus obuia ſunt, & manifeſta. An non enim infra lib.5.cap.5. ſcribitur, talione ad proportionē redacta ciuilem ſocietatem contineri: ſimplici vero talione, qua Rhadamantus vtebatur, deſtrui? atqui talio proportione conſtans tandem talio eſt, atq; paris pro pari redditio. hanc vero Ariſtoteles probat in lib. politicorum: non eam, quæ menſura nimis rudi metitur compenſationes: quali vſus eſt Rhadamantus, cum oculum eruenti, oculum erui voluit. Ad beatitudinem verò humanam corporis, & fortunæ bona, quæ ſimpliciter bona ſunt, requiri: eamq; calamitatibus obſcurari, labefactari, euerti, quoties in primo huius operis libro, præſertim vero cap 10. repetitum? Neque enim facile beatus ille dici poterit, qui in Priami inciderit calamitates. Quod vero ad finitionem ſcientiæ attinet; quis non videt finitione eius, quod eſt ſcire, ipſam quoq; ſcientiam comprehendi? nam qui tenet, ſcire eſſe rem per cauſſam cognoſcere, exiſtimareq́; rē ſe aliter habere non poſſe: nonne ſtatim intelligit, ſcientiam eſſe habitum, quo rem per cauſſam noſcimus; ac de illa certi reddimur? Præterea, non ait Ariſtot. ſe in analyticis definiuiſſe ſcientiam; ſed cum dixiſſet ſcientiam eſſe habitum ad demonſtrandum idoneum, ſubdit: & cetera omnia quæ in Analyticis ad definitionem addidimus. *nos videlicet ad eos reÿciens libros, vt inde, quæ huic definitioni deſunt, acciperemus. neq; enim hic erat proprius de ſcientiæ natura diſputandi locus; cum partim ad logicam pertineat, partim ad primam philoſophiam. Neq; hos libros quantumuis graues, atque ſerios puello Nicomacho inſcribi, non potuiſſe, me adeo torquet: vt ſe eodem male tractari Patritius conqueritur; cum legerim Syneſiÿ Dionem filiolo ne dum non edito, ſed ne concepto quidem, ac omnino in ſpe poſito, dicatum. poterantq. hi libri ad eam ſeruari ætatem, qua Nicomachus vberrimos ex ÿs fructus eſſet percepturus; nec periculum ſuberat, ne interim, donec puer adoleſceret, quaſi Dædali ſimulacra, dilaberentur. Sed vt horum librorum cum ceteris Ariſtotelicis conſenſio clarius eluceſcat, age, loca alia in his, & illis mutuo inuicem ſibi reſpondentia, præter ea quæ nuper collata ſunt, conferamus. Scribitur infra lib.6.cap.3.* Iam vero ex quibuſdam rebus, ante cognitis, omnis doctrina gignitur; quemadmodū & in Analyticis dicebamus. *Analytica vero ſua ita auſpicatur Ariſt.* Omnis doctrina, omniſq; diſciplina diſcurſiua ex præexiſtente fit cognitione. *Adhuc lib.3, polit.cap. 6. ait:* iuſtum eſſe in rebus & perſonis; vt dictum eſt in libris de moribus. *id vero habetur 5. horum librorum: vbi de vtraque proportione, tum Geometrica, tum Arithmetica differit. libro etiam quarto de Repub. cap.2. hæc ſcribuntur.* Si recte dictum eſt in lib. de moribus, vitā beatam

tam eſſe eam, quæ virtuti congruit non impeditæ; virtutem autem mediocritatem; *quorum alterum iiſdem verbis habetur primo, alterum ſecundo horum librorum. nec minus fauet lib. de Repub. ſeptimus. in cuius decimo tertio capite ſcribitur, vitam beatam eſſe* muneris functionem, & vſum virtutis perfectũ, *quod & in his libris ſæpe ſæpius repetitum. Demum lib. 1. metaph. c. 1. habetur, differentiam inter artem, & ſcientiam, ceteroſq́. congeneres habitus fuiſſe in Ethicis explicatam. an non id cumulate præſtitum infra libro ſexto? Sed teſtibus nos vti Patritius dicet, quorum ſit, quam litigãtis, fides infirmior; quod nec libri Politicorum ſint Ariſtotelis partus, nec qui Metaphyſici dicũtur. Sed ſi eum ſequimur, ad magnam Ariſtotelis librorum inopiam redigemur; maiorem enim eorum partem, qui pro Ariſtotelicis habentur, eiicit è familia; quoſque Antiqui Peripatetici Græci, Arabesq́ue, ac Latini poſt conſequuti, receperunt, euertit: homo poſt Ariſtotelem natus bis mille annos. qua de re mihi ad præſens non eſt agendum. Vnum illud ſubiiciam, cum vero omnia congruere; à falſo cito diſſentire, vt primo horum librorum cap. 8. dicitur. Hæc, quæ Ariſtotelis nomine prænotantur, opera ſibi mutuo faciunt fidem; in hoc autem præcipue pleraque illorum conſpirant, vt libros Nicomachios pro legitima communis parentis ſobole agnoſcant. Non ſunt igitur ſuppoſititii, vel adulterini.*

Ad bonum omnia ferri, multoſq́. rerum agendarum eſſe fines, quorum nobiliſſimus ille eſt, qui & poſtremus. Cap. I.

OMnis ars, omnisq; docendi via, itemq; actio, & electio bonum aliquod appetit: [1] *ſeu vere ſit, ſeu appareat, & videatur bonũ.* [2] *Artis porro nomine habitus eos accipimus, qui motu ac miniſterio artuum vtuntur ad opus. Docendi via methodus eſt; habitus videlicet, qui cum ratione viam ſternit ad veritatem: ſcientiamq́; omnem complectitur, atque diſciplinam in ordinem, & formam redactam. Actionem pro functione humani arbitrii ſponte ſuſcepta vſurpamus; cui electio deliberationem addit atque conſilium; eſt enim electio, Græce* προαίρεσις *cum pluribus propoſitis, hæc, quam illa, magis accipimus. Quapropter cum omnis humana functio vna quapiam ex quattuor poſitis contineatur, quicquid homo molitur, boni, ac proinde finis alicuius gratia molietur.* [3] *bonum enim atque finis idem ſunt.* Pulchre igitur veteres [4] bonum, *ſiue ipſum bonum, ſiue ſummum bonum, atq; adeo vltimum finem* id eſſe pronunciarunt, [5] quod omnia appetunt. Fines vero diſcrepant inter ſe; quod alii ſunt munerum functiones, *vt ſaltatio*; alii, præter has opera quædam, *vt ædificium*; atque in his opera ſunt effectionibus, per quas exiſtunt, meliora natura. *ædificium enim*

eſt ædificatione præſtantius; & omnino in ortu rerũ, quidquid poſtremum emergit, magis cenſetur abſolutum. Quoniam vero magna eſt actionum, artium, atq; ſcientiarum copia, multi quoq; fines exiſtunt, ea inter ſe lege diſpoſiti, vt qui eius artis, ſcientiæ, actionis, quæ præeſt, & imperat alteri, finis eſt, ſubiectæ facultatis & actionis fine ſit melior, & optabilior: cum hic illius cauſſa expetatur. quare artis imperatoriæ finis melior eſt, quam equeſtris: huius quoque finis illo, qui artis eſt frenorum conficiendorum, optabilior. frenum enim ad equi vſum ſuapte natura dirigitur: equi agitatio, vt & omnis actio militaris, ad artem imperatoriam. Nihil vero addit, aut detrahit nobilitati finis, quòd vel functio ſit muneris, non tendens ad opus: vel magis permanens quiddam, & ſeparatum in quod ea deſinat. *porrò ars equeſtris curſu & agitatione equi finitur: quæ frena conficit, opus relinquit; nihilominus hæc illi cedit dignitate. rurſum contra, nullum Gymnaſtica relinquit opus; relinquit medicina ſanitatem; attamen hæc illa melior. quæ eo ſpectant, ne in ſummi boni indagatione ſcrupulus in animo reſideat; Si vltimus finis hominis, qui nobilitate ceteris antecellit, in functione muneris nuda ſimpliciq; poſſit collocari.*

S C H O L I A.

DIſputationem de moribus à fine exorditur Ariſtoteles, quoniam quem locum prima principia, ex quibus deducuntur concluſiones, tenent in ſcientijs, quæ veritatem venantur: eundem vltimus finis obtinet in ijs, quæ actioni reſpiciunt; qualis hæc eſt ſcientia de moribus. vt enim in Mathematicis ab hoc principio, à puncto in punctum licet lineam ducere, *fit progreſſus ad demonſtrationes illius artis; ita in his, quæ rebus agendis occupatur, facultatibus, propoſito fine, in quem omnes tendunt humanæ functiones, deuenitur ad actiones, quæ ſunt gratia finis. & quemadmodum à principijs quaſi manuducimur ad aſſenſum præbendum concluſioni: ſic beneficio finis, ante cogniti, mouentisq; appetitum, deſcendimus ad agendum, & operandum.*

1 Seu vere ſit ſeu appareat & videatur bonum,] addidimus hoc ex lib. 3. huius operis cap. 4.

2 Artis porro nomine] artes propriè ſunt, quæ exercentur per artus, vt notat Feſtus: quæq; egent manuum miniſterio, vt definit Vlpian. l. 4. ff. de decret. ab ord. fac. Et quidem hæ bonum ſpectant, & finem ſortiuntur, ſed humilem; vitæ ſcilicet, quæ per ſenſus corporis extimos traducitur, emolumenta procurantem: at non contemnendum. eo enim quodam tenus accedimus ad ſummum bonum; otiumque, inertiæ parentem, vitamus; ac demum adumbramus Dei virtutem, qua hominem finxit, cælum & elementa condidit; quo nomine Plaſmator à Santo Iob dicitur; Latini opificem appellant.

3 Bonum

3 *Bonum enim atque finis idem ſunt*] *ita Ariſtot. lib.3. metaph. t.3. & lib.2. Phyſ. t.31. Auerrois 2. metaph. com.8. Bonum vero intellige appetibile; non illud vniuerſum, quod æquat latitudinem entis. ita enim omnia entia eßent finis; quandoquidem omnia ſunt bona. Quod igitur 3. metaph. tex.4. ait Ariſt.* Mathematicis non ineſſe bonum, *de appetibili bono, quod cum fine coniunctum eſt, accipiendum; cum enim ſubiectã Mathematicæ materia non in re ſit, ſed in phantaſia: nec appetibilis, nec finis videtur habere rationem.*

4 *Bonum, ſiue ipſum bonũ.*] τὸ ἀγαθὸν *vtramq. admittit interpretationem. ſummum bonum felicitas eſt; ipſum bonum idem quod bonum appetibile in communi ſumptum; quod in honeſtum, vtile, iucundum diuiditur. Omnia vero tum felicitatem, tum confuſe bonum volunt.*

5 *Quod omnia appetunt.*] *non eſt hæc boni definitio, ſed deſcriptio, tradita ex ijs, quæ rem conſequuntur. quæ enim appetunt commune appetibile, ſunt eo poſteriora, & ab eodem pendent. Eſſe quoq; appetibile ſequitur naturam boni: nam quia bonum, ideo expetendum.*

Vnum eße vltimum hominis finem, de quo agere Ciuilis eſt facultatis. Cap. II.

CVm igitur pro multiplici ſerie, ac varietate functionum humanarum alij, atq; alij exiſtant fines, in quos ita fertur appetitus, vt vnum velit propter alium; (neq; enim aliter conſtaret ordo functionum) [1] ne res abeat in infinitum, neceſſe eſt vnum aliquem rerum agendarum ſtatuere finem, quem propter ſe velimus: cetera eligamus propter ipſum. qui niſi conſtitueretur, [2] inanis eſſet omnis noſter appetitus, quòd propoſitum numquã abſolueremus. *Infinitum enim ſuperari non poteſt. & quemadmodum in mouentibus, ni detur primum, non fit motus: ita in rebus agendis, niſi ponatur vltimum, non ſequitur actio, ſed perpetua, fine carens inueſtigatio; quæ irrito conatu ac perenni errore, ab vno in aliud deducat.* Hic vero vltimus actionũ finis ſummum bonum eſt, atq; adeo bonorum optimum; [3] cuius notitia magni ad vitam refert; cum ſit quaſi ſcopus, ad quem collineare debemus. Quod ſi ita ſe res habet, enitendum, vt eius formam adumbremus, & quid ſit, ad quam ſcientiam pertineat, vel facultatem, cognoſcamus. Nec ambigendum, ad reliquarum longe principem, & architectonicam ſpectare. nobiliſſimam enim facultatem finis decet nobiliſſimus. [4] eiuſmodi eſt ciuilis: græce πολιτική. *Cum enim architectonicæ duæ ſint conditiones, altera vt præſit, & dominetur: altera vt ſubiectis facultatibus vtatur:* [5] *hæc vtrumq; præſtat.* nam [6] quas in Repub. ſcientias eſſe oporteat; [7] & in quam quiſq; incumbe-

cumbere debeat; [8] & quouſq; in ijs progrediendum ſit, præſcribit; [9] facultateſq; illas, quarum eximia eſt apud mortales dignatio, vt artem imperatoriam, ac rationem tuendæ rei familiaris, & bene dicendi copiam ſubiectas habet; hiſdemq;, legibus latis, vtitur ad Reipub. commoda, & ciuium vtilitatem. quare ciuilis facultatis fine, atque extremo, reliquarum fines continentur. id vero eſt ſummum hominis bonum; quod cum ciuitatis bono vnum, & idem eſſe videtur, *perinde ac pars cum toto*. [10] Sed Ciuitatis bonum tueri maius quiddam, atq; pulchrius. & cum prælare nobiſcum agatur, ſi vel vni emolumento eſſe poſſimus: longe profecto diuinius eſt, quod gentibus, & ciuitatibus vſui eſt, reperire. quare cum ciuilis facultas totius Reipub. commoda perſequatur, ſublimior quædam res cenſenda eſt, ac ſummo in honore habenda. Hæc autem ſuſcepta de moribus diſputatio, [11] cum ſit ciuilis facultatis pars quædam, id ipſum hominis, ac totius ciuitatis bonum propoſitum habebit. [12] *idem enim eſt finis totius & partis.*

S C H O L I A.

1 *NE res abeat in infinitum,*] *quod natura auerſatur. nam infinitum & interminatum, atq; turpe pro eodem ab Ariſtotele habentur, vt materia prima. & eos, qui faciunt infinitum, auferre naturam boni, ſcribit idem 2. metaph. tex. 8.*

2 *Inanis eſſet omnis noſter appetitus*] *vt enim ſi terminus diſtaret ſpatijs infinitis ab eo, quod motu cieri vult, non eſſet motus; ita ſi inter nos, & id, quod appetimus, infinita intercederent, non eſſet actio.*

3 *Cuius notitia magni ad vitam refert.*] *vt enim res omnes abſq; boni poſſeſſione, inutiliter poſſidētur; ita rerum omniū, artiumq; cognitiones, abſq; primi boni intelligētia, ſunt inutiles; vt Plato docuit 6. de Repub.*

4 *Eiuſmodi eſt ciuilis.*] *ea principem locum tenet; efficitque, vt ſui ſtudioſi præſint ceteris. ſcribit Plutarchus lib. de* Repub. *virum ciuilē ſuapte natura principem eſſe inter reliquos, quaſi regem inter apes; & merito id quidem. nam leges ille condit; legis autem virtus eſt imperare, vt Modeſtinus ait l. leges. ff. de leg. Nec inepte politicen diuinæ prouidentiæ imaginem dixeris, qua proſpicit hominibus.* Hæc igitur è cælo nobis effulſit, *vti Tragicus ait:* Heſpero luciferoq; ſplendidior; *maximeq; in principibus, & ijs, qui rerum publicarum adminiſtrationi præſunt, relucet. vnde ciuilis nomen inuenit; cum ciues in officio contineat, ac tueatur. nec aliunde hanc Plato appellationem deducit, vt videre eſt lib. de* Regno.

5 *Hæc vtrumq; præſtat*] *Ciuilis facultas ſcientijs illis, & facultatibus, quæ veritatem inueſtigant, & ſola contemplatione gaudent, imperat, quo ad vſum; eas videlicet admittendo in ciuitatem; vel excludendo; quod Spartiatæ atq;* Romani *fecere. illi enim philoſophiam ciuitate*

abdica-

abdicarunt; hi Græcos vrbe exegerũt; ne iuuentus Philoſophiæ, & eloquentiæ capta pulchritudine referret animum ab armorum ſtudio; cui Reſpublicæ illæ inniti maxime videbantur. Argiui mixolydios modos, atq; citharam, plus, quam ſeptem fidibus receptis inſtructam, eiecerunt. Areopagitæ cauſſas oraturis proœmio vti, & epilogo interdixere. hoc autem non tam ſcientiæ imperare eſt, quam ſcienti, vel vti ſcientia volẽti: nam ijs, quæ ſcientiæ penetralibus vel limitibus clauduntur, ſi vir ciuilis ſe inferre, ac Geometræ, vt his, aut illis lineis ad duplicandũ cubum vtatur, præcipere velit, ridiculus euadat. neq; enim ſciẽtiæ veritatis indagatrices ad vitã ciuilẽ ordinantur, cũ ſint ea ſuperiores. Illis vero facultatibus, quæ in praxi ſunt poſitæ, atq; ad vitã ciuilẽ referuntur, ita ſe ciuilis inſerit, vt penitiſſimos earũ attingat ſinus: earundẽq; normã ſæpe inuertat. nã vti ſit gladius conficiẽdus, vti ſtruendæ naues, pro hac vel illa rei militaris, quã nunc retinet, nũc immutat, norma præſcribit. Vere igitur & proprie ciuilis facultas eſt princeps, & architectonica illarũ, quæ praxim reſpiciũt: non earũ, quæ veritatem quærunt. illis enim vtitur vti ſubiectis: his, veluti melioribus ad animum rebus optimis atq; pulcherrimis ornandũ, & perficiendũ: velut oculus vtitur lumine Solis.

6 Quas in Republica ſcientias eſſe oporteat.] Aliæ enim ſunt artes execrabiles, vt magia, & quorundam Aſtronomia abutentium vanitas illa, quæ iudicijs faciundis de rebus futuris contingentibus occupatur; in quam non pauca olim extabant Senatuſconſulta, de Mathematicis vrbe pellendis; quod genus hominum, ait Tacitus l. 1. hiſtor. potentibus infidum, ſperantibus fallax, in ciuitate noſtra & vetabitur ſemper, & retinebitur. hæ artis nomine ornãdæ non videntur; cum careãt bono fine, ac medijs ad qualemcumq; finem fallacibus vtantur; ars vero rebus continetur in vnum exitum ſpectantibus, ac numquam, vel rarò fallentibus. Aliæ ſunt exercitationes inutiles, & inanes; quales Myrmecidæ Mileſij, & Callicratis Lacedæmonij quadrigæ ſub muſca latentes; ac in ſeſamo diſtichon elegeium litteris aureis inſcriptum: vt Aelianus retulit lib. 1. var. hiſtor. his addere licet Ionem eum, qui è patria Babylonem profectus eſt, artem operis egregij magno regi oſtenſurus; offulas videlicet paruulas, & rotundas, in eum elaboratas vſum, tam certo ictu contra mucronem acus ex diſtanti loco iaciebat, vt numquam à collineando aberraret; parem ſe, vt Maximus Tyrius ait, Achilli ducens, eiuſq; ex Pelio monte accepto fraxino. hunc, ſeu quem alium, qui ciceribus idem perficeret, modio leguminum ab Alexandro, vt merces reſponderet operæ, donatum, ſcribit Quintil. lib. 2. Fertur Matthias Coruinus, oblata lignea anulari, ſeu hamata lorica, cuius anuli ſine fiſſura integri eſſent, artificem damnaſſe; quod octo annos in re nullius plane vſus pudenda iactura conſumpſiſſet. meritò autem qui potiuntur rerum attente in hanc excubant curam, ne qua inutilis, vel pernicioſa diſciplina irrepat

repat

repat in ciuitatem : & magis, quam ne qua corrupta inferantur alimēta. Nam,vt Plato monet in Protagora,longe grauius periculum eſt diſciplinis recipiendis,quam cibis emendis.

7 Et in quam quiſque incumbere debeat] curat enim ne omnes vni eidemq. ſcientiæ,vel facultati,etiam ſi optima ſit,operam nauent. præclare enim in 4.de Repub. monet Plato,non quamlibet ciuitatis partem ita debere diſponi,vt in ſeipſa quam optime ſe habeat ; ſed vt cunctis conferat; alioquin ciuitas non perſeueraret. mergitur enim nauis,vbi vectores in eandem partem incumbunt vniuerſi.

8 Et quo vſq; in ijs progrediendum.] neque enim ſumma quemq; decent in omni genere facultatum. Crates cenſuit ex Geometria tantū eſſe delibandum,quantum ſatis ſit ad fundum emendum, vendendumq; iuſta menſura. Neoptolemus apud Ennium paucis philoſophandum arbitratur. Philippus Alexandrum filium obiurgauit, quod nimis caneret accurate, ac ultra regiam maieſtatem foret muſicæ curioſus.

9 Facultatesq; illas, quarū eximia eſt apud mortales dignatio] Oeconomica in pretio habetur ob quæſtum : an magis ob domeſticam diſciplinam ? ars imperatoria ob tutelam Reibup. cuius laudes copioſe M. Cicero perſequitur in orat.pro Murena. eloquentia pulchritudine ſua mortales ad ſe rapit,cuius laudibus plena ſunt veterum ſcripta. Sed omnes ciuili facultati eo,quo diximus, modo ſubiacēt ; quare Plato lib.3.de Repub. ait,ingenium aptum ad gubernationem,eſſe ſimile auro : aptum ad bellum,argento: aptum ad opificium,& agriculturā,ferro. Oeconomica vero agrorum cultu magna ex parte nititur,vt Ariſt. docet lib.1. Polit. Nec mirum ſi militaris ciuili ſubijcitur; nam eius finis eſt victoria; victoriæ pax; pacis cuſtos lex eſt; lex ciuilis facultatis opus.

10 Sed ciuitatis bonum tueri maius quiddam.] nihil enim in humanis præclarius,quam de Repub. bene mereri; ut Cicero ſcribit ad Plancum.

11 Cum ſit ciuilis facultatis pars quædā.] diſputatio de moribus pars eſt politicæ ; non eſſentialis, ut loquuntur, ſed vti ei ſubiecta inſeruit enim ciuili; ſed diuerſam ab ea materiam ſortitur. Itaq; cum conſilium Ariſtotelis fuerit ſtatum ciuitatis optimum informare, à moribus exorditur,commodum in hoc ordinem ſequutus. neque enim poterat reſp. recte inſtitui, partibus, ac membris eius non ante bene diſpoſitis, & conſtitutis; quod Ariſtotelis conſilium Alexander 1.lib.priorum patefecit. Sed hoc ipſum ex calce horum librorum aperte colligitur ; ita enim opus concluditur.Operæpretiū fortaſſe faciemus,ſi nos ipſi de ea,hoc eſt,de rōne ferendarū legū, & de omni Reipub. ſtatu cōmentemur ; vt,quātū in nobis eſt,tota, quæ ad res humanas pertinet,philoſophia perfecta ſit.& infra;exordiamur igitur dicere; quæ poſtrema verba librum claudunt. quid porro deinceps exorditur Ariſtoteles ? certe quod initio Polit. ponit; vt ex his,illisq; libris vnū confici opus,dubitari non poſſit.

12 Idem

12 *Idem.n.eſt finis totius & partis.*] *eodem quippe tota terra & gleba pars feruntur, vt docet Ariſtoteles.*

Qualem methodum qualesve Auditores hæc ſcientia deſideret. Cap. III.

NEq; vero accuratiſſima docendi ſubtilitas in hac facultate requirenda: ſed talis, qualem rei, de qua agitur, natura patitur. non enim omni ſermonis generi eadem ratio congruit diſputationis; velut in manufactis opus æque expolitum haud ab omnibus exigimus. *Limatiſſimum porro à pictore volumus: cum coloribus vtatur mollibus ad illiniendum, aptiſſimisq; ad habitum oris, atque totius corporis referendum; ipſosq; oculos, rerum alioqui teſtes non infidos, fallendum. proximum huic artificium in fictore quærimus, qui ceram format, materiemq. omnem ductu facilem. tertium locum conflatoriæ aſſignamus: quæ liquefacta metalla fundit, in varias formas. poſtremas ijs partes attribuimus, qui marmora ſcalpunt; quod in re deſudent omnium maxime rudi, atq; adeo contumaci. quare nec prototypum, æque ac pictores, fictoresve, imitabuntur: nec poſt longum aſſiduumq; laborem, viuos ducent de marmore vultus. non igitur eadẽ norma cuiuſq; artificis opera metimur, & artem. hoc ipſum iudicij de functionibus humanis faciẽdum.* rerum enim quæ honeſtæ, iuſtæq; videntur, quas ciuilis ſcientia conſiderat, tanta eſt diſſimilitudo, facieſq; adeo diuerſa, vt lege, *quæ mutabilis eſt*, non natura, *quæ eadem perſeuerat*, conſtare videantur. *ignis enim, quia natura ſemper eſt idem, vrit apud nos, & aput Perſas; leges vero, atq; rerum honeſtarũ iudicia nobis, illisq; diuerſa. Ita Perſæ filiarum aliquando coniunctione, matrimonioq; ſunt vſi, quod apud Græcos, Romanosq; horrendum ſemper apparuit. Maſſagetæ communes habuere vxores; quid vero apud nos ea turpitudiue fœdius? Athenis in ſeditione populari, qui neutrius fuiſſet partis, committebat in legẽ Solonis: ijs ſe miſcuiſſe capitale fuit apud Romanos. Furta eduliorũ ingenua cenſuere Spartani; eadem viliſſimi abiectiſſimiq; animi ceteris videntur. Hæc morum diuerſitas ab opinionum diſcrepantia manat; ita vt multi, Platone teſte in 10. de leg. arbitrati fuerint, iuſtum, & honeſtum opinione definiri: ac omnino iuſtum eſſe illud quod vni videtur iuſtum: illud ipſum eſſe iniquum, ſi ab alio quopiam iudicetur minus æquum.* Eadẽ de bonis diſſenſio, idemq; error irrepſit. cenſent enim ea, quæ vere bona ſunt, non eſſe ſimpliciter bona: ſed huic forte bona, illi mala; vt diuitias, fortitudinem, ſanitatem; cum alijs quidem perniciem interdum afferant; alijs ſalutem; & alijs fortitudo exitio fuerit, alijs diuitiæ? *Quot enim non alia de cauſſa cæſi, quam quod*

amplum poſſiderent patrimonium? quot innata fortitudo, ad præclara & ardua impellendo, adegit ad mortem? Satis ergo erit, ſi, qui de rebus eiuſmodi ſermonem inſtituũt, rudem quandam eius, quod in hoc genere verum eſt, imaginem delineent: neque accuratiora deſideret auditor: & qui de rebus, quæ vt plurimum, non neceſſario fiunt, orationem habent, atq; ex talibus diſputationem inſtituunt, talia quoque non neceſſario, ſed vt plurimum contingentia concludere ſatis habeant: eoq; ſint rerũ exitu contenti. *nam res, quæ nec certæ ſunt, nec definitæ, non poſſunt firmis argumẽtis, vacuisq; ab omni errore demonſtrari.* 2 Hæc procedendi ratio, vt qualem rei ſubiectæ natura patitur, talem ab vnoquoque, qui eam tractat, diſputationem exigamus, in omni docendi atq; diſcendi via retinenda; 3 eſtq; hominis eruditi, tantam in vnoquoq; genere ſubtilitatem deſiderare, quantam rei ipſius natura admittit. neq; enim, vel mathematicum, probabilibus vtentem rationibus, *ex arte* feras; vel oratorem ad demonſtrandum, atq; certis, & neceſſarijs argumẽtis concludendũ, *ex dignitate* cogas.

Cum autem quiſq; poſſit de ijs iudicium ferre, quę cognita habet, atq; perſpecta; & in vniuerſum de omnibus iudicet, qui in omni eſt tum artis, tum doctrinæ genere verſatus: fit, vt ſcientiæ ciuilis non ſit iuuenis accomodatus auditor; tum quod, 4 *cum vſu careat, & experimento rerum,* 5 ſit humanorum actuum, de quibus diſputatio hæc habetur, imperitus; tum quod, cũ *pro calore ætatis* affectibus ſeruiat, inanem prorſus operam collaturus in eam videtur. *Vt enim poſſit bene & ex virtute viuendi ſcientiam conſequi*; certe, quod in hoc genere ſummum eſt, ex virtute non aget. fruſtrabitur itaq; fine ſcientiæ ciuilis, 7 quæ non contenta cognitione, adhuc, ceu finem, quærit actionem. Ætate autem ſit, an moribus iuuenis, nihil intereſt. qui enim in ſenectute vitam inſtituit adoleſcentis, non culpa temporis ineptus redditur ad hanc philoſophiam: verum quod cupiditatibus animi obtemperet, & earum vnamquamq; ſtudioſe perſequatur. his enim, vt & incontinentibus, *qui cum fuerint aliquantulum reluctati, tandem vincuntur impetu voluptatum, earumq; preda fiunt*, inutilis cognitio iſthæc futura ſit: qui vero appetitiones, actionesq; ſuas ad rationis normam dirigunt, fructum ab ea ferunt vberrimum. Ac de auditore quidem ciuili, cuiuſmodi futurus ille ſit: quaq; methodo in hac facultate progrediendum: quantum ab eadem certitudinis exigendum: quæ illi ſubiecta materia: quid demum ſit nobis propoſitum ad dicendum, hæc procemij loco dicta ſunto.

S C H O L I A.

1 *ALijs fortitudo exitio fuerit*] ἀνδρείαν *hic Ariſtoteles appellat, quæ tum pro fortitudine animi, tum etiam pro robore corporis accipi poteſt. illa multos adegit ad mortem; vnde illud vulgatum,* Lu-

ctu ca-

ctu carere ignauorum matres. *in idipſum robur corporis, præſertim, ſi inconſulta temeritas adſit, ſæpius inducit. ab inuidia demum vtraq; periclitatur, tanquam ab externa cauſa. Milo Crotoniates poſteaquã roboris inuſitati multa dederat experimenta, lacertis temere confiſus, cum iterfaceret per ſyluam, parte ſumma biantem arborem robuſtam diducere manibus, ſindereq; ad radices aggreſſus eſt. ceſſit quidẽ arbor hinc, illinc ad medium uiribus immenſis; verum deficiente conatu brachiorum, & laxatis neruis, amba ſtipitis partes, magno recurrentes impetu, iterum coiuere, manibus interceptis: vnde cum ſe Milo expedire, ac dimouere, nequiret, nemine opitulante, a feris conficitur. vt Gellius refert l.15.cap.16. Androgeum quoq; Minois filium, palæſtra perpetuo victorem, Athenienſes, & Megarenſes inopinantem interemere, ob inuidiam. Decios demũ alioſq; innumeros inuicta fortitudo animi ad mortem impulit. Nocet quoque pulchritudo, ob quam Ariſtoclea ex Aliarto Boeotiæ, inter manus Stratonis, & Calliſthenis procorum, hinc illinc raptantium diſcerpta periјt, vt ſcribit Plutarchus in amatorijs. Huius incommodi Deianira ſe non ignaram docuit apud Sophoclem, cum ait, ſe veritam ſemper fuiſſe, ne quid grauioris mali à pulchritudine acciperet. Nocuit eloquentia M.Ciceroni, de quo Iuuen.*

O fortunatam natam me conſule Romam.
Antonij gladios potuit contemnere, ſi ſic
Omnia dixiſſet.

Nocuit demum ipſa virtutis excellentia Scipioni: cuius fulgore improbis moleſtus, & inuiſus, patria, quam ſeruarat, & immenſum auxerat, pulſus, in alieno ſolo tumulum nactus eſt. præclare igitur idem Iuuen.

Nocitura toga, nocitura petuntur
Militia, & torrens dicendi copia; multis
Et ſua mortifera eſt facundia. viribus ille
Confiſus periit, admirandiſq; lacertis.
Sed plures nimia congeſta pecunia cura
Strangulat; & cuncta exuperans patrimonia cenſus.

2 *Hæc procedendi ratio] modus progrediendi in ſcientia, (methodum commode dixeris) via eſt ad ſciendum. via paulatim accomodatur termino; accliui enim non itur in decliue; methodus igitur fini ſcientiæ reſpondet.*

3 *Eſtq; hominis eruditi] πεπαιδευμένου, ideſt periti, ſeu ad bonas artes inſtructi. de hoc peritiæ, ſeu pædiæ habitu Ariſt. initio lib. de partib. animal. differt autem peritus à ſciente, quia ille poteſt iudiciũ ferre de ſcientia; ſed eam tradere, vel explicare non poteſt: ſciens vero docet.* nam ſignum ſcientis eſt, poſſe docere, *vt Ariſt. tradit lib.1. metaph. cap.1.*

4 *Cum vſu careat & experimento] experimentum temporis diuturnitate acquiritur; & à ſingularibus tantum capitur. eaq; natura eſt*

ſingularium,vt experiētia magis,quam vlla ratione percipiantur. Ideo pueri, etſi mathematici eſſe poſſunt ob vim phantaſiæ: prudentes tamen eſſe non poſſunt,quod ob temporis defectum illis experientia deſit. Ariſt. infra lib.6.

5 *Sit humanorum actuum.*] *errat ſæpe adoleſcens,cum de his iudicat; vti cum Venerea cupiditate inflammatus,quærit appetitū explere:quod cenſeat hac potiſſimum ratione ardorem illum extingui: quemadmodū potu,& indulgentia bibendi ſedatur ſitis: atq; ſumptione cibi fames expletur; nec aduertit,valde diuerſam eſſe vtriusq; ſitis curandæ rationē: cum expletione altera depellatur, altera magis, atq; magis accendatur: vel etiam in ægro maleq; affecto corpore hauſtu frigidæ augeri bibendi libidinem: in ſano & valente tolli; ac propterea aliud eſſe Venereæ cupiditatis ſanandæ conſilium capiendum: cum ea ſit quaſi febris,& morbus animi: nec niſi male affectis, deprauatisq; innaſcatur; vel ſaltim exoriēs,animum,antea bene habentem,inficiat,& corrumpat. in his inquam,adoleſcentis iudicium,& opinatio fallitur.*

6 *Tum quod,cum pro calore ætatis affectibus animi ſeruiat,*] *adoleſcētum ſanguis à calore, & humore maxime mobilis & fluctuans, eos reddit mutabiles,& inconſtantes. Horat.lib.de Arte.*

Geſtit paribus colludere; & iram
Colligit,ac ponit temere; & mutatur in horas
Imberbis iuuenis; tandem cuſtode remoto
Gaudet equis,canibusque,& aprici gramine campi.
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper:
Vtilium tardus prouiſor, prodigus æris,
Sublimis,cupidus,& amata relinquere pernix.

Non deſunt vero,qui ſeniles in adoleſcētia mores,atq; ſenſus canos præferant. his noſtra hæc multum conferet philoſophia, etſi ob ætatem experimentum rerum agendarum capere nequiuerint. at proderit indoles ad bonum prona; & ætati præcurrens ingenium.

7 *Quæ non contenta cognitione,adhuc ceu finem quærit actionē.*] *huic facultati propoſitum eſt cupiditates re ipſa frangere: non modum tradere tantum,quo eæ frangantur. ſicut nummi finis non eſt vt numeretur, ſed vt in vſum hominis, ad vitæ indigentiam ſubleuandam promatur. Ideo Aeſchines aiebat.* non tam oratorem & legem idem loqui debere, quam philoſophi vitam cum eius doctrina concordare. *Seuere, ſed vere Diocletianus, & Maximianus philoſophum quendam, onera patrimonij deprecantem,monuerunt his verbis;* Profeſſio & deſiderium tuum inter ſe diſcrepant; nam cum philoſophum te eſſe proponas, vinceris auaritia, & rapacitate. *l.profeſſio.C.de munerib.patrim.l.10.*

Vltimum

Vltimum hominis finem eſſe felicitatem; in cuius inueſtigatione ſit ab ijs,quæ nobis nota ſunt, progrediendum. *Cap.* IIII.

CVm igitur,vt ab initio diximus,omnis cognitio, & electio bonũ aliquod appetat: dicamus, quod nam illud ſit, quod à ciuili expetitum,omnium rerum,quæ ſub actionem veniunt,ſummum eſt,& optimum. [1] Et quidem de nomine inter plurimos conuenit. beatitudinem enim tum multitudo, tum eruditi, cultiq́; homines appellant. beatitudine vero frui, hoc ipſum, quod bene viuere, beneq́ue rem gerere cenſent. Sed quid beatitudo ſit, & in quo potiſſimum conſiſtat, de hoc lis, & controuerſia; [2] nec vulgus, & ſapientes conſentiunt. Multitudo ſcilicet, aliquid eorum, quæ ſunt obuia, & manifeſta, eſſe vult beatitudinem: vt voluptatem diuitias, honorem. alij aliud quidpiam deſignant, quin vnus & idem quandoq; vnum,quandoq; aliud ſummũ bonum eſſe opinatur. inops enim diuitias laudat. idem *diues factus, ſi in grauem valetudinem incidat,* ſanitate vel ſola homines prædicat fieri beatos; [3] & qui ſibi ſunt ignorantiæ conſcij,eos admirantur,qui magna quædam, & ipſorum facultate ſuperiora loquuntur. quidam vero, præter hæc complura bona,aliud quoddam per ſe bonum ſeiunctum à ceteris, quod ijs omnibus,cur bona ſint,cauſſa eſt,*puta Ideam,* ſummum hominis bonum eſſe affirmant. [4] Atq; omnes quidem opiniones expendere, fortaſſe operam ludere fuerit. quare illas tantum afferemus, quæ vel ſunt *à dignitate propugnatorum* inſigniores: [5] vel ratione aliqua niti videntur.

At hoc interim nos non lateat: intereſſe inter eas rationes, quæ à principijs deducuntur, & eas quæ ferunt ad principia. recte enim Plato dubitabat; num à principijs ad fines, an à finibus ad principia ſit iter faciendum; velut in ſtadio; vtrum ab ijs, qui præmia proponunt,ad metam: an contra à meta ad carceres ſit viæ ductus. *quare nobis iure quærendum videtur; an à cauſſis ad effectus,vel magis ab effectibus ad cauſſas in hac ſit facultate procedendum.* Et quidem initiũ ſumendum ab ijs,quæ ſunt notiora; hæc vero dicũtur duobus modis; alia enim ſunt nota nobis: alia per ſe,abſolute, & natura ſua. [6] forte igitur initium faciendum ab ijs, quæ ſunt nobis nota. *eiuſmodi principium eſt,rem ita eſſe. quòd enim ita res ſit,nobis eſt notius, quam cur ita ſit.* quocirca, qui de rebus honeſtis, ac iuſtis, & vt ſemel dicã, ciuilibus vtiliter eſt auditurus, eum oportet eſſe bene inſtitutum, beneq. moratum. concedit enim rem ita eſſe. *verbi gratia,abſtinendo à Venereis,hominem fieri à Venere inſuperabilem;* ſatisq; habebit ſcire cur

re cur

re rem ita eſſe:idq; ſtatuet quaſi principium;nec ſcire cur ita ſit,magnopere deſiderabit. qui vero ita eſt comparatus,iam tenet principia ; vel eà ſaltim facile percipiet : *quia admittit.* quod ſi horum neutrum alicui ſuppetat, ita vt nec per ſe principia teneat, nec ab aliis accipere ſtudeat ; exiſtimet ad ſe pertinere illos Heſiodi verſus ;

[a] Optimus ille quidem eſt,qui per ſe mente animoque
Omnia perluſtrat,quæ ſint meliora futura
Poſtea ad extrema vſq; nouiſſima tempora vitæ.
Eſtq; adeo ille bonus monitis qui obtemperat vltro
Recte ſuadentis. verum deterrimus ille eſt,
Qui neque conſilium per ſe capit ingenij expers,
Nec monita alterius ſequitur,nec mente recondit.

SCHOLIA.

1 *ET quidem de nomine fere conuenit.*] *etſi enim pluribus nominibus appelletur ; nihilominus conſentiunt ijs omnibus ſummum bonum appellandum eſſe: videlicet τὸ ἀγαθὸν, εὐδαιμονίαν, εὐτυχίαν, εὐζωίαν, εὐπραξίαν. litigant autem de re ; vbi ſcilicet, quicquid iſtud eſt, quod tot nominibus effertur, repoſitum ſit. Igitur Ariſtoteles hic τὸ ἀγαθὸν vſurpat, ſummum videlicet bonum ; idq; ex communi ſententia tum multitudinis, tum etiam eruditorum. εὐδαιμονίαν quoque appellat, quam interpretes beatitudinem vertunt. verum ſi verbi vim ſequaris, bonigeniam interpreteris. ceterum optimum hominis ſtatũ εὐδαιμονίαν dicunt; quia nihil vltra bonam genij affectionem beatitudo requirere videtur. Petrus Victorius, vir vtriuſq; idiomatis ad inuidiam doctiſſimus, cenſet εὐδαιμονίαν ita beatitudinem verti, vt felicitas nullo modo dici queat; cum potius felicitati rñdeat εὐτυχία. quare non probat Virgilianũ illud.*

Felix,qui potuit rerum cognoſcere cauſſas.

Exiſtimat enim per θεωρίαν effici hominem εὐδαίμονα, non felicem. verũ hac ratione M.quoque Tullius foret inſcitiæ damnandus,qui ſententiam illam Xenophontis, δικαίως μοι δοκεῖς εὐδαίμων, ἀγαθὸς γὰρ ὢν εὐδαιμονεῖς ita vertit in lib.de ſenectute. Recte vero te Cyre beatum ferunt ; quia virtuti tuæ fortuna coniuncta eſt. εὐτυχία vero idem,quod proſpera fortuna,quã Ariſt.2.phyſ.tex.58.ait vel eſſe eandem cum felicitate, vel illi proximã. confunditur igitur ab Ariſtotele eudæmonia cum eutychia ; noſq; promiſcue vtraq; appellatione vtemur, beatitudinis inquam, & felicitatis, vbi ſummum hominis bonum ſumus deſignaturi. ſed vt eutichiæ, ſeu proſperæ fortunæ vocabula magis explicentur,ſciendum eſt,multos beatitudinem omnem collocare in copia bonorum fortunæ. iſtis proſpera fortuna idem eſt, quod felicitas,ſeu beatitudo. alij, vt Ariſtoteles, bona fortunæ inſtrumenta conſtituunt felicitatis. iſtis bona fortuna eſt felicitati coniuncta. ideo dicebat Ariſtoteles εὐτυχίαν vel eſſe eandem cum felicitate,vel illi proximam. dum vero fortunam appellamus,euentum re-

rum

rum inopinatum, cuius cauſſa nobis occulta eſt, intelligimus; qua porrò appellatione abſtineremus, ni ad explicanda verba Ariſtotelis eam vſurpare neceſſe foret; quod & Diuus quoque Thomas fecit lib.2.phyſ. & non ſemel alijs locis.

μακαρισμὸς *à lætitia comite nuncupatur; ab eo quod eſt,* μάλιστα χαίρειν, *maxime gaudere, vt Ariſtoteles docet lib.7.eth.cap.2. Macariſmus & eudæmonia maxime Deo conueniunt, iuxta ſententiam Ariſtotelis, ut infra videre eſt cap.12. vbi hominibus quoque, vt ipſe appellat, diuinis, tribuit macariſmum. ceterum* εὐδαιμονίαν *non iuxta propriam vim dictionis, verum translato communi vſu vocabulo, de Deo dici exiſtimo; qualis enim eſt Dei genius, à cuius optimo ſtatu beatus appelletur? hæc certe non niſi per metaphoram in Deo admittenda:* εὐπραξία, *ſeu bona actio ponitur 2.phyſ.tex.58. à qua beatitudo non longe diſtat. quia ſummum bonum conſiſtit in actione ſtudioſa, ex ſententia Ariſtotelis.* εὐζωΐα *idem eſt, quod bona vita, de qua infra cap.8. hic vero vtrumq; iungitur ad beatitudinem efficiendam.* τὸ εὖ ζῆν, καὶ τὸ εὖ πράττειν. *hoc eſt, bene viuere, & bene rem gerere. acute vero notat Ficinus in Euthidemo, eudæmonian ſignificare cognitionem boni; eutichian adeptionẽ; eupraxiam vero vſum; recte inquam ille; genius enim, ſiue dæmon, mens hominis eſt apud Plutarchum lib. de dæmonio Socratis; quod & Xenocrates fuit opinatus, Ariſtotele referente 2. top. loco 19. idemq; ſenſit Porphyrius apud Iamblicum de myſter.ſect.9.cap.8. nec aliter videtur ſentire ſchola Peripateticorum. Eutychia dicitur ſtatus hominis, in quo ei bona eueniunt. Eupraxia demum importat bonum vſum eorum, quæ poſſidemus. Praclare quoque Architas apud Stoboeum ſerm.1. ait Macariſmum conſurgere ex copia bonorum fortunæ: & ex macariſmo cum virtute, ac probitate coniuncto eudæmonian: ideoque, demptis fortunæ bonis, ſeruari probitatem: at non macariſmum, neq; eudæmonian: hæc Architas. porro macariſmus non eſt abſque copia bonorum fortunæ; hæc enim lætitiam vulgo gignunt. illis demptis, non videtur genius bene conſtitutus: niſi ſi quis naturæ imbecillitatem excellenti quadam virtute ſuperauerit.*

2 *Nec vulgus, & ſapientes conſentiunt.] Sapientum nomine Platonicos innuit. triplex vero eſt harum de felicitate opinionum diſcrepantia. prima inter multitudinem & Platonicos. illa in vno quopiam ex ijs, quæ ſunt in promptu, quæq; ad manus habentur felicitatem conſtituit; hi vero in aliquo ſeparato per ſe bono, quod ceterorum omnium bonorum ſit cauſſa. altera eſt diſcrepantia inter ipſos populares. hi enim diuitijs palmam deferunt: illi honoribus: alij voluptatibus. poſtrema in vno eodemq; homine reperitur quo ad ſe ipſum, vbi mutauerit conditionem, atque ſtatũ: uel alterius mentis factus fuerit. cuius inconſtantiæ tres poſſunt reddi cauſæ. prima, quia maiore in pretio habentur ea, quibus caremus; habita uileſcunt, & afferũt ſatietatẽ. altera, quia nouimus in-*

commo-

commoda,quæ ſtatum noſtrum circumſtant:ignoramus ea,quæ ambiũt alienum; ideo facile damnamus propriam conditionem,capti externã ſpecie felicitatis aliorum. tertia,quoniam homo,natura impellente, uult eſſe felix; nec,ea non obtenta,conquieſcit. cum igitur nihil infra lunam ſit,quo expleatur hominis animus:ueterum faſtidio captus, quærit ſubinde noua,& meliora; in eoq; errore perpetuo circumagitur infelix,perinde ac Siſyphus ad ſaxum damnatus. Flaccus,eum huius facti cauſſam diligenter indagaſſet,concludit,hinc fieri:

Vt raro qui ſe vixiſſe beatum
Dicat, & exacto contentus tempore vitæ
Cedat vti conuiua ſatur,reperire queamus.

3 *Et qui ſibi ſunt ignorantiæ conſcij.*] *non tamen omnes. multi enim ignorant: nec ſcire magni faciunt; imo contemnunt eos,qui ſunt eruditi. alijs præterea perſuaſum eſt, ſe doctrina pollere; cum nihilominus ſint eius,quod profitentur,ignari. hi nedum præſtantes in eo genere uiros non admirantur: ſed etiam opinione propriæ excellentiæ decepti,contemnunt; ijdemq; difficillime ſanantur. quod ſi à falſa exiſtimatione gradum fecerint ad dubitationem, melius ſe habere incipient; eritque ſpes,fore,ut conualeſcant; quod Plato tradit in Memnone; atque Ariſt. 4.metaph.tex.19.*

4 *Atq; omnes quidem opiniones expendere.*] *octo & octoginta ſuprã ducenta de ſumma bono placita fuiſſe,refert ex Varrone S. Auguſtinus; quam porro confuſionem multorum eſſe cauſſam peccatorum,tradit Galen. lib. de cuiuſq; animi peccatorum notitia. nam qui felicitatem uoluptate metitur, vitam inſtituit libidinoſam. qui diuitias auet, ſtudet rapacitati. nec ad finem ab honeſto ſeiunctum bonis artibus euaderẽ poſſumus.*

5 *Vel quæ ratione aliqua niti videntur.*] *hæ opiniones recenſendæ ſunt: &,ſi falſitas ſubeſt, refellendæ; ne, cum veritati ſint proximæ,in errorem ſimilitudine inducant. multa enim falſa ſunt probabiliora veris,vt Ariſt. docuit.& Heſiodus in Theogonia,*

Scimus falſa loqui non pauca ſimillima veris.
Sic doctæ magni muſæ Iouis inclita proles.

6 *Forte igitur initium faciendum ab ijs, quæ ſunt nobis nota.*] *ab effectibus igitur ad cauſſas. effectus vero ſunt probæ actiones, quæ uirtute,atq; felicitate uidentur notiores. quare oportet auditorem huius diſciplinæ eſſe bene moratum. ita enim ſtudioſas functiones amplexabitur; idque ſatis eſt.*

7 *Satisq; habebit ſcire rem ita eſſe; idq; ponet quaſi principium.*] *uariant codices hoc loco. alij enim legunt* ἀρχὴ γὰρ τὸ ὅτι; *principium enim eſt rem ita eſſe; alij uero,* ἀρκεῖ γὰρ τὸ ὅτι; *ſatis eſt enim rem ita eſſe. utramq; lectionem paraphraſi ſum complexus; nam & principium eſt in hac facul-*

culta-

tate τὸ ὅτι; rem ita eſſe; & hoc ſcire ſufficit, etſi neſciamus τὸ διότι; cur ita res ſit; nam principiorum non quæruntur probationes. Verbi gratia, qui bene eſt educatus, per ſe intelliget, temperanter viuendo, acquiri virtutis habitum: omnemq; difficultatem, quæ abſtinendo Venere, & Baccho antea percipiebatur, paulatim tolli; vel ſi minus per ſe nouerit, alteri affirmanti fidem habebit. tenebit itaq; τὸ ὅτι, rem ita eſſe: ſeu hunc eſſe rei illius effectum; nec magni faciet ſcire, cur ita ſit; id enim forte alterius eſt facultatis; illius videlicet, quæ animum hominis, eiusq; vires, & facultates contemplatur. ſic gubernatori ſatis eſt noſſe, oriri Eteſias circa ortum Caniculæ; deſinere poſt diem quadrageſimum; cur autem ijs potiſſimum diebus exurgant, cadantque, eius non eſt inueſtigare, ſed Philoſophi, ſeu Aſtronomi. Sic etiam Ariſtoteles 1. metaph. cap. 1. ait, empiricos, ſiue vſu peritos tenere τὸ ὅτι: ſcientes vero adhuc διότι. addit, ſenſum iudicare tantum de effectu rerum, non de cauſa; vt ignem eſſe calidum; non cur ſit calidus. vbi ijſdem terminis vtitur, ὅτι, διότι. De his plura in lib. 2. poſteriorum.

8 *Optimus ille quidem.*] *vulgata omni æuo ſententia. vſurparunt illã Minutius apud Liuium l. 32. Cicero in Cluentiana; & Heroum temporibus Hæmon Creontis filius in Antigone Sophoclea his verbis:*

Id equidem dico longe excellere,
Virum refertum omnifaria ſcientia.
Quod ſi ſecus, (raro enim hoc contingere
Solet) bonum eſt audire dicentes bene.

Recenſentur, & refelluntur plures de ſummo bono opiniones. Cap. V.

SEd, vt ad inſtitutum reuertamur, ex varijs viuendi generibus, nõ ſine aliqua rõne, varias ſibi fingunt ſedes beatitudinis. tria vero illa ſunt maxime inſignia. vnum in voluptate poſitũ; alterum in adminiſtratione Reipub. tertium in cognitione, & contemplatione rerum. Et vulgus quidem, atque [1] grauiſſimi, ſeu moleſtiſſimi, & oneroſiſsimi quique in voluptate collocant beatitudinem. itaq; vitam illam amplexantur; quæ tota perfruendis voluptatibus tranſigitur. qua in re imitantur mancipia, cum pecudum vitam ceteris anteponant. Sed probabili quadam nituntur ratione; quod complures eorum, qui potiuntur rerum, affectibus animi ſeruiunt; vt Sardanapalus. *Magni vero refert qualia in vulgus exempla edantur ab ijs, qui præſunt magiſtratibus; vel auctoritate excellunt. nam* [2] *quales in Repub. principes, tales reliqui ſolent eſſe ciues; & quo illi tendunt, eodem iſti transferunt cupiditates; quod perſuaſum habeãt, in proſequutione ſummi bo-*

mi bo-

mi boni viros magnos non temere ferri: [3] Politi vero homines, quique ſunt rerum agendarum ſtudioſi, beatitudinem ab honore petunt; [4] vitæ enim ciuili non alius fere propoſitus eſt finis.

At videtur beatitudine infirmior, minusq; ſtabilis. eſt enim honor ſitus in ijs potius, qui honorem deferunt; quàm in eo, qui honore afficitur: quare in duobus recedit à ſummo bono; tum quod non eſt proprium quiddam eius, qui honoratur: ſummum vero bonum eſt illius, qui habet, proprium; tum quod honor facile eripitur: ſummum vero bonum eſſe quid ſtabile auguramur, quodq; difficile amittatur. his accedit, quod ſummum bonum non appetimus ob aliud; at honorem perſequi videntur, vt quaſi teſtes habeant propriæ virtutis, *dum enim ſe honorari vident, magis confirmantur in ea, quam de ſua probitate habent, ſententia.* quare honorari volunt à prudentibus, quibus ipſi noti ſint, idq; ſibi exhiberi virtutis ergo. *quanti enim hominis, vel improbi, vel rei, de qua teſtimonium ferendum eſt, ignari iudicium valeat?* perſpicuum igitur eſt, virtutem eſſe quiddam honore melius, & præſtabilius. [5] Quare hanc forte quis vitæ ciuilis finem potius conſtituat. ſed & ipſa quoq; ſummo bono inferior apparet, vti manca, & imperfecta. contingere enim poſſe videtur, vt qui virtute ſit præditus, aut dormiat, aut in vita nihil agat, vel in maximis calamitatibus verſetur: quem nemo in beatis numerauerit; niſi propoſitum admirabile, atque à communi ſenſu prorſus alienum pertinaciter tueri velit. Ac de his quidem ſatis; quando de ijs copioſe, nobis eſt in [7] Encycliis diſputatum. de tertio autem viuendi genere, quod in contẽplatione verſatur, poſterius conſiderabimus. His quartum adiungere licet eorum, qui in pecuniæ quærendæ ſtudio toti ſunt poſiti. ſed vita iſta [8] cum vi coniuncta eſt: à qua felicitas abhorret. *quod enim à vi eſt, moleſtiam affert; nec perſeuerat.* Et certe in diuitiis non eſt bonum, quod quærimus. illæ enim ſunt de genere vtilium, & propter aliud expetuntur. quamobrem maiore ratione quis eos, quos ſupra commemorauimus, fines eſſe dixerit; cum propter ſe adamentur, vt voluptas, atque virtus. Verum nec illi quidẽ ſunt vltimus finis hominis; quemadmodum pluribus oſtendimus. verum hæc miſſa faciamus.

S C H O L I A.

1 GRauiſſimi, ſeu moleſtiſſimi.] φορτικώτατοι. *quaſi oneroſiſſimi.* φόρτος *enim onus proprie ſignificat, & vocabulo tranſlato moleſtiam, atque importunitatem. eſt quippe genus iſtud hominum, qui ſectantur voluptates, putidiſſimum, maximeque importunum.*

2 Quales in Repub. *principes.] vita principum eſt interdum quaſi lex tacita; & quicquid faciunt, præcipere videntur, vt Quintil. ait declam. & pulchre Claudianus;*

Tunc

Tunc obſeruantior æqui
Fit populus, nec ferre vetat, cum viderit ipſum
Auctorem parere ſibi. componitur orbis
Regis ad exemplum; nec ſic inflectere ſenſus
Humanos præcepta valent, vt vita regentis.

3 *Politi vero homines.*] *in hac ſerie Periandrum, Pittacum, Lycophronem, Pompeium, Cæſarem collocare licet.*

4 *Vitæ enim ciuili non alius fere propoſitus eſt finis.*] *fere dixit, quia non deſunt, qui ex Reipub. adminiſtratione diuitias malint percipere, vt Craſſus; vel patriæ ſalutem, ciuium vtilitatem quærant, vt Phocion, Ariſtides, M. Cato. de honore vero multa ſcripſimus in peculiari commentario, qui lucem nondum aſpexit.*

5 *Quare hanc forte quis vitæ ciuilis finem potius conſtituat.*] *fuit hæc opinio celebris ætate Ariſtotelis, quam poſtea Zeno reddidit illuſtriorē. idipſum Cleanthes, Poſſidonius, Hecaton, Antiſtenes, Diogenes Babylonicus ſunt opinati; qui tantum tribuere virtuti, quantum Horatius lepidis illis complectitur carminibus lib. 1. epiſt.*

Ad ſummam, ſapiens vno minor eſt Ioue; diues,
Liber, honoratus, pulcher, Rex deniq; Regum
Præcipue ſanus, niſi cum pituita moleſta eſt.

6 *Niſi propoſitum admirabile &c.*] εἰ μὴ θέσιν διαφυλάττων. *Ariſtoteles 1. top. cap. 9.* θέσιν *definit, eſſe poſitionem, ſeu opinionem admirabilem; vt,* non licere aliquid aſſerenti contradicere, quemadmodum dixit Antiſthenes. *eiuſmodi eſt hæc;* ſolam virtutem ſufficere ad beatitudinē. *alias* θέσις *accipitur pro quacumque propoſitione; quam acceptionem ſi hic recipias, dictum Ariſtotelis erit ita explicandum: hominem virtute quidem præditum, ſed in maximis vnà calamitatibus conſtitutum, in beatis nemo numerauerit, niſi qui poſitionem ſemel temere prolatam pertinacius, ne de ſententia deceſſiſſe videatur, etiam contra proprium ſenſum tueri velit. ſimili loquendi modo lib. 3. de cælo, contra pertinaces in diſputando vſus eſt Ariſtot.*

7 *In Encyclijs.*] *Euſtratius hic citari ait libros ab Ariſtotele metro editos de felicitate; quorū, etſi ætate ſua non extarent, complures tamen auctores meminiſſent. fauet huic ſententiæ Suidas, vbi poetica quædam Ariſtotelis ſcripta appellat; eaq; coniungit cum encyclijs.* ἐγκύκλια λέγεται, ἢ τὰ ποιητικά. *Quid Guglielmus Sirletus Cardinalis, trium linguarum Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ, omniſq; tum ſacræ, tum profanæ antiquitatis theſaurus, hac de re per litteras conſultus reſcripſerit, habes hic apud Lambinum in annotationibus. Ego encyclios libros eoſdem eſſe cenſeo cum exotericis; de quibus copioſe tractamus in propria digreſsione ad cap. 13. huius libri.*

8 *Cum vi coniuncta eſt.*] βίαιός τις ἐστί. *neq; enim qui diuitias amant,*

facile diteſcunt,ni deſcendant ad vim inferendam. & cum nihil non ſit agendum cauſſa felicitatis, cuius à natura nobis inditus eſt appetitus, vbi felicitatem in diuitijs poſuerint,cenſent ſibi omnia in omnium fortunas licere. quare aliquando Syllæ Dictatori à quodam exprobratum eſt, non poſſe illum eſſe virum probum, qui tantas opes poſſideret, cum à patre nihil accepiſſet; *vt Plutarchus refert. Vel cum vi coniuncta eſt,hoc eſt,cum labore. vita enim pecunijs cogendis dedita laborioſa admodum, & inſuauis apparet. Lambinus legit* ζῶν ἄβιος τις βίος, *ideſt, vita non vitalis; ſcilicet ob ingentes moleſtias,immanesq; animum diuexantes cupiditates.*

Summum hominis bonum non eſſe Ideam.
Cap. VI.

VNiuerſum vero bonũ,quod ceteris oĩbus, cur bona ſint, cauſſa eſt, conſiderare,quoque modo dicatur inueſtigare,forte non ab re fuerit; etſi nobis ardua,moleſta, lubrica ſit hæc quæſtio futura: *non tam ob difficultatem operis,quam* quod [1] Ideas & vniuerſales iſtas rerum formas homines nobis amici introduxerunt; *ad quorum oppugnanda decreta non poſſumus accedere abſque moleſtia.* [2] Sed veritatis tuendæ cauſſa,præſtiterit, vel noſtraſmet poſitiones euertere; cũ philoſophi ſimus, ſapientiæ & veritatis amici. nam cum vtrique cari ſint, pium & ſanctum videtur amicis præferre veritatem. Porro qui hanc opinionem inuexerunt, non conſtituebant Ideas in ijs rebus, in quibus eſſet prius & poſterius; vt ſunt numeri; *quia cum ternarius prior ſit quaternario: prius etiam, quam ille, numeri fieret particeps. id vero ideæ atq; ſpeciei ratio non recipit, quæ omnibus indiuiduis eſt æque communis; vt & genus quoque ipſis ſpeciebus.* Id ſi verum eſt, vt ab iſtis ponitur,fruſtra quærunt ideam boni. bonum enim ita vagatur per omnes categorias,vt de ſubſtantia prius dicatur,quam de quali: vel quanto: vel de eo quod ad aliquid; quippe quod conuertatur cum ente; quod prius natura eſt in eo, quod eſt quid, & per ſe, quam in eo,quod in alio eſt, & ad aliud refertur. hæc enim pullulant ab eo,quod per ſe eſt,quaſi ab arboris trunco fruticationes. *Deinde ijdem ponunt ideam,vt ſit forma & eſſentia rerum;* quorum igitur nõ eſt vna cõis ratio, non poteſt vna eſſe idea;ſed categoriarum non eſt vna ratio cõis; nec quod eſt, ipſumq; bonũ æque oẽs reſpiciunt. nam in categoria ſubſtantiæ Deus,atq; mens dicuntur bona; in qualitate, virtus; in quantitate, moderatum; in eo quod ad aliquid vtile; in tẽpore occaſio; & in loco, cõmoratio; in his aũt eſt diuerſa ratio entis, ergo diuerſa etiã ratio boni. non poteſt igitur vna eſſe boni idea; ita

enim

enim bonum non de omnibus categoriis, verùm de vna tantum dicerétur; *vel ſe ad eas haberet, vt genus ad ſpecies; quod non eſt aſſerendum. Tertio ijdem ponũt ideas, ad habendam rerum, quæ ſub idea ſunt, ſcientiam; quæ porro, vt ipſi cenſent, ſine idea non contingeret mortalibus*. Quorum igitur vna eſt idea, eorum vna erit ſcientia; ſed nõ omnium bonorum, imo nec omnino eorum, quæ vni categoriæ ſubijciũtur, vna eſt ſcientia; nam opportunitas bonum eſt & vnius categoriæ: at aliter in militia conſideratur ab Imperatore: aliter à Medico in curanda valetudine: ipſaq; mediocritas aliter in victu à medicina obſeruatur: aliter in laboribus ab arte illa, quæ corpora exercet; ergo neq; bonorum vna erit ſcientia. *Quarto*, cum iſti per ſe bonum, à bono: & per ſe hominem, ab homine: & demum per ſe vnũquidque, ab vnoquoq; diſtinguunt, iuſtam nobis præbent cauſſam de ipſorum mente dubitandi. nam [3] & homo, & per ſe homo, vterq; homo eſt, vniuſq; rationis; cùm, per ſe homo rationem hominis habeat, neceſſe, ſit. igitur & per ſe bonum eiuſdem erit cum bono eſſentiæ; nullaq; inter hæc, quo ad rationem, ſtatuetur differentia. cur igitur ideam, & ipſum per ſe bonum diſtinguunt, & ſeparãt à ceteris bonis? *Quinto*, [4] aiunt iſtud per ſe bonum, quia eſt ſempiternum, eſſe magis bonum. atqui album diuturnum non eſt eo magis album, quod vnum diem fuit album. nec igitur bonum ſempiternum melius erit temporario. quare probabilius Pythagoræi, & qui eos ſequutus eſt, Speuſippus loqui videntur: cum duas ponunt ſeries: bonorum alteram, alteram vero malorum: & omnia bona reducunt ad vnum, ſeu monadem: qui ſermo, etſi à veritate ſit alienus, minus tamen diſtat à communi ſenſu, quam qui ab iſtis profertur. Verum de Pythagoræorum commentis non eſt hic diſſerendum; quare ad propoſitum reuertor. Oritur autem in prædictis dubitatio eiuſmodi. bona, vel ſunt per ſe bona, & propter ſe expetuntur, vt virtus, & ſanitas; vel eatenus bona ſunt, quatenus horum ſunt efficientia, vel conſeruantia; vt medicina; quæ bona vtilia, non per ſe bona, nuncupantur. ſeiunctis igitur his ab illis, an quæ per ſe bona ſunt, vna & eadem idea contineantur, videamus. quo loco interrogo; quæ nam cenſenda ſunt per ſe bona? an quæcumq; vel ſola, ceteris etiam deſtituta bonis, ſectamur: qualia ſunt ſapere, videre, & nonnullæ voluptates, & honores? hæc enim, etſi propter aliud quidpiam quis forte amat, ordinemque inuertit, *dum verbi gratia, veritatem inueſtigat, vt eam venalem habeat:* tamen in bonis per ſe, & natura ſua bonis, ſunt numeranda. an nihil erit per ſe bonum præter ideam? id certe dici non poteſt; nam apparet manifeſte multa eſſe per ſe bona, vel ab aliis omnibus deſerta, contenta ſeipſis. inutilis igitur eſt idea. *rebus enim per ſe bonis quærere bonum ſuperius, quod illis largiatur bonitatem, ſuperua caneum*

omnino

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

omnino videtur; cum præſertim neceſſe ſit,tũ in idea, tum in his quæ
per ſe bona ſunt,eandem elucere boni definitionem, perinde ac in ni-
ue, atq; ceruſſa candor ſpectatur eiuſdem rationis. at honoris, pru-
dentiæ voluptatis, etiam qua bona ſunt, diſsimiles habentur defini-
tiones. neq; enim eadem eſt in omnibus bonitatis ratio, nec eodem
modo appetuntur; non eſt igitur ſummum bonum commune quid-
dam,quòd vna conſtet idea. Quonam igitur modo bonnm de his di-
citur? quoue pacto hæc ſingularia bona boni in vniuerſum ſumpti
appellationem recipiunt? neque enim æquiuoce,ſeu per ὁμωνυμίαν bo
num de ijs dicitur; vt in appellationibus fortuitis. *illum enim in
Aegypto natum, & hunc Athenis ortum Ptolemæum parentes appella-
runt,altero alterius facti inſcio. iſtudq; nomen æquiuocum eſt. at bona
natura conſtant; neq; in eorum appellationibus fors habet locum.* An
bonum aliquod omnibus commune dicitur, quòd ab eo, vt à princi-
pio,proficiſcantur omnia, & in illud ipſum deſinant, ceu in vltimum
finem? An potius per analogiam,ſeu proportionem,qua, vt in corpo
rè oculus videt, ſic in animo videre menti attribuitur, bonum quod
per ſe de ſubſtantia dicitur, etiam de accidente dicetur, ob propor-
tionem,quam habet ad ſubſtãtiam? *Corpus enim bonum dicitur,quia
per ſe bonum eſt; album vero bonum quoque dicitur, quia eſt ad orna-
tum corporis; cubitale etiam,quia eſt eiuſdem menſura. num igitur bo-
ni appellatio communis quidem erit illis: ratio vero,nomini comparata,
partim eadem erit,partim diuerſa? Et quidem hac ratione bonum pone-
re per analogiam omnibus commune bonis,eſt veritati conſonum. ſiue
etiam malis,bonum ſtatuere,cæterorum omnium principium,(à quo ha-
beant,vt ſint) atque finem, nihil proferes à veritate alienum. magis ta-
men illud per analogiam bonum præſenti dubitationi ſatisfacit; quia
bonitatem interiorem continet rebus inhærentem; aliud vero bonum,
quod,quo cetera ſunt,principium eſt,bonitatem rebus externam comple-
ctitur*. Sed hæc, ideasq; omittere præſtat, vti ad aliam philoſophiã,
quæ prima dicitur, attinentia; ab hac vero, quam præ manibus ha-
bemus, valde remota. Nam etſi aliquod eſſet vnum ſummum bonũ,
cuiuſmodi iſti ponunt,per ſe bonum, ſeparatum, & ſeiunctum à cete-
ris,quodq; de multis diceretur, nulli nobis eſſet vſui; quippe quod
nec in functiones humanas cadere,nec ab homine comparari poſſit.
nunc vero tale aliquid quærimus, quod prope ſit, cuiuſq; compotes
fieri poſſimus. at idea longiſſime diſtat; nec facile eſt ad eam pertin
gere. Sed reſpondeat quis forte ex iſtorum cohorte; ſatius eſſe bo-
num iſtud ſeparatum cognitum habere,ad ea bona, quæ agi, quæque
obtineri poſſunt, comparanda. Nam ipſo bonorum quaſi exemplari
ſub oculis poſito, facilius quæ nobis bona ſunt, cognoſcemus, atque
conſequemur. Ceterum hæc ſpecioſe dicta, plurimum diſcrepant ab

artibus,

artibus, atque ſcientijs. nam cum omnes bonum aliquod expetant, & quod deeſt, quærant: ideæ tamen cognitionem nihili faciunt, & omittunt. quis enim medicus vnquam ſanitatis quæſiuit ideam? atqui non eſt credibile artifices omnes tantum bonum, tantumq; adiumentum ignoraturos, ac ne loco quidem ſe moturos ad eius inueſtigationem. Illud quoq; dubitationem facit penè inexplicabilē; quidnam emolumenti ad ſuum artificium ex iſtius ſummi, ac ſeparati boni cognitione textor, vel faber ſit conſequuturus; aut quo tandem modo aut medicus ad medendum; aut imperator ad exercitum ducendum, aptiores futuri ſint: poſteaquam ideam alter ſanitatis, alter victoriæ fuerint contemplati. medicus certe valetudinem in cōmuni non inſpicit, ſed hominis, imo potius huius hominis. ſingulis enim adhibet medicinam, & in ſingularibus verſatur; tantum abeſt ab vniuerſali. Sed de his hactenus.

SCHOLIA.

1 I*Deas, & vniuerſales iſtas rerum formas homines nobis amici introduxerunt.*] *Platonem intelligit, qui ideas, ab alijs ante ſe inuectas, ſuis diſputationibus adeo illuſtrauit, vt merito eorum auctor cenſeatur. Certe antiquiores alij ideas inuexerunt; vt Parmenides, Euſtratio referente in hoc capite; & Epicharmus Siculus, poeta comicus; à quo ideas, aliaq; per multa ad philoſophiam attinentia Platonē accepiſſe, ac in ſuos dialogos transtuliſſe, in libris ad Amintam ſcripſit Alcinous; vt Laërtius refert; vbi eiuſdem Epicharmi de ſuis operibus adſcribit vaticinium, hic verbis.* Vt autem ego puto, imo pro comperto habeo, mearum adhuc erit memoria rerum, meorumq; ſermonum; eiſq; quiſpiam acceptis, metro ſoluto, quo nunc cōſtant, coloreq; adiecto, purpuram venuſtate verborum componet; inuictusq; ipſe alios facile ſuperabit. *quod porro, ſiue præſagium, ſiue malis coniecturam, viſus eſt Plato expleuiſſe.*

2 *Sed veritatis tuendæ cauſſa.*] *eadem excuſatione Socrates vſus eſt, cum carperet Homerum l. 10. de Repub.*

3 *Et homo, & per ſe homo, vterq; homo eſt.*] *imo magis homo ille eſt, qui ab alio habet, vt ſit homo, quam idea hominis, ſi exiſteret. eſto enim homo Dei beneficio ſit homo, ac in Deo ſit hominis exemplar; Deus tamen non eſt per ſe homo.*

4 *Aiunt iſtud per ſe bonum, quia eſt ſempiternum.*] *longiore æuo frui non arguit naturam præſtantiorem. id enim à ſumma interdum ignobilitate prouenit: vt in materia prima, quæ non corrumpitur, quia non eſt, in quod corrumpatur; cum ipſa ſit vltimus, atq; viliſſimus terminus corruptionis. Lapides etiam diutius perſeuerant, quam arbores; quia non egent alimento; magiſq; reſiſtunt contrarijs adiacentibus. inter arbores, ignobiliſſimæ, & aſperrimæ quæq; ſunt vitaliores; tum quod munita*

nitæ ſunt cortice duriore, quo contrarijs firmius reſiſtunt, atq; ſeruant melius natiuum ſuccum: tum quod, cum craſſioris ſint temperaturæ, quibuſcumq; alimentis oblatis nutriuntur. homo breuioris eſt vitæ, quã ceruus, quia in delicato temperamento multis vndiq; ſeptus eſt contrarijs. canibus breuiſſima contingit ætas, ob imperfectam, minusq; cohæren tem temperaturam; multis inſuper ambientium corporum detrimentis expoſitam. Hæc etſi vera ſunt, illud nihilominus, quod à Platone ponitur, non euertunt; videlicet, quod per ſe bonum eſt, cum ſit æternum, eſſe ceteris, non per ſe bonis, ad tempus permanentibus, melius & optabilius. æternitas enim interdum eſt à ſumma rei perfectione, vt in Deo; eaq; à nemine eſt accepta. alias æternitas ab alio accepta naturæ adhuc ſequitur ſimplicitatem, ſtatumq; ab omni materia ſeiunctum; vt in intelligentijs. talem Plato conſtituit ideam, ſimplicis naturæ, atq; à materia ſeparatæ. quid igitur impediat Ideam boni ceteris bonis eo nomine facere meliorem, quod hæc ſit æterna ob rationem dictam: illa vero ob materiæ commercium temporaria, & caduca? Huc accedit, quod cum æternitas includat rationem boni per omnia vagantis: vt ipſa per ſe in infinitum extenditur, ita interminatam continet bonitatem. quo potiſſimum argumento Ariſtotelis ratio, ab albo vnius diei, & centum annorum deducta euertitur; cum albedo non ſit de ratione permanſionis rei albæ; nec in eiuſdem notionem veniat: contra vero bonum ſit de ratione permanſionis rei; quare album ob longiorem vitam non ſit magis album: ſed poteſt ob eam cauſſam fieri magis bonum. Sed aduertendum, hic Ariſtotelem progredi per dicta Platonis; arguereque, vt aiunt, ad hominem. ille enim quemadmodum ſuam equis ideam aſſignabat, homini ſuam, leoni ſuam: ita omnium bonorum faciebat vnam ideam, quæ per ſe eſſet vniuerſum bonum. quapropter rem per omnia vagantem, ambituque ſuo cuncta comprehendentem, in ordinem redigebat, quaſi vnam è reliquis rerum ſpeciebus. vna vero ſpecies non affirmatur, ſeu prædicatur de alia. neque enim leo dicitur de boue. quare nec bonum certæ ideæ ac ſpeciei adſtrictum dicetur de alijs; ac proinde non affirmabitur de vita, & permanentia rerum. iure igitur ſic Ariſtoteles agit. album vnius anni non eſt minus album eo, quod centum annos fuit album; igitur nec bonum, quod ſemper fuit, erit melius eo, quod nuper eſſe cœpit; ratio enim permanendi ſeparata eſt à ratione boni iuxta Platonis doctrinam: ſicut ab eadem ſeiuncta eſt ratio albi. ruit igitur ideæ præſtantia ex iſto fonte à Platone deducta. Hæc ſi minus placent, dicas, Ariſtoteli ſatis hic eſſe, ſi oſtendat, non eſſe omnino, & in vniuerſum verum quod Plato, vti principium, ponit, quod ſempiternum eſt, eo ipſo eſſe præſtabilius. Limatius vero ea de re diſputare, non eſt huius philoſophiæ.

Quid Plato ſenſerit de Ideis.

IN hac materia ab ingrato diſcipulo iniquiſſimis, & impudẽtiſſimis calumnijs Platonẽ peti, opinantur non pauci; adduntq; longe aliter de ideis ſenſiſſe illum, quam ſcribat Ariſtoteles. Alcinous lib. 1. de doctrina Platonis; & Plutarchus primo de Placitis cap. 10. aiunt, ideas à Platone collocari in mente diuina, vt ſint principia, & rationes producendi creaturas; eſſeq; illas vnum & idem cum Deo. quæ ſententia, ſic explicata, vera eſt, & catholica: firmata à magno Dionyſio cap. 5. de diuin. nomin. Exemplaria, *inquit*, dicimus in Deo rationes ſubſtantificas, per quas omnia produxit. *eaſdem ideas agnoſcit D. Auguſtinus lib. 83. quæſt. in 46. quæſt. vbi ait; eſſe ſimilitudines in mente diuina, ad quas reſpiciens operatur omnia; & contrarium aſſerere, eſſe ſacrilegum. addit, eum, qui videt ideas, eſſe beatũ, quia ſunt idem cum Deo. idipſum confirmat lib. 9. de ciu. Dei cap. 22. & lib. 11. cap. 25. & ante illũ Clemens Alexan. lib. 4 & 5. ſtrom. Iuſtinus Martyr in Parænesi ad Gentes. Euſeb. l. 2. de præparat. cap. 2. Ceterũ non adeo egregie de ideis ſenſiſſe Platonem, vt Alcinous, & Plutarchus exiſtimant, docet S. Gregorius Nazianzenus, vt alios omittam. Ille enim in orat. 1. de Theologia has ipſas Platonis ideas homini Chriſtiano, diſputandi ſtudioſo, ſuadet oppugnandas: nec ego à Nazianzeno diſcrepauerim. vt enim in hac diſputatione Plato recta progredi cœperit; cito nihilominus deflectit, & aberrat à uia. Quid enim opus erat ideam conſtituere, vt ortus rerum fieret ſempiternus: cum cælum abducto & reducto ſole, generationis parente, id præſtet: vt Ariſtoteles tradit 2. de generat. tex. 55. vel ſi cum Theologis loqui malis, rerum ortus neceſſario perſeueret impulſus, & concitatus Dei præcepto:* Creſcite, & multiplicamini, &c. Proferat terra herbam virentem facientem ſemen, *alijſque his ſimilibus?*

Eiuſdem vanitatis ratio illa damnanda; ponendas eſſe ideas, ne ſcientia deſtruatur. ſcientia enim eſt quidẽ de vniuerſalibus; at vniuerſale non opus eſt in idea quærere, cũ ſit in ipſis ſingularibus; qualis eſt rerũ natura per ſe ſumpta, quæ in ſingularibus perpetuo perſeuerat, vt Alexander Aphrodiſienſis docet lib. 1. nat. quæſt. cap. 3. Sed nec erãt inducẽdæ ideæ, vt ea, quæ non ſunt per ſe talia, idearum beneficio talia redderẽtur. homo. n. intrinſecus eſt per ſe homo: extrinſecus vero à patre, auo, ac demũ à Deo conditore. Præterea otioſæ ſunt ideæ, quia non deſcendũt ad ſingularia. Adhuc ſi exiſtũt, neceſſario erunt ſingularia; non igitur formæ vniuerſales. omne. n. quod exiſtit, ſingulare eſt; cum exiſtere ſit ratio formalis conſequens ſingularitatem. Vnum etiam numero non poteſt eſſe in multis re diſtinctis; idea, ſi exiſtit, eſt vna numero; igitur non erit in multis ſingularibus, nec forma vniuerſalis. Demum Plato, vbi tria facit in Timæo rerum principia, Deum, ideam materiem: ſeip-

ſum videtur erroris damnaſſe, quod ideam, vti & materiem, ſeparet à Deo; vt merito ab Ariſtotele quaſi commentitia refellatur.

Traditur definitio beatitudinis. Cap. VII.

IAm vero ad bonum, quod quæritur, cuiuſq; compotes fieri poſſumus, reuertamur: & quid illud tandem ſit, videamus. Aliud enim in alia actione, & arte bonum eſſe videtur; vt in medicina, bona valetudo: in arte imperatoria, victoria: in arte ædificandi, domus: in omni demum actione, & electione finis ipſarum: quandoquidē huius cauſſa reliqua omnia agimus. Sed iſta bona, iſtiq; fines ita diſponuntur, vt vnum velimus propter aliud; *alias confuſio ſumma exiſteret.* quapropter, *ne abeamus in infinitum*, ſtatuendi ſunt vnus, vel plures vltimi fines omnium rerum agendarum, quos propter ſe velimus, & cetera omnia propter illos. diuitias porro, & tibias appetimus propter aliud: *has ad muſicen: illas ad victum & cultum*. quamobrem instrumenta ſunt, & de genere vtilium, non fines; idq; illa arguit minus perfecta. vltimus vero finis, vt optimum quid eſt, ita & perfectū. quare propter ſe ſumitur, non propter aliud. Si quis ergo datur vnus finis rerū agendarū vndiq; abſolutus, hic ille erit, quē quærimus: ſin plures, horū abſolutiſſimus. at quicquid gratia ſui expetitur pfectius eſt eo, quod appetitur gratia alterius. & quod numquā propter aliud optabile eſt, ijs, quæ tū propter ſe, tū propter aliud eliguntur, magis eſt abſolutū. Ergo, vt vno dicā verbo, perfectum, id eſt, quod ſemper propter ſe ſumitur: nunquā propter aliud; qualis videtur eſſe beatitudo. hanc enim propter ſe ſemper optamus, nunquā propter aliud; ideoq; omnium rerum quid abſolutiſſimum eam ponere debemus. Itaq; honorem volptatem, mentem ſanam, & vegetam, & omnem animi, corporiſq; virtutem cum propter ſe illas quidem amamus, (nam etſi ad alia ea non conducerent, tamen eorum vnum quodque optaremus) tum vero beatitudinis cauſſa; quod exiſtimemus illis adiumentis nos beatos futuros. At beatitudinem nemo neque harū, neque alius rei cauſſa expetit. *ex quibus concluditur ſummum hominis bonum, & vltimum finem nihil aliud eſſe, quam beatitudinem, ſeu felicitatem*. quod & hoc argumento commode confirmari poteſt. Bonum enim, quod vndique perfectum eſt, ipſum per ſe ſatis ſibi eſſe, nullamq; rem externam deſiderare videtur. quare qui eo fruitur bono, ſuiſmet inſtructus diuitiis, nihil aliunde quæret. copiam vero bonorum in eo tantam ſtatuo, quanta non ſolum ſit ſatis homini ſolitariam vitam ducenti; ſed quanta parentibus, & liberis, & coniugi, & vt ſemel dicam, amicis, ciuibuſq; præſto eſſe volenti, ſufficiat. eſt enim homo non ſibi ſolum natus, ſed ad ciuilem quoque ſocietatem

compa-

comparatus. vbi nihilominus certi ſunt limites ponendi : ne ſcilicet ad amicorum amicos, poſteroſque, vel etiam longius, latiuſq; hoc hominis ſummo bono fruentis officium extendamus ; *nec immenſam quandam copiam bonorum ; qualis ad promerendum de tanta multitudine requiritur, ab eo exigamus*. ita enim res in infinitum creſceret, *nec temere vllus reperiretur, quem merito beatum diceremus*. qui limites quouſq; ſint proferendi, poſtea diſſeremus. *in diſputatione ſcilicet de amicitia*. Copiã autem iſtam bonis omnibus ſe ipſa cumulatam, ponimus eam, quæ ab aliis bonis deſerta, vitam nihilominus efficit optabilem ; nulliuſq; rei egentem . *hoc enim indicat, eam niti vi ſua ; nec alienæ opis indigam eſſe*. at tale quiddam eſt beatitudo ; *beatus enim nihil aliunde quærit*; eſtq; ea maxime omnium optanda, etiã ſi cum alio bono non coniungatur. *quid enim viro beato opus eſt rebus alienis, vel longe à ſe poſitis ?* [1] Nec tamen inficior, addito aliquo alio, vel minimo bono, beatitudinem reddi optabiliorem. quia bonum, quod accedit, auget bona, quæ inuenit. bonum vero, quo eſt maius, eo magis ſemper ſumendum. at id non efficit, ne beatitudo ſit quid per ſe bonis omnibus, ad ſe ipſam attinẽtibus inſtructum. *neque enim ad beatitudinem requiruntur omnia, quotquot ſunt, bona; ſed quæcunq; ad ſtatum & conditionem pertinẽt illius, qui beatus eſt futurus*. eſt igitur beatitudo quid perfectum, & ſe ipſo contentum ; cum rerũ omomnium, quæ in actione poſitæ ſunt, ſit extremum. Sed cum hæc cumulate explicuerimus, quid nihilominus beatitudo ſit, non liquet ; remanetq; inexplicatum in quo potiſſimum ſit ſummum bonum. id vero facile aſſequemur, ſi opus, & munus hominis, quod nam ſit, inſpexerimus, *inductione habita per omnes, qui opus aliquod moliuntur*. Quippe vniuſcuiuſque, qui munus aliquod obit, in opere ipſo bonum conſiſtit : vt illud quam optime perficiat. Si quod igitur hominis eſt proprium munus, in eo ipſo eius bonum poſitum erit. & bene tunc vixerit, cum opus ſuum bene expedierit. eſt autem quodpiam hominis opus. numquid enim fabris; atq; ſutoribus propria artificia tractantibus, homo, *qua homo*, nihil habebit in quo exerceatur ; quaſi ad inertiam, & deſidiam procreatus ? vt igitur oculi, manus, pedis aliquod munus eſt, ſic hominis, *qua homo, quaue mente præditus eſt*, opus aliquod ſtatuere debemus. Quod igitur hoc tandem erit? porrò viuere, & ſentire non ſunt hominis propria. illud enim ſtirpibus quoque, atq; plantis, hoc boui, equo, ceteriſq; animantibus adhuc eſt commune. nos vero quærimus proprium hominis opus. reſtat vita ad agendũ apta ; eaq; peculiaris eſt eius, quod ratione præditũ eſt ; rationis vero duæ ſunt partes in homine ; altera quidem ſe ipſa rationis expers, ſed quæ poteſt rationi obtemperare ; *& eatenus eius particeps dicitur, quatenus eiuſdem dictatis eſt audiens ; vt ſeruus ; ta-*

 lis in

lis in homine vis eſt iraſcendi, atque concupiſcendi: altera vero ex ſe rationalis, quæ fungitur munere cogitandi, & imperandi; *vt dominus. earum vtraq; hominis eſt propria, (neque enim belluæ audiunt rationem, vel audire poſſunt) magis tamen quæ cogitat, & imperat. quare in hac potius, quam in illa hominis beatitudo vertitur.* Sed cum hæc ipſa vita, quam ad agẽdum aptam diximus, duobus modis ſumi poſſit; *vel in habitu, vt eſt potẽs operandi: vel in ipſo actu, prout operatur:* eam, quæ in functione muneris, & operatione occupatur, hominis maxime propriam ponere debemus. vita enim in actu magis conſiſtit; *ceſſatio autem ab opere vitæ potius expertem ſtatum refert.* Quod ſi ita ſe res habet; opus, & munus hominis erit operatio animi à ratione, vel non ſine ratione, profecta. Quemadmodum vero idem eſt munus citharœdi, & boni citharœdi: (illius videlicet, canere; huius bene canere) & in omni opere, ſi ei excellentia virtutis accedat, idem genere eſt opus, & bonum opus; ita huius quoq; hominis, & huius probi hominis opera eadem erunt genere. at opus hominis vitam quãdam, & functionem animi cum ratione coniunctam poſuimus; boni ergo atque virtute perfecti viri munus recte, & præclare eo munere fungi, ponere debemus. Adhuc etiam rectitudo rei cuiuſque à propria virtute exiſtit; & vnumquodq; ſua perficitur virtute; *vt equus virtute currendi: camelus vi onera geſtandi*; opus igitur hominis ab eius quoq; virtute perficietur: eritq; functio muneris animi à virtute directa; & ſi plures ſunt hominis virtutes, ab ea, quæ optima eſt, & perfectiſſima; [2] *talis eſt, quæ in rebus agendis occupatur, ratio; & ea ſuperior, atque melior, contemplatio:* Quod ſi verum eſt, vt antea diximus, vniuscuiuſq; bonum idem eſſe cum illiusdem operatione perfecta: ex definitione operis, quod hominis eſt proprium, colligere licet, ſummum eiuſdem bonum eſſe functionem muneris animi, ab eius perfectiſſima virtute directam. adde etiam, [3] in vita perfecta, *& quæ tum iuſto tempore perſeueret: tum crebras nanciſcatur præclare agendi occaſiones; vita vero anguſtijs temporis concluſa, vel rariſſimis præclare agendi opportunitatibus traducta, non eſt capax beatitudinis.* Vt [4] enim vna hirundo, vnusq; dies mitis, atq; ſerenus ver non efficiunt; ita nec dies vnus felix, vel exiguum vitæ tempus, *nec raræ functiones virtutis,* hominem conſtituunt beatum. Hoc igitur modo nobis delineatum ſit ſummum bonum, ſuis poſtea coloribus depingendum, & illuſtrandum. Facile autem cuiuis fuerit, quæ bene ſuis deſcripta ſunt lineamentis, expolire, & amplificare. atque eiuſmodi rerum inuentor, vel certe adiutor tempus magnum ad id conferet emolumentum; vnde artes ipſæ ab anguſtiſſimis initiis in tantam amplitudinem excreuere. facile enim quiuis addit inuentis ab alio. *Neque vero ſi rationes, quibus in ſummi boni cognitionem deuenimus,*

minus

minus neceſſario concludunt, idcirco tradita definitio ſpernēda eſt. meminiſſe enim oportet, quod antea monuimus, ſubtiliorem, limatioremque diſputationem non æque omnibus eſſe accomodatam: ſed vſurpandam pro ſubiecta materia. faber enim & geometra vterque rectum angulum tractat; ſed ille tantum, vt vtatur ad opus: hic vt quid ſit, qualis, vtq; rectus demonſtrari poſſit, inueſtigat. hic enim veritatem perſequitur: ille vſu contentus eſt. eadem regula in reliquis progrediendum; ne ſi res, quæ ornamenta non patiuntur, accuratius expolire velimus, acceſſiones fiant operibus prolixiores. nec in omnibus flagitanda dictorum cauſſa, & propter quid ita ſe res habeat. ſatisq; interdum videri poſſit bene demonſtraſſe, rem ita eſſe; vt in principiis; *quorum cauſſæ non redduntur, ne abeamus in infinitum*; ſed ſatis habemus ſcire, quòd ſint. rem enim ita eſſe, primum eſt, & principium. Principia vero alia inductione habentur, *quæ à multis ſingularibus infert ad vniuerſum; qua via colligimus omne corpus ſenſibile eſſe mobile:* vel habentur ſenſu, *vt omne, quod viuit, egere alimento:* vel aſſuetudine, *vt cupiditates, ni expleantur, facile minui, & conuelli:* vel alio quopiam modo, *vt in artibus vſu, & experimento habetur, alio modo æs eſſe tundendum, alio aurum*. Singula vero ſunt tractanda, vt eorum natura poſtulat; dandaq; in primis opera, vt recte definiantur. *definitio enim principium eſt, & inſtrumentum ſciendi*; magnumq; ad ea, quæ ſequuntur, monumentum affert. [5] Recte enim dicitur, principium eſſe pluſquam dimidium totius; eoque cognito, multa in quæſtione poſita per ipſum illuſtrata, manifeſtari. *porrò quam vim ſemina habent ad germinandum, eandem principia retinent ad gignendam ſcientiam.*

SCHOLIA.

1 NEc tamen inficior.] *ad beatitudinem præſentis vitæ conſtituēdam non requiritur cumulus omnium bonorum; alias nullum bonum excogitari poſſet, quod eſſet extra illam. et ſi beatitudo præſentis vitæ complecteretur infinita bona; quocumque alio vi cogitationis addito bono, non fieret melior vel optabilior; vt Deus, cum infinito ſit perfectus, ſumptus vna cum mundo, non eſt ſe ipſo in ſe ſine mundo conſiderato præſtabilior. Felicitas vero dicitur ſtatus omnium bonorum cumulo perfectus; & merito. nam alterius vitæ beatitudo infinito bono nos iungit; præſentis autem æui felicitas bonis eſt illis contenta, quæ propriam cuiuſuis conditionem concernunt.*

2 Talis eſt, quæ in rebus agendis.] *quia non ſolum ad agendum, ſed etiam ad contemplandū homo natus eſt, duplex eius inde felicitas exurgit: altera in actione poſita: altera in contemplatione. hac vero melior, & diuinior; vt infra tradit Ariſtoteles lib. 10. allata felicitatis definitio vtramque complectitur per analogiam. nam priorem in ea locum tenet*

virtus

virtus ad contemplandum apta: poſteriorem ea, quæ valet ad agendum. expoſitionem hanc ab Ariſtotele lib. 10. infra, cap. 7. petiuimus.

3 *In vita perfecta.] non poſſum vitæ perfectæ appellatione accipere integrũ vitæ curſũ; ita vt qui felix eſt dicendus, per totã vitã agere debeat ex virtute. Pueritia non eſt capax felicitatis, vt infra, c. 9. & lib. 1. mag. moral. cap. 4. præſertim cũ careant prudẽtia, vt infra lib. 6. cap. 2. quæ neceſſaria eſt ad felicitatẽ. Imo nec adoleſcẽs poteſt eſſe felix, cum ne aptus quidẽ ſit, qui huius diſciplinæ præceptis imbuatur. Nec etiã vitam perfectã reſtringo ad virilem ætatẽ; tum quia ſenex non poſſet agere ex virtute, ita vt eſſet felix; tum quia huic expoſitioni repugnat, vel ſaltim non quadrat, ratio de hirundine vna ab Ariſtotele allata. Explico igitur vitam perfectam, ideſt, longam, iuxta curſum humanum. ita Ariſt. lib 10. infra cap. 7. ait,* perfecta fuerit homiinis beatitudo, ſi perfectam vitæ longitudinem adepta ſit. *Et 1. magn. moral. cap. 4.* Recte à multis dicitur, felicem eſſe in longiſſimo tempore iudicandum; in tempore perfecto, & in homine per fecto. *perfecti autem hominis nomine virilem ætatem ſe accipere ipſemet declarauit, hoc videlicet ſenſu: vt ante illam ætatem non contingat felicitas; non ideo excludenda ſenectus à felicitate, cum ea, omnium iudicio, capiat fructus vberrimos virtutis. fauet noſtræ de vita perfecta ſententiæ Pindarus, in Threnis.* Felix cito fugiens, non eſt beatus. *Qui etiam prœmaturæ moriuntur, miſerationem mouent; quaſi deceſſerint infelices. Vitam quoq; perfectam eam intelligo, in qua crebræ virtutis functiones explicantur. nam ſi quis in longa vita raro admodum ex virtute ageret, non eſſet felix, ut infra cap. 10. Ariſtot. declarat. Demum ratio ab hirundine deducta vtramq; explanationem confirmat. bene enim procedit argumentatio. vna vel altera hirundo non facit ver; ergo raræ admodum virtutis functiones non faciunt hominem beatum; & cum breui temporis interuallo non poſſint multa præclare agi, ad beatitudinem opus erit longitudine vitæ.*

4 *Vt enim vna hirundo.] auis in adagium multis vſurpata. Horat.*

Zephyris, & hirundine prima.

Ariſtophanes in auibus, de eo, qui attritum gerebat pallium: Multa videtur opus habere hirundine, *id eſt, tepidiore cælo, vel calidiore, ſub quo multæ hirundines eſſe ſolent. Per hirundines anni quoque numerantur. nam auis illa ineunte hyeme recedit ab orbe noſtro: redit appetente vere: eiusque nuncia dicitur. huic ſimilis Virgiliana Metalepſis illa,*

Poſt aliquot mea regna videns mirabor ariſtas.

5 *Recte enim dicitur principium eſſe plus quam dimidium totius.] idem Plato 6. de leg. & 2. de Repub. Caius ff. de orig. iur. l. 1.* Cuiuſq; rei potiſſia pars principium eſt. *Horat. ad Lollium.*

Dimidium facti, qui benè cœpit, habet.

At Heſiodus in Georgicis cecinit, dimidium eſſe pluſquam totum. probatq; idipſum Plato 3. de leg. & 5. de Repub. Sed Heſiodus cum dimidium plus toto eſſe aſſerit, de vtilitate cenſus, & patrimonij loquitur. ex ampla enim hæreditate præſtat dimidium conſequi ad beate viuendum, quam totum; quòd ſuperuacaneæ diuitiæ non ſemel exitium attulerint poſſidentibus. eodem conſilio Pittacus agri ſibi à Mytilenæis attributi partem reſecuit, reiecitque: addens, partem eſſe præſtabiliorem toto.

Allatam felicitatis definitionem congruere cum dictis antiquorum. Cap. VIII.

HAnc autem beatitudinis definitionem non ſatis eſt rationibus confirmaſſe: ni etiam cum ijs, quæ vel à viris doctis, vel communiter de beatitudine feruntur, conuenire oſtendamus. cum vero enim congruunt omnia, quæ in re ſunt; [1] *quod veritas vna & ſimplex ſit: nec à ſe ipſa diſcrepare queat;* falſum autem à vero cito diſſideat, *& à ſeipſo: cum ſit multiplex: ceu monſtrum non vnius ceruicis.* præclare autem de ſermonibus illis exiſtimandum, qui vel ſapientum iudiciis, vel communi conſenſu & oratione mortalium comprobantur. [2] nam & diſſentire à ſapiente ſignum eſt inſcitiæ; & omnes homines in ijs, quæ vnanimi ferè conſenſu comprobarunt, perperã ſentire, non eſt opinandum. [3] Cum igitur bona tres in partes cõi ſententia ſint diſtributa: & alia animi dicantur, alia corporis, alia externa; animi bona in primis, & maxime proprie bona dicimus. Functiones vero animi, *in quibus beatitudinem collocauimus,* in ipſo animo ſunt belle igitur inter nos, & illos conuenit: quòd maxima bona hominis, eiusque beatitudinem vtrique in animo ſtatuimus. Adhuc actiones animi nonnullæ ſunt ipſæ ſibi finis; *beatitudo vero finis eſt, & vltimum;* recte igitur beatitudinem animi functionem ponimus; ſic enim ea fuerit in bonis animi, nec opus habebimus in bonis externis eandem conſtituere, vel aliunde petere: *nec alium illi finem, quamuis functio quædam muneris ſit, aſſignare.* quapropter nedum vetere, atque vno philoſophorum ore celebrata ſententia hæc à nobis allata definitio comprobatur, verum & prædictis quoque rationibus facilè ſuadetur. Huc accedit, quod cùm eadem congruit illud communiter vſurpatum, Bene viuere, & bene rem gerere, facit virum beatũ. nos enim probam & ſtudioſam actionem præcipue requirimus ad fælicitatem. nec profecto quidquam aliud ea videtur eſſe, quam vita bene acta, ſeu res bene geſta. demum quæcumq; ab aliis deſiderantur ad beatitudinem, ea omnia hæc definitio complectitur. nõnulli enim virtutem volunt: alij prudentiam: alij ſapientiam quandam; nonnulli

nulli hæc ipſa omnia, vel eorum aliquid cum voluptate coniungunt, aut à voluptate ſeiungi nolunt; *aſſeruntq; verbi gratia, in vita per virtutem non ſine voluptate traducta, collocatam eſſe beatitudinem*; alij quoque bonorum externorum copiam complectuntur; *vt diuitias, honores, clientelas*; & horum alia multi, atque antiqui, alia pauci, ſed clari nominis viri, loquuntur; quorum neutros probabile eſt omni ex parte labi: ſed in plurimis, vel ſaltem in vno aliquo recte ſentire. Et quidem cum ijs, qui omnem, vel vnam, aliquam, pluresue virtutes ad beatitudinem poſtulant, noſtra hæc congruit oratio. functio enim muneris, virtute perfecta, opus eſt virtutis; *eamq; indicat in animo, à quo prodit, exiſtentem*. In hoc tamen nobis, & illis nõ conuenit; quod illi in poſſeſſione virtutis felicitatem ſtatuunt: nos in eiuſdem vſu. Magni profecto id intereſt. accidere enim poteſt, vt ab habitu inhærente nihil boni quis perficiat in tota vita: non magis, quam qui dormit, vel ocioſe feriatur. de eo autem qui munere fungitur virtutis, hoc dici non poteſt. agit enim & recte agit; *nec fieri poteſt, quin aliquid boni afferat. cum enim dum quiſquis aliquid agit, neceſſario agat, ſi eum agere ponimus: quicumq; ex virtute agit, eundem recte agere neceſſe erit*. quemadmodũ vero in ludis Olympicis nõ pulcherrimus quiſque, aut valentiſsimus corona donatur, ſed qui vicerit certando; ſic & ea, quæ ſunt in vita, bona, & honeſta, ipſumq; adeo ſummum bonum, & felicitatem aſſequuntur, & obtinent ij, qui recte faciunt. Iſtorum autem vita per ſe iucunda eſt, & delectabilis. delectatio enim animi eſt; quod autem quiſque amat, eo delectatur. nam equo gaudet is, qui amat equos: itemq; rebus iuſtis ille, qui iuſtitiã diligit: & omnino rebus omnibus, quæ cũ virtute conſentiunt, is, cui virtus cara eſt. *voluptas igitur ab operatione ſecundũ virtutẽ in homine, qui ſit ea præditus, ſeparari nequit*. Quo tamen loco aduertendum, res, quæ multitudini ſunt iucundæ, pugnare inter ſeſe; eo quod non ſint ſua vi iucundæ; ſed hæ huic iucundæ videantur, hæ illi. hominibus vero ſtudioſis honeſtatis eadem perpetuo ſunt iucunda; quia quæ natura ſua talia ſunt, perſequuntur; *non quæ fucum faciũt, &, cum non ſint, talia nihilominus apparent*. quare ne dum illis ſunt iucunda, verum etiam per ſe. quo in genere collocamus eas, quę virtuti congruunt, actiones. Quid igitur opus eſt illorum, qui ex virtute agunt, vitæ voluptatem deforis addere, quaſi ad collum appenſum amuletum, vel *centonem veſti aſſutum*; cum ei voluptas natura ſua complicata ſit *nexu, qui diſſolui non poteſt*? adde, non eſſe virum bonum illum, qui honeſtis functionibus non delectatur. quo enim pacto liberalitatis nomine eum laudes, qui cum dono dat, moleſtiam capit, vel non percipit voluptatem? actiones igitur virtuti conſentaneæ ſunt per ſe iucundæ: tum etiam bonæ, & honeſtæ: maximeq; illis vnum-

illis vnumquodq; iſtorum trium ineſt,ſi,qui de iſs fert iudicium, vir bonus, & honeſti amans, vere iudicat: vt eum vere iudicare ſupra oſtendimus. *iudicat autem de rebus vere,nec fallitur,cum integrum habeat iudicium*. Tria igitur beatitudini inſunt, bonum, pulchrum,iucundum; eaq; ſemel, & coniunctim: non diuiſim, vt in illo Deliaco epigrammate.

5 Iuſtitia eſt formoſa, valetudo optima res eſt;
Dulce frui,cuius quemque perurit amor.

Porro pulchritudinem virtuti,valetudini bonitatem, iucunditatem rei deſideratæ conſequutioni adſcripſit Poeta; cum nihilominus tria illa vni virtuti,eiuſq; functionibus tribuenda fuiſſent. quòd ſi verum illud eſt,quod ſæpe diximus, felicitatem eſſe in actionibus ſecundum virtutem, ſeu omnem, ſeu vnam optimam; ſequitur, beatitudinem tribus illis ornari elogiis, quibus virtus eiuſq; functiones decorantur. Sed à functione virtutis quem reddi beatum, ita eſt accipiendum, vt bonis quoq; externis egeat. 6 nefas enim aut certe difficile eſt,eum, cui nullæ ſuppetunt facultates, res agere præclaras; cum permulta gerantur amicorum opera, diuitiis, ciuili potentia, quaſi inſtrumentis. quædam etiam ſunt,quibus ſi carent homines,felicitatem inficiunt; eiuſq; ſplendorem obſcurant; vt generis nobilitas, ſoboles, pulchritudo. neque enim beatus admodum is eſſe poteſt, qui inſigniter deformis, vel ſordido loco natus, aut ſolitarius, & orbus ſit; multoq; minus,ſi cui ſint liberi omni vitiorum genere inquinati,ac turpitudine obruti; vel ſi quis amicorum probitate inſigniũ funera ſpectauit. talem enim proſperitatem vita beata deſiderat; ex quo multi in errorem acti ſunt,vt eodem loco beatitudinem haberent,atque ſecundam fortunam; alij mallent virtutem; *cum nihilominus vtrumq; beata vita complectatur; ſed magis virtutẽ. hanc enim quaſi robur & firmamentum,illam ceu inſtrumentum,ſeu appendicem poſtulat. ea propter in definitione beatitudinis bonorum corporis,& fortunæ non eſt facta mentio. cum inſtrumenta non veniant in definitionẽ cauſſæ principalis;nec appendices æquandæ ſint rebus,quibus adduntur.*

SCHOLIA.

1 *Quod veritas vna & ſimplex ſit.*] *ideo verum de re aliqua proferre vno modo contingit; vt nix eſt alba; falſum vero multis; vt nix eſt atri,vel rubri,vel cerulei coloris.*

2 *Nam & diſſentire à ſapiente ſignum eſt inſcitiæ.*] *Id Plato vſurpauit in Hippia minore.*

3 *Cum igitur bona tres in partes.*] *Thales hanc partitionem innuit,cũ ait*, Felicem eſſe illum qui ſanus, locuples, & animo ſit non ignauo; *in quibus videtur non diſſentire ab Ariſtotele, hac eadem ad beatitudinem poſtulante.*

4 *Ad collum appenſum amuletum*] περίαπτα: *ſolitum ſuſpendi è ceruicibus infantum à ſuperſtitioſis fœminis, ad faſcinationes amoliendas. Scribit Spartianus, ſub Caracalla damnatos, qui remedia tertianis, quartaniſque collo geſtarent*.

5 *Iuſtitia eſt formoſa.*] *eadem Sophocles ita ſeiunxit*, Pulcherrimũ, iuſtum eſſe; Optimum, viuere hominem; Dulciſſimum, delectationẽ adeſſe eorum, quæ quis quotidie cupit.

6 *Nefas enim aut certe difficile eum &c.*] *Iuuen. in eandem ſententiã.*

Non facile emergunt quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi.

Id autem in vita illa praecipue contingit, quæ incumbit rebus agendis: nam quæ contemplationi ſtudet, etſi omnibus deſtituta, non poſſit tueri ſtatum ſuum; bona tamen externa admodum pauca poſtulat; quin etiam ex egeſtate occaſionem capit augendæ ſapientiæ. quare paupertas à Xenophonte dicitur ſapiẽtia, quæ ſine magiſtro aduenit. *quod enim ſapientia facit oratione, ad id paupertas re ipſa compellit: vt merito apud Ariſtophanem in Pluto, glorietur ſe artium fuiſſe inuentricem, eoq; nomine celebretur à Poëtis. Theocritus in Piſcatorÿs*,

Vnica paupertas Diophantes ſuſcitat artes
Ipſa laborandi doctrix ſtudiiq; magiſtra.

Iouem quoque ferunt tam paratam aurei ſeculi copiam ſummouiſſe,

Vt varias vſus meditando extunderet artes.

Horat. etiam ad Florum.

Et laris, & fundi paupertas impulit audax,
Vt verſus facerem. *Perſius in proœmio.*
magiſter artis, ingeniiq; largitor
Venter.

Verum ex euentu hæc ſunt, & ab humani ingenÿ improbitate, quod non niſi egeſtate compulſum ſuſcipit laborem. ex ſe autem cenſus moderatus vtilis eſt etiam ÿs, qui contemplationi dant operam: nimius obeſt ſapientiæ. Idipſum de valetudine ſentiendum; quæ ſi infirmiſſima corruptiſſimaq; ſit, impedit felicitatem ne dum in actione, verum etiam in contemplatione poſitam. leuiter tamen affecta valetudo nonnihil ad ſapientiam confert, vt Plato ſentit; & confirmat S. Gregorius Nazianzenus in epiſt. ad Eudoxium Rhetorem.

An felicitas per hominis labores & induſtriam acquiratur. Cap. IX.

EX ijs, quæ de philoſophorum circa felicitatis definitionem conſenſu diximus, alia quædam emergit quæſtio; diuinitus ne ea contingat: an fortuito obueniat: an potius humana paretur induſtria.

ſtria. Quod ſi poſtremum hoc ponendum ſit,adhuc inueſtigandum vi
detur; doctrina ne,*vt ſcientia*,acquiri: an potius aſſuetudine, *vt moralis virtus*, obtineri, vel alia quapiam exercitatione cōparari poſſit. Et certe ſi quod aliud à Deo munus eſt hominibus datum, conſentaneum rationi videtur, vt exiſtimemus, beatitudinem quoque ab eodem dono dari: & eo maxime, quod eſt rerum humanarũ optima; Deus autem nobis optima quæque largitur. Sed hoc fortaſſe ab eo, quod conſiderare aggreſſi ſumus, alienum eſt; nec tam ſuſceptæ de moribus diſputationis, quam alterius philoſophiæ proprium. *quærimus enim beatitudinem,cuius per vires proprias (opitulante nihilominus prima caſſa,quantum humana requirit imbecillitas) compotes fieri poſſimus*. Illud profecto perſpicuum eſt,etiam ſi non ſit Dei donum,ſed doctrina,ſiue diſciplina aliqua, vel exercitatione quæratur, pro re tamen diuiniſsima habendam; cum ſit virtutis præmium; atque finis; tum etiam non eſſe è medio reductam, ſed expoſitam loco patente, vt cum multis communicetur. beatitudinem enim vel doctrina,vel ſtudio aliquo ij omnes poſſunt adipiſci, qui non ſunt naturæ vitio,aut iniuria aliqua, animo, vel corpore manci, ac debiles. Quod ſi proprio merito, quam temeritate fortunæ præſtat beatum eſſe,certe ita fieri,veriſimile eſt; ſiquidem res naturales,vt pulcherrimæ eſſe poſſunt,ita ſunt ab optima rerum parente natura procreatæ. idemque iudicij de ijs, quæ ab arte, omniq; alia cauſſa proficiſcuntur,fieri debet; *(quod ſcilicet non contingant fortuito)* multoque magis de re præſtantiſſima, *qualis eſt felicitas*. quapropter rem omnium maximam, atque pulcherrimam fortunæ arbitrio, vel caſuum humanorum inconſtantiæ permittere,valde nefarium fuerit,& flagitioſum. *hoc enim poſito, omnis circa res gerendas ceſſaret hominis induſtria*. Atqui etiam ex allata felicitatis definitione id, quod quærimus,perſpicuum eſſe poteſt. diximus enim eam eſſe animi functionem quandam ex virtute. ceterorum vero bonorum alia ipſi neceſſario inſunt, *vt voluptas*; alia eandem adiuuāt,inſtar inſtrumentorũ, *vt bona corporis*, & quæ extra ſunt poſita. *cum igitur beatitudo præcipue, & quo ad eſſentiam, ſit virtutis opus,qua ratione poterit à fortuna exiſtere?* Conſentiunt iſta quoque cum ijs,quæ ab initio diximus. ciuilis enim ſcientiæ finem quid optimum ſtatuebamus; ea vero nihil habet antiquius, quam vt ciues cuiuſdammodi affectos, hoc eſt, bonos,reddat, & ad res gerendes idoneos. *id autem eſt ex virtute agere, cum igitur ciuilis facultas,dum optimum quid,& felicitatem ſibi proponit,virtutem quærat,apparet in virtute eſſe felicitatem. conſtans igitur, ſibiq; concors eſt omnis noſtra definitionem allatam tum præcedens, tum ſubſequens oratio*. Ex eadem definitione concluditur cetera ab homine animantia non eſſe capacia felicitatis, cũ ob rōnis va-

cuitatem, non habeant virtutis vſum. quin neque pueros poſſumus appellare beatos, quoad per ætatem ad explicandas virtutis functiones idonei fiant; interim à ſpe concepta futuræ probitatis beatos eos appellare poſſumus. opus enim eſt ad felicitatem tum abſoluta virtute, *qua non contingit ſine longo rerum vſu*, tum etiam ætate integra, & *felici decurſu ad finem vſque* perfecta. multæ enim in hominis vitam incurrunt calamitates; variique ſubeunt caſus; ac fieri poteſt, vt ille, cuius res ſemel fuerint valdæ ſecundæ, maximas poſtea calamitates patiatur; quemadmodum Heroum temporibus * contigiſſe Priamo, poetæ fabulantur. porrò eum, qui *diu proſperitate vſus ſub vitæ exitum* tales fuerit caſus expertus, miſereq; poſtremam clauſerit lucem, nemo dicet beatum.

SCHOLION.

* CONtigiſſe Priamo.] *cuius vitam olim vulgi ſententia beatã, infelici tandem exitu conſummatam eleganter deſcripſit Virgilius.*

Hic finis Priami fatorum, hic exitus illum
Sorte tulit, Troiam incenſam, & prolapſa videntem
Pergama, tot quondam populis, terriſque ſuperbum
Regnatorem Aſiæ; iacet ingens littore truncus,
Auulſumq; humeris caput, & ſine nomine corpus.

An liceat quem, dum viuit, appellare beatum. Cap. X.

CVm igitur Priamus, *qui felix, dum viueret, prædicabatur, in calamitate moriens, laudatores ſuos mendacij damnauerit, aliįq; non pauci ſimiles exitus fuerint experti: iure bono dubitari poteſt*, an mortalium quiſpiam, quamdiu manet in hac vita, beatus appellari poſſit: an potius, [1] iuxta ſententiam Solonis expectandum ſit ætatis extremum? *negabat enim ille, hoc poſſe de quoquam ante obitum affirmari*. quod ſi rem ita ſe habere fateamur, erit ne homo beatus, cum exceſſerit è vita? *dum enim viuebat, talis dici non poterat.* An vero & hoc abſurdum eſt, quem dici beatum eo tempore, quo non eſt? nobis [2] præſertim, qui beatitudinem ponimus muneris functionem; *cum mortui nec agant, nec vllo ciuili munere fungantur?* Quod ſi nec nos id volumus, nec Solon forte in iſta fuit ſententia; verum hoc tantum cum Solone affirmamus: tum demum iudicium de beatitudine hominis, qua, dum viueret, fruebatur, fieri poſſe; licereque illum, quod beatus extiterit, prædicare, quando iam extra malorum diſcrimina poſitus, *æſtu refluo in altum procellis, atque tempeſtatibus obnoxium, abripi iterum, non poteſt*; hoc inquam, vt ponitur, explica-

tum,

tum,non vacat dubitatione. nam quemadmodum qui viuunt,mala ſæpe patiuntur,nec ſentiunt, *vt infamiam* i ſæpe illis bene eſt,& ignorant; ſic etiam mortui, *etſi demus eos,quæ hic geruntur,minime ſentire*,bonis tamen, & malis affici poſſe videntur: cum ſcilicet vel honoribus poſt mortem ornantur; vel dedecora patiuntur,& infamiã; vel omnino cum res poſterorum ſecundæ ſunt,aut aduerſæ. Id ſi placeat; *ac propterea ſtatuatur, mortuos non eſſe extra omnem bonorum, & malorum incurſum poſitos*; rurſum relabimur in difficultatem pene inextricabilem. *ita enim qui nuper erat beatus,poſtea fiet miſer:* ac rurſum à *miſeria redibit ad felicitatem; ſi honores poſt mortem delati, vel ablati, & res poſterorum nunc felices, nunc aduerſa ita ferant; vt ferre poſſunt, & ſolent.* quid enim impedit, vt, quem vita beata, vno tenore, ad ſenium vſque comitata ſit, & qui ſupremum vitæ diem conuenienter anteactæ ætati obierit; idem in poſteris, *immo & in attinentibus ad ſui exiſtimationem*, à multis mutationibus, & varietatibus excipiatur; vt poſterorum alij boni ſint, alij mali; vtrique vero pro meritis viuendi conditionem ſortiantur; *ipſos etiam defunctos primum honores maneant; poſt dedecora; rurſumq; reditus fiat ad honores?* Hoc vero perſpicuum eſt; magno ſpatio temporis interiecto,magnam in poſteris morum, atque conditionis, dignitatiſq; diſſimilitudinem & varietatem,ſi cum parentibus conferantur,euenire poſſe; *ac fortunatorum ſobolem infelici exitu è medio auferri, vel contra calamitoſorum liberis atque nepotibus ſereniores, quam parentibus, auiſq; dies illuceſcere.* Nonne igitur abſurdum ſit,ſi vna cum ijs mortuus quoque commutetur? & nunc beatus fiat,nunc miſer, *quo tempore extra omnem aleam poſitus videbatur? Nec exiſtimandum ex his moleſtijs nos liberatum iri,ſi res poſteritatis ad parentes, auoſq; defunctos pertinere,infieias eamus; ac proinde dicamus,mutata filiorũ,& nepotum conditione non ſequi, vt maiorum,qui vita functi ſunt, beatitudo,& ſi quis alius ſtatus, commutetur.* nam dicere fortunas poſterorum ad maiores,ſaltim vſque ad certum tempus & gradum, non pertinere, abſurdum omnino fuerit, *cum filij ſint quaſi membra parentum; nec opinione, atque ſermone communi cumulate felix ille ſit, qui cum feliciſſime vixerit, ſobolem relinquit aduerſis, atque atrocibus rerum caſibus conflictatam.* At redeundum ad id, quod ſupra in dubitationem adductum eſt; videndumque,an verum ſit Solonis dictũ; *Neminem ante obitum poſſe dici beatum; ſed expectandum eſſe vltimũ diem.* ex illo enim id quoque, quod quærimus, forte intelligetur. Si igitur ſupremus vitæ dies opperiendus; & tum demum beatus quiſque exiſtimandus eſt, cum illum peregerit: non quod poſt obitum ſit,ſed quod antea fuerit quidem, *at nunc dignoſcatur fuiſſe* beatus; adhuc in maiores reuoluimur perplexitates. an non enim abſurdum

eſt,cum

eſt,cum quis beatus eſt,non appellari beatum,quodq; in eo eſt, de eo non vere dici, ob hanc ſolam cauſſam, quòd viuentes beatos prædicare nolimus, propter conuerſiones rerum, atque commutationes; quodque,cum beatitudo firmum quiddam, & prope immutabile ſit, fortuna ſæpe ſeſe conuertens,& in orbem voluens,quos antea felices redideraт, nunc feriat, atque proſternat? perſpicuum enim eſt,ſi inconſtantis fortunæ ſequamur euentus, nos eundem nunc beatum, nunc miſerum ſæpe eſſe dicturos; [4] & quaſi chamæleontem quendam *ad omnes colores appoſitos aſpectu mutabilem*, virum beatum, qui ſtabili ſede locandus erat,formaturos? Nonne igitur indignum eſt, atque iniquum, virum eiuſmodi fortunæ mobilitati ſubijcere; ac in beatitudine definienda eius ſequi varietatem? non enim bene, vel male viuendi ratio in fortuna ſita eſt; ſed eius bona, vti adiumenta quædam, humana vita deſiderat. at actiones virtuti conſentaneæ ſunt dominæ beatitudinis; ſicut vitæ hominum infelicium vitioſæ functiones. cui ſermoni teſtimonio eſt hoc ipſum,de quo circa beatæ vitæ ſtabilitatem dubitamus. nihil enim è rebus humanis adeo firmum eſt,vt eæ actiones,quæ cum virtute conſentiunt. nam hæ vel ipſis ſcientiis, *natura ſua firmiſſimis*,diuturniores,ac ſtabiliores eſſe videntur; & has inter eæ,quæ ſunt præſtantiores, diutius perſeuerant; propterea quod beati in illis ſeſe frequentius exercent, & aſſiduo vitam traducunt; *vnde ex vſu continuo firmiorem in animo contrahunt habitum virtutum*. quod in cauſſa videtur eſſe, [5] cur virtutes nulla vnquam obliuione deleantur. *in hac enim vita perennes nobis ſeſe offerunt opportunitates ex virtute agendi*; [6] *nec eam deteri, exediq; ex animo permittunt*. Inerit ergo beato firmitudo, quam quærimus; *quando beatitudinis eſſentiam in functione animi ſecundum virtutem reponimus*; talisq; per totam vitam beatus futurus eſt; *ſtabilis inquam; nec vllatenus de gradu ſuo deijcietur*. ſemper enim vel maxime omnium ea aget,& animo cernet, quæ concinunt virtuti.Quod ſi qui graues ingruant caſus,eos pulcherrime, ac vndiq; compoſito feret animo; vti vere vir. bonus, [7] & ſine labe, atque vituperatione quadratus. Sin infauſti eiuſmodi rerum euentus modici, aut leuis momenti ſint,eos deſpiciet, *quaſi ad beatam vitam corrumpendam nihil virium allaturos*. Contra vero magnis beneficijs comitata fortuna ſi ſeſe beato dedat, vitam illius reddi tura eſt feliciorem. bona enim eiuſmodi vna & ornamento eſſe ſolent: & vſum habere poſſunt pulchrum: *fieriq; inſtrumenta virtutis*. Grauia vero incommoda premunt quidem, & lædunt beatitudinem; cum ægritudines inferāt animis; multorumq; præclarorum munerum functiones impediant. Sed & horum tolerantia non erit honeſtate,ac parte aliqua beatitudinis vacua. ſplendet enim in ipſis honeſtum tum maxime,cum quis

leniter,

leniter, placideq́; multas perfert, atque magnas calamitates, non quod ſenſu doloris carere debeat vir virtute præditus; ſed quod generoſi, magniq; ſit animi. Si igitur ſummam in vita poteſtatem, atq; dominatum obtinent muneris functiones; *vir autem virtute præditus etiam in calamitate praeclare ſe gerere poteſt*; nullus beatus vllo pacto, *donec ex inſtituto agit*; in miſeriam ab eiuſmodi calamitatibus conijcietur. nunquam enim quicquam aget improbum, vel odio dignum. qui enim bene ſanæ mentis, vereq́; bonus eſt, ex dignitate feret omnes fortunæ caſus; ſemperq́; ex ijs, quæ ſuppetunt, res aget præclaras; *ſi non vt vellet, ſaltim vt poterit pro conditione præſenti*; perinde ac egregius Imperator exercitu, qui eſt ad manus, vtitur bellicoſiſſime, *quoad poteſt. operam enim ſtrenuam nauat; & ſi cedit, ſine dedecore cedit: ſi vincitur, citra culpam ſuam vincitur; nec ideo non bonus imperator appellatur*. Sutor quoque ex anguſtis, corruptiſue pellibus allatis calceum, quem pro materia præſenti valet, pulcherrimum conficit. quod ſi ita eſt, vir beatus nunquam *ob calamitates* miſer efficietur. [8] Ceterum ſi in Priami ærumnas incidat, non dicetur *plene* beatus; ſed nec ideo mutabilis, & varius; neque enim dimouetur omnino à beata vita, *quo ad ea, quæ beatitudinis eſſentiã conſtituunt, puta functiones virtutis; ſed ſolũ quo ad ea, quæ beatitudini comitãtur; in quibus* ſi quæ adhuc mutatio contingit, ea beatã vitã non tollit, ni res aduerſas multas & graues ſecũ afferat. *beatus autẽ, conuerſa licet fortuna, idẽ qui antea fuerat, animo perſeuerat.* eadem rõne vbi talibus fortunæ caſibus fuerit cõflictatus, nõ poterit rurſus breui tẽpore fieri felix; ſed ſi fiet; longo, & iuſto tẽporis interuallo fiet: poſteaquam, ſcilicet, magnarum atque honeſtarũ rerum fuerit compos effectus; *multisq́; affluxerit bonis. vt enim vna hirundo non facit ver; ita nec vnum aut alterum commodum adueniens poteſt ex infelici reddere felicem. maiorq; exiſteret in eo difficultas, qui à virtute ad vitioſitatem eſſet prolapſus. valde enim videtur operoſum, hunc, eiecto vitio, reciperare virtutis habitum; ac proinde ad felicitatem de miſeria difficillime rediret. ardui ſunt igitur iſti tranſitus; cum magna ſit vtrinque moles commouenda*. Quid igitur prohibet eum beatum dicere, qui ſuas actiones virtute perfecta dirigit, bonisq; externis quãtum ſat eſt, *ad virtutem exercendam* inſtructus eſt, non ad breue tempus, ſed per totam vitam? quiq; ſit in eodem ſtatu victurus: & mortem anteactæ vitæ conuenientem obiturus? ita profecto loquendũ, cum aliquem beatum prædicamus; vt, quando res futuræ ſunt nobis obſcuræ, neque certum habemus, vti ceſſuræ ſint, eum appellemus beatum, qui ſit felix ad mortem vſque perſeueraturus; cum præſertim beatitudo ſit finis, & extremum; ac *proinde à ſupremi diei conditione pendeat magis, quam ab ijs, qui anteceſſere*. addo beatitudinem

eſſe

eſſe quid perfectum, & numeris omnibus abſolutum; *quare oportet per totam vitam ſecundo rerum curſu vti illum, qui felicis nomine vult appellari*. Quæ cum ita ſint, beatos in vita dicemus eos, in quibus ea ſunt, & inerunt, quæ ſupra nobis dicta ſunt. *at quoniam futurorum nulla eſt certitudo, iure Solon dixit, neminem, dum viuit, poſſe appellari beatum. Nos, vt iſtum vitemus ſcopulum, ambiguam quandam de viuorum beatitudine ſententiam proferimus, vt ſunt res humanæ dubiæ, & incertæ*. dicetur igitur aliquis in hac vita beatus, vt homo; *cuius ſcilicet beatitudo corrumpi poteſt: nec ante obitum ſuæ conditionis certum habet ſponſorem. quare apud nos nemo poteſt dici ſimpliciter beatus*. Verum hæc quidem hactenus.

S C H O L I A.

1 *IVxta ſententiam Solonis.*] *Hiſtoriam ſcribit Herodotus lib. 1. fuitq; iſtud Solonis dictum à multis vſurpatum. Plato 7. de leg.* Viuentes laudationibus, atque cantibus decorare tutum non eſt; neque honos tantus mortali cuipiam tribuendus, priuſquam decurſo vitæ ſpatio, finem ipſi honeſtum imponat. *Dionyſius in Leda.* Neminem ante obitum felicem dixeris. mortuos enim laudare tutum eſt. *Ouid. in metamor.*

Sed ſcilicet vltima ſemper
Expectanda dies homini eſt, diciq; beatus
Ante obitum nemo, ſupremaq; funera debet.

Nec id abſurdum. homo enim, vt Simonides aiebat, citius mutatur, quã muſca. *Et Heſiodus.* Eadem dies homini mater, & nouerca. *Pindarus demum in Olymp. hym. 12.* Rerum futurarũ caliginis plena cæcaq; ſunt iudicia; multaq; mortalibus contra ſenſum illorum obuenerũt.

2 *Nobis præſertim, qui beatitudinem.*] *felicitate igitur, quæ in actione conſiſtit, non fruimur poſt obitum; at ea, quæ contemplationis eſt, nihil prohibet animum eſſe felicem. ceſſant enim per mortem totius coniuncti functiones; qualis actio eſt, &, quæ per phantaſmata fit, intellectio; at non ceſſant functiones animi propriæ, ceu illa purior intellectio, quæ non pendet à phantaſia.*

3 *Etſi demus eos, quæ hic geruntur.*] *ſtatum animæ ſeparatæ non conſiderat philoſophus, niſi diuinis oraculis, fideiq; lumine adiutus. quare ſentiant, nec ne vi ſua mortui, quæ apud nos geruntur, an potius Deo reuelante; non eſt præſentis diſputationis.*

4 *Et quaſi chamaleontem. beſtiola eſt lacertæ ſimilis, quæ, teſte Plutarcho, in lib. de adulatore & amico, omnes colores appoſitos refert, præter album. alij addunt & rubrum.*

5 *Cur virtutes nulla.*] *poteſt alia afferri cauſſa, cur virtutis obliuio non contingat; quia ſcilicet vſu comparatur magis, quam doctrina, vt habetur infra libro ſecundo, capite primo.*

6 Nec

6 *Nec eam deteri,exediq́ue.*] *idcirco aiebat Antiſthenes*, Virtutem eſſe armaturam,quæ detrahi non poſſet.

7 *Et ſine labe,& vituperatione quadratus.*] *hæc figura, quam tetragonon Græci dicunt, in quamcumq; partem verſetur, eadem apparet. eiuſmodi eſt viri excelſa virtute præditi facies; idem ſcilicet rebus aſperis atque ſecundis vultus, idem animus. pollet eadem figura laude firmitatis,atque ſtabilitatis,quæ in viro virtute prædito requiruntur maxime. eundem loquendi tropum vſurpauit Simonides;tum etiam transfuga Iulianus in Cæſaribus.*

8 *Ceterum,ſi in Priami incidat ærumnas.*] *Ariſtoteles ponit hic medium ſtatum inter miſeriam,& felicitatem. Qui virtutibus inſtructus, premitur calamitatibus,non eſt cumulate beatus; immo nec opinione communi habetur pro beato. ſed miſer non eſt, quia nulla in eo vitioſitas; quæ præcipua cauſſa eſt miſeriæ. poſitus igitur erit inter miſeriam, & felicitatem. Contra homo vitijs inquinatus, cui proſpere cuncta cedunt, ne dum non eſt beatus; verum nec in medio ſtatu conſtitutus. occupatur enim vitioſitate,quæ vna hominem miſerum reddit.magis ergo vitioſitas valet ad miſeriam,quam virtus ad beatitudinem. neque id mirum. perfectum enim multorum deſiderat concurſum. malum vnius abſentia conſurgit.*

An res amicorum pertineant ad mortuos.
Cap. XI.

SEd illud attentius contemplandum; an ſecunda, & aduerſa fortuna poſterorum,& amicorum omnium aliquid afferat momenti ad mortuorum beatitudinem afficiendam. id enim negare valde eſſet tum ab amicitia, *quæ amicorum bona malaq́; ad amicos extendit*; tum à communi ſenſu alienum. Qua in re ita ſtatuendum videtur; noſtras res ſecundas, vel aduerſas non nihil ad vita functos pertinere; ſed eatenus, vt nec eos, qui fruuntur beatitudine, de ſuo ſtatu deijciant; nec miſeros ad felicitatem traducant. Conſiderandum enim eſt,accidere multa quotidie, magna euentuum varietate; quod alia leuiora ſint, alia grauiora; tum ex amicis, & ſanguine iunctis alios magis,alios minus ad nos pertinere; quæ ſingillatim proſequi, & in partes diſtribuere, immenſi eſſet operis, atque laboris; in vniuerſum vero indicaſſe, ac rudi quadam imagine adumbraſſe, fuerit ſatis. Vt igitur res aduerſæ, quæ cuiq; accidunt, aliæ pondus habent ad illius vitam immutandam,aliæ minus id poſſunt efficere; ſic etiã cogitandum eſt ea,quæ amicis accidunt,vel eiuſmodi eſſe; quæ illorum beatitudinem euertere poſſunt: vel adeo eſſe leuia,vt nullius ferre mo-

re momenti cenſeantur in vita. Caſus itaque poſterorum, & amicorum valent ad defunctos penetrare: ſed quatenus, & quouſque ab actoribus trogoediarum intelligemus. Vt enim multum intereſt vtrum caſus acerbi viuis, an mortuis accidant; & longe quidem magis id intereſt, quam vtrum res diræ atque nefariæ, quæ inducuntur in ſcænam, verè quondam perpetratæ fuerint; an à poëtis confictæ repræſententur; (*ſi enim Thyeſtea conuiuia vera ſunt, infeliciſſimus ille dicendus eſt: ſin fabuloſa, vmbram quandam hominis infelicis illeget ab opinione ſpectatorum, qui Thyeſta, quaſi viuentem, & ſpirantem, atque carnibus filiorum ſaturum, ſibi præ oculis conſtituunt:*) ita permagni referre cenſendum, an caſus amicorum acerbi, nobis in vita, an poſt obitum conſtitutis, contingant. *quæ etenim eueniunt nobis ſpectantibus, ad voluptatem, mœroremue traducere poſſunt. quæ vero inſcijs accidũt, ijs non magis mouemur, quam illius fabuloſæ cœnæ commemoratione is, qui execrandas epulas non deguſtauit, Thyeſtes. quod ſi mortuorum, ob infortunia ſuorum, miſeremur, quaſi eorum felicitas ea de cauſſa contaminetur, ab opinione id eſt, non à re ipſa.* [2] Vnde alia ſeſe offert difficultas, rei, de qua agimus, magis accommodata. An mortui boni vel mali alicuius ſint participes, nec ne. apparet autem ex dictis, etiam ſi quid ad eos hinc perueniat, quodcumq; ſit illud, ſiue bonum, ſiue malum, leuiter nihilominus eos afficere; vel quod natura ſua ſit exiguũ, vel quod illis ipſis ſit exiguũ. ſi enim nõ ſentiunt, quæ hic geruntur; ex calamitatibus poſterorum opinione noſtra, non re ipſa moleſtiam colligent. ſin ſentiunt, adhuc minus ijſdem afficientur, quam fabulis de ſe compoſitis Thieſtes [3] *ſunt enim facti eius conditionis, vt eorum quæ apud nos aguntur, quæcumque ea ſint vel nulla, vel non admodum graui cura tangantur.*

S C H O L I A.

1 VT enim multum intereſt vtrum res diræ.] poteſt locus Ariſtotelis huic reſpondens aliter exponi. videlicet; Vt euentus tragici magnopere afficiebant, dum patrabantur: dum recitantur in ſcæna, & quaſi renouantur in ſpectatorum animis, non tantum cient doloris; ſic exiſtimandum eſt, mortuos grauiſſimis poſterorum caſibus non tantum commoueri, quantum ſi viuerent. Vel tertiò ſic expone. Calamitates à tragicis deſcriptæ dum recitantur, valde differunt à ſeipſis, vt erant, quando contigerunt. tunc enim grauiſſime premebant perpetientes; nunc leuiter commouent actores, & ſpectatores; ita cenſendum infortunia poſterorum multo minus eſſe moleſta defunctis, quam ipſis, qui ea tolerant; quod hæc infortunia non tangunt mortuos, niſi quatenus ſunt in hominum memoria ſuperſtites. nos enim ob filios improbos, & aduerſis rerum caſibus conflictatos, parentes dicimus infortunatos; cum nihilominus illi ſæpe feliciter vixerint; & plerumq; etiam cumulatiore

poſt obitum beatitudine fruantur; nec vllam ex amicorum, poſterorumque caſibus capiant moleſtiam.

2 *Vnde alia ſeſe offert difficultas.*] *Si enim mortui non ſunt participes boni vel mali, propoſita quæſtio ſuperuacanea eſſet, & omnino excludenda.*

3 *Sunt enim facti eius conditionis.*] *Mortui vel ſunt in termino; vel extra terminum atque viam; nihilq; voluptatis vel triſtitiæ videtur ex rebus noſtris ad eos transfundi poſſe, niſi ad beatos quidem lætitia, quam Theologi vocant accidentalem; mœror vero nullus ad eos peruadit, ob excellentiã ſtatus, & conditionis. Quid vero in his fiat apud damnatos, longioris eſt, atque Theologorum propriæ narrationis.*

Quid Plato, quid Ariſtoteles ſenſerint de ſtatu mortuorum, & eorundem cura erga poſteros & amicos, qui vitæ aura fruuntur.

P*Latonis mens hac in re, quæ fuerit, liquet ex lib. 9. de leg. vbi ait, mortem non eſſe vltimum, quod homini contingere poſſit; ſed adhuc magis inter vltima haberi, quæ de inferorum calamitatibus, pœnisq; narrantur. & in lib. 10.* Mortuorum manibus, *inquit*, natura ineſt, vt præcipue illorum cura teneantur, qui ab ijs geniti ſunt; adeo vt honorantibus eos propitij, contemnentibus vero ſint infenſi. *quod etiam confirmauit in epiſt. 2. ad Dionyſ. Nec in Menexeno hac de re dubitauit, dixerit quamuis*, moleſtas eſſe defunctis filiorum, & poſterorum lamentationes, ſi quis eſt his, qui vita functi ſunt, ſenſus viuentium. *rem enim apud ſe certam, & opinione ſua receptam ab omnibus, ſub conditione profert, vt ex ea incertam deducat, & affirmet. quemadmodum dicere ſolemus; Si apud Deum cura eſt rerum humanarum, impij alicubi punientur; Deum vero prouidere hominum rebus, pro comperto habemus. ſic explico Ciceronis illud pro Sextio: quod ante Iſocrates in Euagora laudationem dixerat*, Si eſt aliquis in morte præclarorum virorum ſenſus. *aliudq; Catullianum.*

Si quicquam mutis gratum acceptumq; fauillis
Accidere à noſtro Calue dolore poteſt.

Virgilius Platonem ſequutus, Hectoris, atque Polydori vmbras inducit de Aeneæ ſalute ſollicitas.

Heu fuge, nate Dea, teq; his, ait, eripe flammis.

Et rurſum.

Heu fuge crudeles terras, fuge littus auarum;
Nam Polydorus ego &c.

Cuiuſmodi mortuorum ad viuentes per quietem factis monitionibus plena ſunt ſcripta poëtarum; præſertim vero tragicorum. Ariſtoteles autem callide in hoc capite tangit has difficultates; & cum ab initio eum

ceteris ſentire velle videatur de affectu mortuorũ erga poſteros, & amicos: tum propter communem conſenſum id aſſerentium, tum quia oppoſitum tueri videtur acerbum nimis, & ab amicitia alienum; nihilominus in progreſſu duo ſubijcit; quorum alterum dubiam illius hac in perplexitate mentem oſtendit; alterum vero plane in oppoſita eum eſſe ſententia demonſtrat. nam & propoſita quæſtione, An mortui ſint boni vel mali alicuius participes, à qua propoſitæ difficultatis diſſolutionẽ pendere dixit, eam indeciſam dimittit: & nodum, ab initio oblatum, ſecat, aut frangit: non ſoluit, inquiens; minus rebus noſtris commoueri defunctos, quam fabularum recitatione moueantur ij, qui ærumnas illas paſſi inducuntur, nec vnquam extiterunt, Heroes. hic enim mea ſententia germanus eſt eius loci ſenſus; etſi duos alios in commentario, ne quid omitterem, adiunxi. Huc accedit, quod infra lib.3.cap.6. idem ſcribit: Mortem omniũ rerum eſſe extremum: nihilq; videri mortuo reliquũ eſſe, neque bonum, neque malum: *videlicet ab ijs, quæ apud nos ſunt. Verum ex libris de anima, in quibus Ariſtoteles ſuo ſenſu loquitur, vbi etiam proprius eſt huius quæſtionis enucleandæ locus, firmiora poſſunt ad eadem comprobanda, peti argumenta. nam lib.2.tex.66. ait animam, corrupto homine, nec amare, nec meminiſſe. ſurdo igitur narrabit fabulam, qui res noſtras defunctis aperire conabitur. hæc ex Ariſtotelis ſenſu; apud quem nihilominus animam eſſe immortalem mordicus contendo; ſed per ſeparationem à corpore quaſi alterius conditionis effectam, cenſuit ille, nihil cum hoc orbe noſtro commune habere. Veritas hæc eſt. Defuncti excipiuntur à ſummo bono, vel à maximo, ſempiternoq; malo. Et qui charitate Deo ſunt coniuncti, tanguntur cura rerum noſtrarum; ſed eatenus, vt nullum ex rebus ſiniſtre incurrentibus percipiant mœrorem; ex ſecundis capiant aliquam voluptatem; hoc quidem ob charitatem, & amicitiam, quæ nos illis iungit; illud, quod intelligunt, vel iure nos plecti: vel exerceri ad virtutem: ac omnino ita eſſe conſtitutum à Deo, cuius nutum amoris, & voluntatis propriæ normam fecerunt. Qui vero ſunt æternis addicti cruciatibus, vti diſſipatas habent animi partes omnes, ac boni ſpem abiecerunt, ac in ſeipſos ſæui ſunt; ſic eandem immanitatem ſeruant erga omnes. Vt autem defuncti ea, quæ hic fiunt, intelligant, adhuc remanet inexplicatum. Porrò vi propria ea non intelligunt; ſed Deo tantum reuelante. ſunt enim ſeparati à nobis, & carent phantaſmatibus, ſeu imaginibus rerum corporalium, quarum beneficio rei obiectæ iungantur. Verum iſta pertinent magis ad Theologos.*

Ex eo, quod beatitudo honore digna eſt, ſequi, illam eſſe quid diuinum. Cap. XII.

HIs diſtinctis, reſtat, vt videamus, An beatitudo ſit habenda in numero rerum laudabilium, an earum potius, quæ honore ſunt dignæ. Perſpicuum vero eſt eam non numerari in poteſtatibus: *qualis eſt vis iraſcendi:* nec in facultatibus: *cuiuſmodi eſt medicina. his enim bene maleq; vtimur; poſſuntq; peccare, & recte facere; quod non eſt in beatitudine. differunt etiam ab actionibus, & functionibus munerum; beatitudinem uero tale quid poſuimus:* reliquum igitur eſt vt videamus, vtrum inter laudanda, an inter honore afficienda bona recenſeri debeat. Et quidem omne laudabile ob eam cauſſam laudatur, quod ſit cuiuſdammodi; & ad aliquid valeat. nam virum iuſtũ, fortem, & omnino virum bonum, virtutemq; ipſam propter facta, & actiones, quas explicant, laudamus. robuſtos quoque, atque aptos ad curſum, laudibus ornamus; eo quod natura ita comparati, & quodammodo ad aliquod bonum, atque præſtantiam ſunt affecti. quod etiam oſtendunt Deorum laudes. ſi enim *eos commendaueris, quòd careant cupiditatibus; quod nullo metu tententur;* ceteraq; hominibus laudi verti ſolita, ijs attribueris; ridiculos illos reddideris; *maieſtatemq; numinum, quòd in te eſt, eleuaueris. nam illi neceſſario bene agunt; nec eorum uirtus ad operandum dirigitur, cum in ipſis non ſit operatio à uirtute diſtincta; quæ ſecus exiſtunt in nobis.* hoc autem propterea accidit, quia laudes comparatione quadam, & relatione cõſtant; & omnino quod laudatur, ideo, quia cõducit ad aliquid, laudatur. *Dij uero ſunt propter ſe ipſos; nec ad aliquid à ſe diſtinctum referuntur.* Rerum igitur præſtantiſſimarum non eſt laus: ſed quiddam laude maius, & præſtabilius. non igitur intra res laudabiles beatitudo ſiſtit, ſed altius effertur; Dijsq; adhæret. Nam & eos beatos atque felices vſurpamus; & viros maxime diuinos vitam beatam agere dicimus; & bona illa, quæ diuiniſſima ſunt, *ut mentes orbium motrices,* beata prædicamus. Laudibus igitur iuſtitiam, ceterasq; virtutes, ob rationem dictam, efferimus; at beatitudinem, vti diuinius quiddam, atque præſtabilius ſuſpicimus: & inter beatiſſima collocamus. Videtur autem Eudoxus perbelle cauſſam voluptatis ob hoc potiſſimum egiſſe, cum principem ei locum in vita, & felicitate hominis tribuere vellet. aiebat enim. Voluptas eſt in numero rerum bonarum; quod de honeſta voluptate non ambigitur; *nec laudatur ab iſtis, qui laudationes conſcribunt; melior eſt ergo rebus, quæ laudantur. talis eſt Deus, & ſummum bonum; adhæc enim cetera referuntur; voluptas non eſt Deus; ergo eſt ſummũ bonũ. hæc Eudoxus.

Laus

Laus igitur virtuti proprie tribuitur, eo quod ſit ob res honeſtas. facta vero, & quæcumq; viribus tum animi, tum corporis obeuntur, encomijs ornantur; de his enim vt plurimum ea inſtituuntur; de quibus limatius agere illorum eſt magis, qui ſcriptitant Encomia. Nobis vero ex ijs, quæ dicta ſunt, perſpicuum eſt, vitam beatam in ijs bonis eſſe numerandam, quæ perfecta ſunt, & ſui gratia; ideoq; honore afficiendam. quod magis confirmatur ex eo, quod beatitudo principium eſt rerum agendarum. eius enim cauſſa omnes agunt omnia. principium vero, & cauſſam, cur cetera bona ſint, diuinum quiddam,& honore dignum eſſe, ducimus.

S C H O L I O N.

* *NEc laudatur ab iſtis, qui laudationes conſcribunt.] ſequutus ſum in paraphraſi expoſitionem Euſtratij. Alij explicant; non laudatur voluptas,quia eſt melior rebus laudabilibus. at hæc petitio eſt principij; vt aiunt. id enim erat in controuerſia, quod vti certum ibi conſtituitur. Non male dixerim ex Eudoxi mente, voluptatem non laudari, quia laudantur ea, quæ ad aliquid conferunt; at voluptas eſt vltimum,& finis,vel fini implicata; non igitur laudanda eſt. ergo,cum bonum quid ſit,erit bonore decoranda.*

Digreſſio de Hominis felicitate.

An ſit fas hominem in hac vita eſſe felicem.

NOn inficior eum natura ſua eſſe ſummi boni capacē. alioqui inanis eſſet iſte nobis innatus beatitudinis appetitus; natura vero nihil ſuperuacaneum. Quin etiam ſi intelligentiæ motrices, ceteraq; à materia ſeiuncta, ſunt ob mentis, & rationis communicationem felicia, cur homini mente ac ratione prædito id ipſum negetur? certe Ariſtot. infra lib.10. cap.8. & Plotinus enn.1.lib.4.cap. 3. ab boc potiſſimum principio tam homines, quam mentes ſeparatas non eſſe ad beatitudinem ineptas, deducunt. Ceterum homini, donec vitalem hunc ſpiritum haurit, plenam illam,abſolutamq; beatitudinem,ad quam conditus eſt,contingere poſſe,plane abnuo. docent hoc Plato in Philebo. Ariſt. infra lib.4. cap.2. Boet.lib.3.de conſolat.cap.2.alijq; omnes,quotquot in hunc ſermonem inciderunt. quid enim hac veritate in humana vita magis promptum, & obuium? Beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum cumulo perfectus; & vt Cicero ſcribit, ſecurus à metu amittendi ea, ex quibus conſtituitur. *at in vita præſenti nec omnia bona in vnum conſpirant; nec adeſt vlla ſecuritas retinendi pauca illa, quibus interdum fruimur. His ea ſuccinnunt, quæ à poetis, & philoſophis de hominis inconſtantia miſeriaq. traduntur. Iuuenal. ſat. 9.*

Feſti-

Feſtinat decurrere velox
Floſculus, anguſtæ miſeræq; breuiſſima vitæ
Portio. *Virgilius*.
Optima quæq; dies miſeris mortalibus æui
Prima fugit; ſubeunt anni triſtisq; ſenectus,
Et labor;& duræ rapit inclementia mortis.

Heſiodus. Dij nos quaſi pilas habent.

Ouidius. Ludit in humanis diuina potentia rebus,
Et certam præſens vix habet hora fidem.

Hinc Plato 1.& 2. de leg. appellat hominem ludum Deorum; *niſi forte ad ludum alludebat illum, quem ſapientia in ipſo orbis ortu,coram Deo ſe luſiſſe teſtatur. His adde mala eſſe bonis adeo inuoluta, vt hæc ſine illis decerpere nequeas,non magis,quam roſam ſine ſpinis. fuit Menandri dictum,* Deum voluptatem & moleſtiam quaſi in vnum coaptaſſe faſtigium; *additq; Philo in lib. de temulentia,* vbi vna recedit,alteram ſubſequi, *& Sapiens*; extrema gaudij luctu occupari. *Huc ſpectant Homeri Dolia in limine Iouis ædium expoſita; quæ nihilominus inique ab eo temperari Pindarus cecinit; cum plus miſceat triſtium,quam lætorum; & ad ſingula bona, bina diſtribuat incommoda. Apuleius quoque in floridis lib.4.* In ampliſſima quaque lætitia ſubeſt quæpiam vel parua querimonia,coniugatione quadam mellis,atque fellis. vbi vber, ibi tuber. *Demum eum ſpeciem vniuerſam ſine ſuo fruſtrari, vnum ſit ex ijs, quæ fieri non poſſunt; & naturam potius deſtruant: nemo autem ex tanta hominum,qui vixerunt,copia fuerit hactenus beatus: & qui ſe tales iactare auſi ſunt,Crœſus, & Polycrates, infelicem ſortiti exitum, graues temeritatis ſuæ pœnas dederint; quid magis concludendum,quam fieri non poſſe, vt quiſpiam,dum hoc cælo fruitur, ſit, & dicatur beatus? Verum qui longius in hanc ſententiam excurrunt, &,quaſi lucem deteſtati, vitam ad ſupplicium datam, & ſummæ eſſe miſeriæ naſci hominem,vt Crantor, ducunt: nihilque, vt Homerus, & Plutarchi Gryllus, in terra homine infelicius ſpirare dicunt: nec vere, nec ex ſententia loqui mihi videntur. non ex ſententia; tandem enim cara eſt omnibus vſura lucis huius, niſi ijs forte,qui animo fracti, ſpem omnem abiecere, ac* ſibi lethum

Inſontes peperere manu: lucemq; peroſi
Abiecere animas: *ſed cito facti pœnitentia ſubit.*
Quam vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem, & duros perferre labores.
Fata vetant. *Nec etiam vere; etſi tale quiddam ex Dei, ſed ſylueſtris,atque adeo ganeonis, & ſcurræ Deorum, ore protulerunt antiquæ fabulæ; Silenus ille eſt, quem ferunt in venatione captum, & ad Midam adductum,ab eoq; iuſſum promere, quid nam optimum homini*

eſſet,

eſſet, diu continuiſſe vocem: at cum nullum vrgendi finem Rex faceret, victum importunitate, in hac verba proripiſſe: Difficilis fortunæ ac ærumnoſi genij ſemen, in diem durans; quorſum me cogitis ea vobis dicere, quæ melius fuerat ignoraſſe? maxime enim dolore vacantes viuunt, qui ſua ignorant mala. Hominibus optimum eſt non naſci. proximum huic eſt, quam celerrime mori. *hæc Plutarchus in conſolat. ad Apoll. ex Ariſtotelis Eudemo. Verum ſtulte admodum de hominis miſeria hæc ſimpliciter proferũtur. naſcimur enim vt beati, non vt calamitoſi ſimus; etſi culpa ſua homo de ſtatu connaturali deijci, omnibusq́; animantibus miſerior effici poſſit; quo pacto ad verum ſenſum illa de hominis calamitate tragicè iactata reduci poſſunt. Nobis igitur in hac vita non licet eſſe beatis; at eius eſſe poſſumus conditionis, vt homines natos eſſe, non pœniteat; quin maxima Deo gratiæ habendæ, quod tales nos condiderit, qui poſt obitum cumulata beatitudine frui, & ante diem extremum ſtatu noſtro plane lætari poſſimus. magnas enim præſens vita ſuppeditat voluptates. dolores quoque ingerit, vti terra fœcunda, qualem Aegyptum dicunt, noxias vnà, & ſalutares herbas fundit. Sed hominis prudentis eſt vtilia decerpere, reiectis pernicioſis. maxime vero illi quietè viuunt, qui, cum prudenti conſilio vitam inſtituerint, cupiditates animi ſubigunt, atque affligunt, ne acrius inſurgant. in quo maximè felicitatem huius vitæ collocari diximus in eo libro, quē de affectionibus animi coërcendis breui ſtylo conſcripſimus. Quæ de alterius poſt mortem vitæ beatitudine annotauimus, nemo cenſeat eſſe à ſenſu Ariſtotelis aliena. ille enim in dialogo de animo, quem Eudemum inſcripſerat, hæc ſcribit, vt ex eodem Plutarchus refert in Conſolatione.* Cum felices cenſemus eſſe & beatos eos, qui hac vita functi ſunt; tum nefas putamus quicquam de ijs falſo, vel contumelioſe dicere. quippe qui melioris iam prȩſtantiorisq́; naturæ facti ſint compotes. Atque hæc noſtra ſententia vetuſta eſt adeo, vt eius & initiũ, & auctor prorſus ignorentur; ſed ab infinita vſque æternitate continenter ea ſic eſt propagata. *Idipſum Plato ſenſit in Phædone, Gorgia, & 10. de legibus. Nec quæ Ariſtoteles in 3. de Anima de mente ſcribit, ab hac ſunt veritate aliena.*

An homo felicitatem, quam habere poteſt, nanciſcatur à corporis voluptatibus.

Præter Sardanapalum, non defuere alia quoque Veneris, & Bacchi mancipia; quæ nihil bonum exiſtimarent, quod ſenſui corporis non videretur ſuaue. illud enim: Ede, bibe, lude, *Philoxenus maxime cordi habuit; optauitq́; collum gruis, quo voluptas guſtatus foret diuturnior. Hos Ariſtippus æmulatus, omne ſtudium ad palati oblectamenta contulit;*

tulit;

tulit; adeo vt lactucas hortenſes veſperi mulſo irrigaret, quo luxurioſius creſcerent, atque ſaporis fierent delicatioris. Xerſes, re cum Græcis male geſta, curis reiectis, ad has voluptates ſe totum tranſtulit; atque præmium ei, qui nouum architectaretur corporis oblectamentum, propoſuit. Lucullus, attrito Mithridate, oppreſſo Tigrane, multarum victor gentium, ipſe tandem ab inuidia victus, abiecta Reipub. cura, è medio ſeceſſit: ac ſe totum voluptatibus ingurgitauit; quaſi Veneri ſacra facturus in gratiarum actionem. eius vitam Plutarchus comœdiæ ſimilẽ fuiſſe ſcribit: ab initio laborioſam; in fine voluptuoſam. Hos omnes ex vitæ inſtituto in eorum claſſem conÿcere licet, qui à voluptate corporis ſummum bonum petunt. Sed ab hac nota quis forte Lucullum vendicet; quod cum voluptate corporis eam, quæ animi eſt, coniunxiſſe, huic principem locum aſſignaſſe, & in delicatiſſima vita celſitudinem animi retinuiſſe ab ipſo ſtudio quietis, otioq́; magnificentiæ ſummæ coniuncto, videatur. Sed ſi Lucullum ab eo ordine expungas, non deſint innumeri, quos eius loco ſufficias. Mahometes, mortalium omnium nequiſſimus, cunctarum hæreſum fœtura, & colluuies (nam omne cœnum hæreticorum, in alÿs ſparſim diffuſum, iſte vnus coniunxit, euomuitq́;) felicitatem poſt vitæ finem in voluptatibus corporis propoſuit ſectatoribus: epulas tunc pollicitus ſuauiſſimas, fæminarum humanam pulchritudinem excedentium copiam; complexus maritales omni plenos dulcedine, nec vnquam antea deguſtatos. cuius fœditatis auctor inter Chriſtianos Cerinthus fertur, coætaneus Apoſtolorũ. Eodem, ni fallor, errore tenentur Iudæi illi, qui oracula de regno Meſſiæ ad ſaginã ventris, ſenſuumq́; oblectationem traducunt; quo nomine dixerim non immerito illos gentem ad libidinem proiectiſſimam *à Tacito appellari. Hæc veſania non longe diſtat ab atheiſmo. qui enim id ſentiunt, tum animam cum corpore interire autumant; (alias agnoſcerent quandam aliam felicitatem non ſubiectam ſenſibus) tum etiam Dei prouidentiam tollunt, pœna præmioque, quibus animi à corpore ſeparati eſſent afficiendi, ſublatis. quo dato, quantum ab eo diſtant, vt Deum eſſe negent? ſi enim natura præſtans adeo, diuinaq́; exiſtat, quo pacto non gerat orbis principatum? quod ſi princeps ſit, tanto ne opprimatur veterno, tantaq́; teneatur hebetudine mentis, vt facta ſubditorum vel non curet, vel, ſi maxime velit, non queat intelligere? ſuſtulit quidem animi immortalitatem Epicurus: ſed animi quoque voluptatem, non corporis, pro ſummo bono amplexus eſt. qui vero ex eius ſchola prodiere, ab hac ad ſenſuum delectationem omni ſtudio proſequendam delapſi, hanc doctori ſuo infamiam peperere, vt de grege Epicureo porci appellarentur: non ſine aliqua magiſtri culpa: ſed vitio maiore diſcipulorum. omnes tamen, vel certe plurimi, præeunte Doctore, Dei prouidentim, & curam rerum humanarum, omnemq́; religionem, deriſui habuerunt; & vrgente è cælo numine, at-*

que in hominum pectora pauorem quendam effundente,

Primum Graius homo mortales tollere contra
Eſt oculos auſus; primusq́; obſiſtere contra.
Quem nec fama Deum, nec fulmina, nec minitanti
Murmure compreſſit cælum.

Quod ſi opinionis de felicitate minus noxiæ, qualis Epicuri cum diſcipulis collati fuit, adeo ſunt fructus peſtilentes; vt Deus, quantum in illis eſt, rerum inferiorum adminiſtratione abdicetur; ab alia diſcipulorum de voluptate corporis multo deteriore ſententia quid porro expectandũ, niſi vt è mundo penitus tollatur Deus? Contra Epicuri ſectatores breuiter agam; diſputatione de animi voluptate in librum decimum reiecta. nec diu immorabor eorum decretis euertendis, nec iſta inguinis, ventrisq́; ſeruitia diſputationis accuratioris dignabor honore. Primum argumentum ex lib. 7. Polit. Ariſtotelis promatur. anima pars eſt hominis, corpore nobilior, ab ea igitur hominis beatitudo pendet magis, quam à corpore. quin animus obruitur à voluptate ſenſuum, & ab agendo, & contemplando retardatur; quare impedimento illa potius eſt homini ad beatitudinem: at ſi voluptas eſſet cauſa per ſe beatitudinis, magis aucta, beatitudinem redderet maiorem. Deinde, voluptas ſenſuum eſt finis iumentorum; hac enim trahuntur; homo igitur quid voluptate ſublimius ſpectare debet. Præterea, voluptas eſt humanæ vitæ admodum pernicioſa; eneruat enim, enecatq́; vires; Silius lib. 15.

Nec ira Deum tantum, nec tela, nec hoſtes
Quantum ſola noces animis illapſa voluptas

His adde, voluptatem ſenſuum vel eſſe dolori complicatam; vel hanc præire, illum neceſſario ſubſequi. quare Ariſtoteles dicere ſolebat, Voluptatem non eſſe conſiderandam à fronte, ſed à tergo; *relinquit enim pœnitentiam, & mœrorem. poteſt igitur de ea proferri, quod Iuuenalis de vxore dixit,* plus aloes habere, quam mellis. *at beatitudo ab omni mœrore, atq; triſtitia eſt immunis. merito igitur Socrates in Philebo negauit, ſe tam abſurdæ opinioni aſſenſurum, etiam ſi nouo, & inuſitato portento boues, & equi eam affirmarent. idem ſe facturum ſcribit Porphyrius lib. 3. περὶ ἀποχῆς, etiam ſi idipſum aſſeuerarent ſues, & Capri. neque de his plura. hæc enim veſania cenſore potius habet opus, quã doctore. Illud fateor, multo facilius voluptatem verbis refelli, quam facto ipſo ablegari. nullo enim negotio, voluptatem eijciendam eſſe, diſputando perſuademus; at non niſi magno labore eijcimus; vel ei aditum obſtruimus. idque datur admodum paucis. qua de re infra libro ſeptimo.*

An honores ciuiles faciant hominem beatum.

NEque hic diu moror; confutauit enim ambitioſorum faſtum Ariſtoteles, cum eos illis, qui honorem exhibent, ſubyci dixit; ideoq; merito timere, ne ſpolientur honore. his adde quod idem Ariſtot. infra lib. 4. cap. 3. & Diuus Thomas p. 2. quæſt. 2. articulo ſecundo, ſcribunt, honorem tribui virtuti, non quaſi condignum præmium, ſed quia maius eo tribuere non poſſumus. ridiculum enim eſſet externis iſtis venerationis argumentis, interdum ſubdolis, numquam non fumoſis, atque tumidis, gaudere virtutem: nec præmia quærere veriora, ſolidioraque. Cum itaque honor ſit inferior virtute, non poteſt eſſe ſummum bonum.

Honores etiam ciuiles ingentes plerumque labores grauesq; trahunt moleſtias; ſunt inſtabiles, ac ſæpe, ob inuidiam, interitum creant habentibus. Demum ludibria præſentis vitæ non ſunt cauſſa miſeriæ, immo pleraque non magni fiunt à ſapientibus; ergo, ſi à contrarijs ad contraria licet progredi, nec etiam honores iſti, quos vulgi aura, vel principum largitio tribuit, ſunt magnifaciendi. Lucanus vtramq; vanitatem eleganter perſtrinxit, vbi de Magno Pompeio, ad ſupera poſt exitum infelicem euecto, agens, ita canit lib. 9.

illic poſtquam ſe lumine vero
Impleuit, ſtellasq; vagas miratur, & aſtra
Fixa polis; vidit quanta ſub nocte iaceret
Noſtra dies; riſitq; ſui ludibria trunci.

An ſummum hominis bonum ſit in diuitijs.

SImonides apud Ariſtotelem 2. Rhet. lubricam hanc quæſtionem exiſtimauit, ob philoſophos, qui fortunatorum fores frequentant. re enim magnifacere videntur diuitias, etſi verbis paruipendunt. magna quippe uis pecuniæ, cui obediunt omnia. nam

Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames? *nihil porro eſt tam ſanctum, quod non uiolari: nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia poſſit. Philippus ab oraculo accepit ſeſe hoſtes omnes argenteis haſtis profligaturum. celebre fuit eiuſdem dictum,* nullam eſſe arcem adeo munitam, quæ nequiret expugnari, ſi per anguſtias viarum immitti poſſet aſellus auro onuſtus. *C. Pontius Imperator Samnitum optauit, ad illa ſe tempora ſeruari, quando Romani accipere dona cœpiſſent; non ſe paſſurum, ut ij diutius imperarent. Demum pecuniæ uim immenſam Danaes fabula declarat, quæ è turri ænea inſultum auri non ſuſtinuit. Ariſtoteles quoque infra lib. 5. cap. 5. & 1. polit. cap. 2. ait* nummum fuiſſe inuentum, vt eſſet fideiuſſor, nos habituros, quæcumque vellemus. *id autem eſt ho-*

minem eſſe beatum, uotis omnibus potiri, atque frui.

Ceterum diuitias ad felicitatem, vti inſtrumenta, non vti cauſſam præcipuam conducere, ſupra docuit Ariſtoteles. quamobrem cum inſtrumenta non debeant eſſe magnitudinis vaſtæ, vel infinitæ, (alioqui inutilia forent ad opus) diuitias quoque moderatas eſſe oportet. tum accedere debet bonus uſus. Cum uero ſint propter aliud, ſatis apparet, non eſſe illas ultimum finem. quare lucent, cum effunduntur; concluſæ uero, & otioſæ non magis proſunt, quam lutum. faciunt etiam hominem deteriorem, ne dum eum felicem non conſtituunt. magna enim diuitijs, & uitijs, ut nominis, ita naturæ affinitas, Ouidius eaſdem appellauit irritamenta malorum. *Ariſtoteles infra lib. 10. ait obeſſe diuitias nimias contemplationi, ac proinde ſummæ felicitati. certe quietem ab ijs non leuiter turbari omnes experiuntur. Anacreon duobus à Polycrate Samio talentis acceptis, cum duas noctes ſomnum non cepiſſet, cura cuſtodiendi, uel collocandi: ea donatori remiſit, addens,* non tanti à ſe illa fieri, quantum ſibi ab ijs moleſtiæ prouenifſet. *pulchre Horat. ſat. 1.*

An vigilare metu exanimem: noctesque, dieſque
Formidare malos fures, incendia, ſeruos,
Ne te compilent, fugientes; hoc iuuat? horum
Semper ego optarem pauperrimus eſſe bonorum.

Huc accedit maiorum in dies opum ſitis, atque fames. quo enim plures habentur, adhuc plures expetũtur; inde cruciatus animi ſequitur acerbiſſimus, quem Theocritus in Idillijs quaſi malum ingens auaris imprecatur. Horatius vtrumque coniunxit:

Creſcentem ſequitur cura pecuniam
Maiorumque fames.

Denique ſummum bonum eſt intra hominem, permeatq; penitiſſimos animi ſinus; at diuitiæ ſunt extra; non igitur queant hominis explere indigentiam, & appetitum: quem Caligula vt ſatiaret, ſæpe ſuper immenſos aureorum aceruos, patentiſſimo diffuſos loco, & nudis pedibus ſpatiatus, & toto corpore aliquandiu volutatus eſt: vt ſcribit Suetonius. Neque verò pecuniæ parent omnia, niſi apud homines venales. nec nummus eſt fideiuſſor aut ſponſor, niſi pro rebus quæ pretio addici, quæque haberi poſſunt. at valetudo, tranquillitas animi, virtus non poſſunt venum exponi. Quod ſi obijcias, ineſſe aliquid diuitijs quod vnius ſummi boni videtur proprium: vt ſcilicet appetantur ſine fine, ſine termino, ſine modo; dicam, hominem natura ſua expetere bonum infinitum, ſed finito modo, & limitato. frui enim vult infinito bono, ſed non vult eſſe in infinitum beatus. ergo falſum eſt beatitudinem ſine termino, & in infinitum appeti. & nihilominus appetitus ſummi boni differt ab appetitu diuitiarũm. illud enim quo magis cognoſcitur, magis amatur; nec aliquid vltra illud appetitur. at diuitiæ ſemel habitæ, nec appetuntur, nec aman-

amantur; quin ipſa conſequutione vileſcunt; ideo aliæ deſiderantur, poſt aliæ, in infinitum. quare appetitus faſtidio capitur diuitiarum acquiſitarum; nec ideo expletur, vel quieſcit. at ſummi boni nulla ſatietate animus afficitur; & nihilominus expletur, ſummamq; nanciſcitur quietem. Eleganter Plutarchus primo de cupiditate diuitiarum ait, diuitijs à nullo malo hominem liberari: quandoquidem ne hoc ipſum adimunt malum, ſui cupiditatem. Ariſtippus eos, qui diuitijs non explentur, monebat, laborare animo grauiſſime: ac medico, & eiectione egere: perinde ac eos, qui quo plus bibunt, vel comedunt, plus ſitiunt, eſuriuntue. Horat. ad Florum.

Si tibi nulla ſitim finiret copia lymphæ,
Narrares medicis. quod quanto plura paraſti,
Tanto plura cupis, nulli ne farier audes?

Non ſunt ergo diuitiæ ſummum hominis bonum.

An in reliquis corporis, vel fortunæ bonis exiſtat hominis felicitas.

POteſt in alijs quibuſdam leuioribus bonis eadem volui difficultas: exempli gratia, in pulchritudine, atque forma corporis. An non enim eo dementiæ ventum aliquando, vt in re omnium vaniſſima ſummum bonum collocaretur? talem ſe Narciſſus, ab Orpheo decantatus, prodidit, qui amore propriæ formæ, omnes eſt puellas dedignatus. ſed quid fabulis immoror? ſcribit Dion Caſſius, Poppæam Neronis optaſſe, vt florente ætate decederet è vita: ſi pulchritudo eius atque forma ſenio foret minuenda; quam calce percuſſam, maritus voti damnauit. Verũ pulchritudo parui omnino momenti eſt ad beatitudinem. flori enim ea eſt ſimilis: beatitudo fructui. eſt quoque res inutilis, maximeq; omniũ fugax. ſed plura in hanc ſententiam ſcribere, operam ludere eſt. Cetera vero corporis, vel fortunæ bona non eſſe digna, in quæ operam impendamus, egregie docuit Plutarchus. Natalium enim ſplendor præclara res eſt; ſed à maioribus accepta. Diuitiæ ſunt in pretio; ſed earum poſſeſſio pendet à fortuna, ſuntq; latronum ſcopus, ac ſæpe deueniunt ad peſſimos. Gloria res eſt vt honorabilis, ita inſtabilis. Pulchritudo optabilis; ſed paruo tempore viget. ſanitas pretioſa; ſed facile corrumpitur. Robur res eſt laude digna: ſed ſenio aboletur facile; atque eo à beſtijs homo ſuperatur. ſola igitur virtus immortalis eſt, & diuina. Philo. lib. de Temulentia ait, externa bona eſſe quaſi ſtipatores, & ſatellites bonorum corporis; hæc verò eſſe cuſtodes & miniſtros bonorum animi: potius igitur in animi bonis felicitas reponenda, quando ea ſunt finis aliorum.

An vltra

An vltra virtutem adhuc actio requiratur ad hominis felicitatem.

ARiſtoteles cap.5.& 7.luculenter vtrumque probat: ſcilicet,virtutem fundamentum eſſe vitæ beatæ: ac ſine actione non ſufficere ad beatitudinem. his adde Sophoclem dicentem, virtutem lucere operibus,vt æs vſu ſplendeſcit. *in quam ſententiam Claudian.de 4. Honorÿ conſulatu,*

Vile latens virtus; quid enim ſummerſa tenebris
Proderit? obſcuro veluti ſine remige puppis,
Vel lyra quæ reticet,vel qui non tenditur arcus.

Et Sillius. Nam virtus futile nomen
Ni decus affuerit patiendo,vbi tempora lethi.

Spartani ſtatuas Deorum habuere armatas, quod eorum exemplo in continuo nos opere verſari deceat. Pompeius exiſtimauit decorum eſſe gubernantem Rempub, ſtantem mori; *quod de Cæſaribus Veſpaſianus: de Cæſarum præfectis Turbo Hadriani præfectus cenſuere. Epaminundas reprehendit virum quendam ſtrenuum morbo abſumptum in lecto,quod æquius fuiſſet eum in caſtris, (tunc ad Leuctra pugnabatur) occumbere. denique dictum Epicuri;* Latenter viuendum eſſe, *communi ſapientum calculo damnatur. ipſæ celeſtes mentes, ex Ariſtotelis ſententia,ſine operatione aliqua non ſunt felices; nec ſunt optimè diſpoſitæ,niſi cum mouent orbes; Quod autem lib.2.de cælo tex.62. ſcribitur,* Quod optime conſtitutum eſt, ſuum bonum ſine vlla actione habere debere, *non adimit intelligentÿs motricibus,vel homini ex virtute agenti beatitudinem. eorum enim verborũ hæc eſt ſententia. Quod optime ſe habet, ſuum bonum non aliunde quærit; nec opus habet ab alio mendicare felicitatem. orbium vero conuerſiones in mentium ſeparatarum poteſtate ſunt; & functiones virtutis exiſtunt in manu hominis, nihilq; cenſetur magis eſſe illius proprium, quam virtus. Neque vero perennem, minimeq; interruptam virtutis functionem ad felicitatem exigimus. cum enim iugi,& continenti opera rebus agendis,vel contemplationi incumbere nemo poſſit, ſæpius vna eademq; die idem beatus eſſet,& non beatus: interrupta ſcilicet,& repetita functione virtutis. ſatis autem fuerit ex virtute egiſſe,occaſione data; quam nihilominus frequentem in vita adeſſe volumus; & ni ſe offerat, ſtudioſe quærendam. In functionibus autem eiuſmodi, poſt acquiſitum habitum, moleſtiam non percipi,& virum fortem,dum cruciatus,& mortem tolerat, aliquo tenus animo lætari,in 2.& 3. libro docet Ariſtoteles, quapropter id non impedit, quo minus in functione virtutis, quaſi res moleſta, & interdum triſtitiæ plena ſit, ſummum bonum conſtituamus.*

Verum

Verum ſi omnis actio, omnisq; electio bonum appetit, etiam à virtutis functione bonum aliquod expeti neceſſe eſt; non eſt igitur illa ſummum bonum, cum non ſit gratia ſui, ſed boni illius, quod appetit. Sed monuit Ariſtoteles cap. 1. quaſi huic occurſurus obiectioni: aliquas eſſe functiones, quæ ſunt ipſæ ſibi finis: non igitur tendunt ad bonū à ſe diſtinctum. eiuſmodi eas eſſe dicimus, in quibus felicitatem hominis collocamus.

Duplicem eſſe animi virtutem; duplicem quoque felicitatem. Cap. XIII.

P*Ropoſita definitione beatitudinis, eiusq; natura adumbrata, reliquum eſt, ut ad ſingulas definitionis partes illuſtrandas deſcendamus; & pictorum exemplo, rudem, ſuisq; tantum lineis conſtantem imaginem coloribus ornemus, & perpoliamus.* Quoniam vero beatitudinem poſuimus eſſe functionem muneris ab animo profectam, & vndique abſolutæ virtuti congruentem, primo loco de virtute videndum eſt. ſic enim fortaſſe beatitudinis natura nobis fuerit melius explicata. [1] Neque vero ab inſtituto noſtro aliena hæc diſputatio cenſenda. conſilium enim ab initio ſuſcepimus, vt virum ciuilem informaremus. huc autem ſe ille parat maxime, præcipuamq; operam confert, vt ciues ſuos viros bonos, legibusq; obedientes efficiat; quod Cretenſium, atque Lacedæmoniorum legumlatores, aliiq; moliti ſunt: ciuibus ad virtutem compulſis. *ea enim unica eſt uia homines reddendi bonos, atque legibus obtemperantes.* De virtute autem agendum *non omni, ſed* humana; nam nec aliud ſummum bonum quærimus, nec aliam inueſtigamus beatitudinem, præter quam hominis. [2] virtutem vero humanam appellamus eam, quæ non corporis: *ut ſanitas, robur, pulchritudo*: ſed animi eſt virtus: qua ratione hominis beatitudinem functionem animi poſuimus. quod ſi hæc ita ſe habent, [3] porro vt eum, qui oculos curaturus eſt, nedum oculorum, ſed etiam totius corporis conſtitutionem oportet habere perſpectam, *noſcereque, gratia exempli, quæ in oculos per Sympathian, ſiue conſenſum humores tranſmittere poſſunt: ut prohibeat;* ſic eum, qui Reipub. adminiſtrandæ aptus futurus eſt, decet, *nedum quid æquum, quid iniquum ſcire: atque rationem præmij atque pœnæ, ceteraq; id genus tenere: uerum* ea, quæ ad animum, eiusq; facultates, & naturam pertinent, quodammodo ſcientia comprehendiſſe; *hoc enim ille quærit, animum reddere uirtute excultum;* [4] eoque magis in eam cognitionem incumbet; quo ſcientia ciuilis maiore honore digna eſt, quam medicina; *ut quæ in rebus occupatur maioris momenti, quam ſit huius, uel illius ualetudo.* Ea propter politiores medici, *quique non experi-*

mento

mento freti, ſed arte ad huc, atque theoria cum uſu coiuncta inſtructi ad medendum alicui parti accedere ſtudent, multum operæ in cognitione totius corporis, & reliquarum illius partium ponere conſueuerunt. Ergo & ei, qui ciuitatis regendæ peritus futurus eſt, in animi cognitionem tanta opera conferenda, quanta ad illum virtute imbuendum ſit ſatis. namque illius vim, & naturam accuratius explicare, maioris fortaſſe negotij ſit, quam ea ipſa, quæ in hac ciuili tractatione quærimus. De hoc autem etiam in ijs libris, quos, *quoniam populariter, & ad multitudinis captum ſcripti ſunt*, ἐξωτερικούς, hoc eſt externos, vel extrarios appellamus, ſatis copioſe à nobis dicta ſunt nonnulla; ex quibus aliqua ad præſentem vſum erunt accipienda. exempli cauſſa, vnam eſſe animi partem rationis expertem; alteram participem; quæ vtrum ſiut inter ſe diſtinctæ, quemadmodum in corpore oſſa, & nerui, & quæcumqne partitionem, ſeu diuiſionem admittunt, alterum ab altero diſtinguuntur *ſitu*; an potius *loco* & natura inſeparabiles, & indiuiſæ, ratione tantum duæ ſint: vt in circumferentia concauum, & conuexum, ad id, quod nunc agimus, nihil refert. *Neque enim nobis eſt animus hic agendi contra Platonem, organa diuerſa diuerſis facultatibus aſſignantem. utcumque ſe res habeat, norma eadem remanet, eademq; uia animi uirtute excolendi.* Eius autem partis, quæ ratione caret, duæ aliæ ſunt particulæ; quarum altera ſimilis eſt eius, quæ ſtirpibus propriè conuenit: eſtque omnium viuentium communis; dico autem illam, quæ alendi, augendiq; corporis cauſſa eſt. talem enim vim, cum in ijs omnibus, quæ aluntur, atque adeo in fœtibus imperfectis, ponere licet; tum etiam in animantibus perfectis. probabilius eſt enim vnam, & eandem eſſe in omnibus vim nutriendi, augendique, quam diuerſas. *quæ enim diuerſitas in plantis, & animantibus apparet nutritionis, ab inſtrumentorum diuerſitate exiſtit, non ab anima, vel eius facultate.* Virtus igitur alendi non eſt hominis propria; quare in ſomno ſuo munere maxime fungitur. *Status vero ille non conuenit homini, qua homo eſt.* bonus enim ab improbo minimum in ſomno diſcernitur. hinc illud eſt, quod aiunt, Inter beatos ac miſeros dimidiam vitæ partem nihil intereſſe. eiuſque rei ratio probabilis, cur ita accidat, afferri poteſt. Somnus enim eſt animi ceſſatio, vacatioq; ab opere; at homo actione ſeu operatione bonus dicitur, vel malus. in ſopore igitur conſtitutus, extra ſtatum exiſtit homini, qua homo eſt, quaque ſeparatur à belluis, conſentaneum. Verum nihilominus illud eſt, in ſomnis motiones quaſdam ad animæ partem aliquam pertingere, quarum merito [5] bonorum, quam malorum hominum viſa ſunt meliora. *quapropter incurrentibus in borum phantaſiam lætis rerum imaginibus, in illorum vero triſtibus, atque turbidis: etiam in ſomno bonorum, & malorum diuerſa eſt conditio: cum*

tlo: cum hi quietem ex ſomno capiant; illi contra perturbentur. Ceterum iſta viſorum diſparitas minimum quoddam ſtatuit inter eos diſcrimen; quod ijs adueniat extra ſtatum hominis proprium conſtitutis. Sed de his quidē ſatis. nec de alendi vi quicquā vltra addendū; quandoquidē virtutis humanæ expers eſt natura ſua; *nihilq́; ad eā confert.* Remanet altera vis animi; & ipſa rōne vacua in ſeipſa; quæ tamen eatenus eſt rōnis particeps, quatenus pōt eidem obtemperare. apparet id in cōtinente, & incontinente; quorū rationē, animiq́: partem eam, quæ rationem in ipſis ſequitur, laudamus. recta enim illa eſt, & ad optima facta hortatur, & excitat. rurſum in ijſdem vituperamus partem illam, quæ à ratione auerſa natura ſua, eidē repugnat, & reluctatur. plane enim eiuſmodi vis quædam præpoſtera, & refractaria exiſtit in animo incōtinentis; cuius impetu idipſum illi euenit, quod membra luxatis, vel mouendi principio læſis, apoplecticiſque; qui cum dextrorſum moueri volunt, in contrariam partem ſiniſtrorſum peruerſe, atque nolentes feruntur. abeunt enim, diſtrahunturq́; in diuerſa incontinentium appetitiones, *ac ratione, quæ honeſta ſunt, ſuadente, pars animi inferior, quam appetitionem nominamus, ad turpia compellit.* Sed in corporibus, id, quod perperam mouetur, oculis cernimus; quod vero in animo præter rationem fit, non videmus. at non ideo poſſumus inficiari, animo quoque aliquid ineſſe, quod à ratione ſit deuium, eiq́; aduerſetur. quod quomodo à ratione diſtinguatur, *re, ſcilicet, an ratione,* nihil refert. hoc ſatis ſit monuiſſe, particulam iſtam animi, ratione vacuam, rationis quodammodo participem eſſe; quatenus ei poteſt obtemperare, vel reſiſtere. paret autem rationi in homine continente: ac multo magis in viro forti, & temperante. omnia enim in iſtis, vna penè dicam voce, cum ratione conſentiunt; *nec appetitus à rationis imperio decedit.* quæ igitur ad ſtirpes pertinet, cum ratione nil commune habet: cum inepta ſit ad eius dictata percipienda; quæ vero ad concupiſcendum, & omnino ad appetendum impellit, aliqua ex parte ratione prædita eſt: nempe qua ei paret, & obtemperat. Sic igitur dicere ſolemus, nos patris & amicorum rationem habere; non quo modo in mathematicis, alijſque ſcientijs dicimus, nos tenere rationem concluſionis: *vt, cur in triangulo æquilatero ſint tres anguli pares duobus rectis. huiuſcemodi enim rationem habere, eſt ſigna propoſitionis neceſſaria tenere, eoq́; argumento niti. at patris habere rationem eſt, illius dictis auſcultare; ſimiliq́; modo vis concupiſcendi, & iraſcēdi rationem habere dici poſſunt, quia rationi queunt obtemperare.* Id autem ita ſe habere cum præceptio, & admonitio, tum omnis reprehenſio, & exhortatio indicat. *Fruſtra enim eæ ſuſciperentur, vanusq́; eſſet labor quem admonendi, vt ab ira, & prauis cupiditatibus contineat, ni vis illa poſſit rationis dicta*

accipere, & cuſtodire. Vis igitur animi rationis particeps duplex erit, altera propriè, & vt habens in ſeipſa rationem; altera veluti filius, qui parentis dicto eſt audiens, & alienæ ſe rationi dirigendum permittit. Ex hac animi diuiſione, atque differentia, virtutis quoq; diſtinctio partitioq; naſcitur. alias enim virtutes in cogitatione, ac ratione poſitas eſſe dicimus; alias in parte illa, quæ in ſe rationē non habet; ſed nihilominus apta eſt rationi obtemperare; haſq; morales, quòd ad mores pertineāt, appellamus. ⁊ in rõne poſitæ ſunt ſapiētia, intelligentia, ſeu habitus primorū principiorum; perſpicacia, prudentia, *ſcientia, & ars*; in inferiore liberalitas, temperantia, & ceteræ, quæ morum ſunt, virtutes. nam cum de moribus alicuius loquimur, non illum ſapientem, aut intelligentem dicimus; ſed clementem, lenem, temperantem. laudamus quoque ex habitu ſapientem; habituſq; illos, qui ſunt laudabiles, virtutū nominibus nuncupamus. *Sapientia igitur prudētia, & intelligētia virtutes ſunt, ſed rationis: fortitudo vero, tēperantia, & cetera, quæ ad mores referūtur, appetitionis.*

S C H O L I A.

1 NEque vero ab inſtituto noſtro aliena.] *adde, ſola virtute hominem fieri aptum ad imperandum, vt Ecphantus Pythagoricus dixit. vir autem ciuilis; & qui ciuitati præeſſe poſſit, nobis propoſitus eſt. Beatitudinem etiam quærimus, quæ non niſi per virtutem obtinetur.*

2 Virtutem vero humanam appellamus.] *etiam in ſenſibus eſt ſua cuique virtus; vt M. Cicero ait lib. de finib. Ariſtot. quoque in Rhetoricis appellat ſæpe* τὴν τοῦ σώματος ἀρετήν. *Immo & equi, & arboris virtutem Cicero dixit libro de legibus, in quo nihilominus abuti ſe nomine fatetur.*

3 Porro vt eum, qui oculos curaturus eſt.] *nam, vt ait Galenus lib. 4. methodi medendi, oculum ante totum caput ſanare non licet: neque hoc ante totum corpus. præſtat igitur eum, qui oculum curaturus eſt, cognoſcere naturam, ne dum oculi, ſed etiam capitis, atque adeò totius corporis.*

4 Eoq; magis, in eam cognitionem incumbet &c.] *eodem prorſus argumento, ab exquiſita medicorum diligentia petito, vtitur Nazianzenus: vt probet maiore cura animos à labe cuſtodiendos eſſe, quam à morbis corpora tuenda, vel reuocanda. locus eſt inſignis in apologetico de fuga in Pontum.*

5 Bonorum quam malorum hominum viſa ſunt meliora.] *ob iſtam, quæ in ſomno contingit, viſorum varietatem dixit quidam, Democritus, an Heraclitus? donec vigilamus, in vno eodemque omnes eſſe mundo. vbi vero nos quieti & ſomno damus, vnumquemque in ſibi peculiarem orbem ſecedere.*

6 Simi-

6 *Similiq; modo vis concupiſcendi, & iraſcendi rationem habere dici poſſunt.]* τὸ φυτικὸν *igitur, ſeu pars vegetans, non magis audire poteſt rationem, quam lapis, vel ceſpes: quare fruſtra ne eſuriat, vel ſitiat alicui perſuadere coneris. at vero* τὸ ἐπιθυμητικὸν*, ſeu pars concupiſcens, poteſt eidem obtemperare. at aliquando reſiſtit: quia principatu politico, non deſpotico, ei ſubijcitur; vt Ariſt. docet lib. 1. polit. cap. 3. ſed membra corporis ad nutum parent animo, quia deſpotice illi ſubduntur. Pars vero iſta concupiſcens, ſeu appetens, facultas eſt animæ ſentientis, quæ alias habet facultates rationi nullatenus ſubiectas, puta functiones quinque ſenſuũ externorũ. Fruſtra igitur eum, qui ſecatur, monemus ne doleat.*

7 *In ratione poſitæ ſunt ſapientia &c.] Theages faciebat duas animæ partes, vnam ducem, aliam pediſſequam. in priore ponebat principes virtutes, vt prudentiam, & ſapientiam; in poſteriore autem eas, quæ ſectatrices dicuntur; vt fortitudinem, atque temperantiam. addebat tertio iuſtitiam quandam vniuerſam quæ omnes virtutes complecteretur. quæ omnia congruunt cum Ariſtotelis doctrina, apud quem virtutes rationis principem tenent locum; inferiorem eæ, quæ ſunt in appetitu; & vniuerſa iuſtitia quæ dicitur, cunctas ambit virtutes. Zeno autem, & Stoici virtutes omnes in ratione poſuerunt, vt Cicero ſcribit in Academicis. hanc opinionem à Socrate hauſerunt, meo iudicio; qui cenſuit virtutes omnes eſſe ſcientias. verum hunc errorem infra confutat Ariſtoteles, & lib. 1. magnorum moralium.*

Digreſſio de libris exotericis, & Acroamaticis.

ARiſtoteles in hoc capite exotericorum librorum meminit à ſe conſcriptorum. hi qui ſint, non plene intelligi poteſt, niſi de acroamaticis, epopticis, eſoticis, encyclijs, ecdedomenis vna diſſeramus. quam porro diſputationem, quanta maxima breuitate fieri poterit, abſoluam.

Exotericorum ſermonum octies meminit Ariſtoteles in ijs, quæ ſuperſunt, ingenij ſui monumentis. videlicet, in hoc capite, & lib. 6. cap. 4. & lib. 1. ad Eudem. cap. 5. & lib. 2. in principio; & lib. 3. polit. cap. 4. & lib. 7. cap. 1. & lib. 4. phyſ. tex. 87. & lib. 13. metaph. cap. 1. De acromaticis vero nulla Ariſtoteli mentio, præterquam in epiſtola ad Alexandrum, à Plutarcho relata; quæ fuerit ne ab Ariſtotele ſcripta, multi adhuc dubitant. Sed Ariſtotelem ſuos libros diſtribuiſſe in acroamaticos, & exotericos tradunt Gellius lib. 20. cap. 4. Themiſtius ſeu Simplicius in proœmio phyſicorum; alijq; complures. Epopticos, hoc eſt inſpectiuos Ariſtotelis Plutarchus appellat in Alexandro; eosq; coniungit cum acroamaticis. Galenus 3. de Placit. appellat eſotericos Stoicorum libros, ſeu eſoticos: quaſi intraneos, & ſecretos. Encycliorum vero facit mentionem Ariſtoteles 1. lib. de cælo tex. 100. & in hoc libro cap. 5. denique in lib. de

arte poetica citat ecdedomenos, vbi interpres vertit, vulgatos ſermones. Duplex eſt igitur ſeries librorum Ariſtotelis; in altera quidem acroamaticos, epopticos, & eſoticos: in altera exotericos, ſiue extrarios, tum etiam ecdedomenos, encycliosq; collocamus. Encyclios vero eoſdem eſſe cum exotericis teſtantur Simplicius, & Auerroes 1. de cœlo tex. com. 100. His explicatis, quid à ceteris vere, quid minus, dictũ ſit, videamus.

Vna fuit Gellij ſententia, tum etiam Plutarchi locis citatis, ac Simplicij, ſeu Themiſtij in proœmio Phyſic. ſermones acroamaticos eos fuiſſe libros, quibus Ariſtoteles diſciplinas ſubtiliores complexus eſt; exotericos vero illos, quibus ea tradidit, quæ non tantam requirerent ingenij ſubtilitatem. ad exotericos Plutarchus refert libros ethicos, & politicos; Gellius adhuc Rhetoricos, & argutiarum commentationes. Simplicius vero hiſtoricos, & alios quoſdam. videntur iſti exoterica, & acroamatica diſtinguere à rebus præcipue, de quibus agitur; vt de facilioribus exoterici ſint, de difficilibus acroamatici. Hæc ſententia non placet. nam Ariſtoteles, vt ſupra docuimus, in libris ethicis & politicis ſexies appellat exotericos; ergo ethici, & politici ſermones ſunt acroamatici; alias ridiculus eſſet Ariſtoteles, quod, dum verſatur in exotericis, nos ad ea, in quibus eſt, remitteret; quaſi non in illis, verum in alijs tunc occuparetur; præſertim, cum vbique de iſtis mentionem faciens, in vniuerſum appellet exotericos: atqui addenda fuiſſet aliqua nota diſtinguens exotericos, quos præ manibus habebat, ab ijs, quos vltra nobis legendos præſcribit; vt in exotericis de tempore, de ideis, & ſimilibus. Adhuc autem octo politicos Ariſtotelis libros fuiſſe acroamaticos, Laërtij auctoritate ſuadetur, qui eos ait inſcriptos περὶ τῆς πολιτικῆς ἀκροάσεως. *quid enim acroaſis iſta differt ab acroamatico? Quod ſi ethici & politici ſermones ſunt acroamatici, erroris conuincuntur Plutarchus & Gellius, primum quod eos ad exotericos reiecerint; deinde, quod dixerint libros in quibus Ariſtoteles ea tradit, quæ ſunt captu facilia, eſſe exotericos; cum nihilominus ethici, & politici tum acroamatici ſint: tum res contineant faciles, nec magnum ingenij acumen, vt percipiantur, requirentes; quod vltimum & ipſi fatentur. Gellius vero peculiari quadam ratione reprehendẽdus videtur, quod librum de arte poetica pro exoterico habeat; (id autem non negaret Plutarchus, qui de præſtantioribus idem ſentit) cum nihilominus Ariſtoteles appellet in eo ſermones ecdedomenos, ſeu vulgatos, tanquam libros extra genus ſcriptionis præſentis poſitos; ecdedomeni vero idem procul dubio ſunt, quod exoterici. Deinde, animi, eiusq; habituum, & Idearum cognitio eſt difficillimæ contemplationis; at Ariſtoteles hic, & infra lib. 6. cap. 4. & lib. 13. metaph. & lib. 1. ad Eudomum, profitetur ſe de illis egiſſe in exotericis; igitur in exotericis agitur etiã de illis, quæ natura ſua altiorem, & ſubtiliorem admittunt diſputationem. Demum Ariſtoteles à lectione horum librorum iuuenes excludit;*

tum

tum etiam ſenes, ſi viuant incontinēter; non ſunt igitur exoterici: cum Gellius, & Plutarchus aſſerant, ad ſermones exotericos ſine delectu omnes admitti ſolitos. Alia fuit Ammonij Hermiæ opinio in prolegomenis ad categorias, quam Philoponus, & multa poſt ſecula Budæus ſunt amplexati; acroamaticos Ariſtotelis eſſe libros oratione perpetua ſcriptos, in quibus ex propria perſona doctrinam tradit: exotericos vero eſſe illos, qui, dialogice ſcripti, ex aliena, non ex propria auctoris perſona, doctrinam continent dictatam. In illis enim quaſi ad legitimos auditores orationem habens, rationibus vtitur ad tenue limatis; in his populari ſe captui accomodans, res affert ſpecioſas magis, quam firmas, atque ſolidas. addit 1. de anima com. 138. Philoponus, exotericorum ſermonum nonnullos fuiſſe ſola voce auditoribus communicatos. Diſtinguunt hi acroamaticos, & exotericos magis à ratione, atque modo ſcribendi, quam à rebus ipſis, quæ ſcribuntur. Sed contra iſtos ſic ago. ſimilis quædam ſeparatio fuit librorum Platonis, vt Galenus innuit lib. de ſubſtant. nat. facult. & Clemens 5. libro ſtromat. at opera Platonis per dialogos ſub alienis perſonis ſcripta ſunt; omnia igitur eſſent exoterica; quod nihilominus verum non eſt, & à Galeno, atque Clemente negatur aperte. deinde, coguntur dicere omnes libros Ariſtotelis, quotquot extſtāt, eſſe acroamaticos. quid ergo? num problemata, admirandas narrationes, ſimiliaq; ad vulgi ſenſum rudi Minerua edita, in acroamaticis numerabimus? id certe iſti fateri coguntur abſurdum.

Poſſumus tertium in hoc ordine locum Euſtratij ſententiæ aſſignare, aſſerentis, acroamatica fuiſſe diſcipulis ab Ariſtotele in ſchola dictata; exoterica vero priuatim data ijs, qui huius vel illius argumenti diſſertationem poſtularent. verum neque id ſatisfacit difficultati; tum quia dialogus Eudemus inſcriptus, omnium ſententia fuit exotericus; nec tamen ad normam ab Euſtratio traditam, ſeu aliquo dubitationem proponente ſcriptus proditur; tum etiam, quia iſta Euſtratij coniectura nulla nititur vel leuiſſima ratione. Abſurdius fuit Ioannis Geneſij Sepuluedæ commentum, nullam aliam inter hæc differentiam agnoſcentis, quam quod nomine exotericorum intelligit Ariſtoteles omnes libros, qui ſunt extra illum, quem habet præ manibus tunc, cum exotericos appellat. quod & Iuriſperiti cum titulos citant, extra de pactis, extra de pœnis, faciunt. hæc opinio videtur ex parte fuiſſe D. Thomæ, qui hoc loco exotericos ſermones exponit eos, qui ſunt extra propoſitam ſcientiam. Sed refutatur ſummorum virorum auctoritate, qui hanc diſtinctionem in ipſiſmet Ariſtotelicis libris agnoſcunt; Clementis Alexandrini, Galeni, Plutarchi, Ammonij, Gellij, Simplicij, Themiſtij, Euſtratij, locis citatis; tum etiā M. Tullij lib. 5. de finib. & Alexandri lib. 1. topic. deinde, quoniam quid de encyclijs, quid de ecdedomenis ſtatuet Io. Sepulueda? illi certe ijdem ſunt cum exotericis; nec dici poſſunt libri extra opus præ-

ſens

ſens poſiti: repugnat enim appellatio,notioq; nominum. Nec minus abſurda fuit Franciſci Patritij opinio,qui lib.6.diſcuſſionum, omnibus peripateticis,ipſoq; Cicerone,Galeno,Clemente, Gellioq; erroris damnatis, nouam ſententiam nobis obtrudere conatur; fuiſſe ſcilicet acroamaticos ſermones eos,qui aſſeruabantur penes auctorem,vt prælegerentur diſcipulis; eoſdem, poſteaquam perlecti eſſent in ſchola, fieri exotericos; à gradu ſcilicet nobiliori ad ignobiliorem deiectos, & quaſi de conſulibus rhetores factos. hæc ſententia probari, vel admitti non debet. Nam nimis videtur audax ille, qui mendacij vel inſcitiæ velit tantos viros damnare, quorum ætate agnoſcebatur diſtinctio, & ſeparatio acroamaticorum Ariſtotelicorum ab exotericis; cum nihilominus tunc temporis omnes Ariſtotelis libri eſſent inuulgati,ac ex Patritij ſententia debuiſſent appellari exoterici. deinde, quia familiare fuit antiquis philoſophis ita ſuos libros diſtinguere; vt de Zenone, atque Stoicis teſtantur Clemens 5.ſtrom.& Galenus 3.de Placit.qui etiam de Theophraſto idipſum refert lib.de ſubſtant.nat.facult.& de Pythagora Iamblicus. Adde contra Patritium,rudem tractationem indicari ab Ariſtotele cum exotericos appellat. inde igitur eorum diuerſitas petenda. hic enim ait non eſſe neceſſariam ciuili viro exquiſitam animi cognitionem ſed rudem, qualis haberi poteſt ex ſermonibus exotericis; vbi nonnulla copioſe ſatis de anima ſunt dicta. nonnulla *inquit; non igitur abſoluta ea tractatio fuit.* ſatis copioſe, *ideſt prolixiore ſtylo,quem vulgus amat: non preſſo,atque compacto,diſciplinisq; ſubtilioribus, vel limatioribus rebus tradendis,vel omnino doctiſſimorum ingenijs accommodato. de tempore etiam lib.4.phyſ. diſputat primum per extrarias rationes, ſcilicet,probabiles, non demonſtratiuas. & 1.ad Eudemum cap. 5. exoterica opponit philoſophicis. Quæ igitur ab alijs traduntur,ita ſint nobis confutata. In hac tanta perplexitate opinionum aperiam & ipſe ſententiam, quæ mihi magis probanda videtur.*

Magna fuit antiquis cura,vt philoſophiam,quaſi rem ſacram vulgus celarent; ne communicata viloſceret; neue innoteſceret improbis, quos diuino illo munere indignos cenſebant. Socrates in Theæteto,diſputaturus de rebus non contemnendis; obſerua, *inquit,* circumſpiciens, ne quis prophanus exaudiat. *Pythagoras poema ſuum ſic orſus eſt;*

Cordatis cantabo; fores tamen obde profane.

Eadem ratione myſteria occultabant, vt ſecreto ipſo magis fierent veneranda. Traditum eſt Numenio male eueniſſe,quod,philoſophiam interpretando, Eleuſina ſacra vulgaſſet; ſequenti enim nocte per quietem viſas illi aiunt Deas habitu meretricio ante apertum lupanar proſtratas; admirantique, & cauſſam dedecentis numina turpitudinis ſciſcitanti,reſpondiſſe iratas: ab ipſo ſe pudicitiæ ſuæ adyto vi abſtractas, & proſtratas. pro eodem enim numina habent vulgari, & proſtitui. hæc

Macro-

Macrobius fabuloſe procul dubio, lib. 1. de ſomnio. cap. 2. Illud non fabuloſum, Aeſchylum à populo fere diſcerptum, quod ad myſteria Eleuſina alluſiſſet in ſcæna. tradunt Pythagoram iureiurando diſcipulos obſtrinxiſſe, ne ſuam philoſophiam inuulgarent: atque Hypparchum, quod deieraſſet, de magiſtri amicitia, quaſi ſacrum, & deteſtabilem eiectum: eiuſq; loco in gymnaſio lapideam erectam columnam ad ignominiam, cum indice violatæ fidei, ac profanatæ philoſophiæ: ne ſimilia ceteri auderent. Igitur ad ſecretiorem philoſophiæ cuſtodiam varias antiqui iniere vias. Pythagoras eam numeris & ſymbolis velauit: Parmenides & Meliſſus Vnitate rerum: Plato figuris mathematicis, & idæis, quod Colotes Epicureus illi obijciebat: Antiqui Græcorum Theologi fabulis eandem veſtiuerunt. Ariſtoteles his omnibus abſtinuit, omnemq; allegoriam auerſatus eſt, ſermone contentus proprio, ſimplici, natiuo. ſed implicando periodos, atque ſenſus confundendo, & ſæpe ordinem peruertendo, magnas legentibus tenebras offudit. Cum itaque propoſitum eſſet omnibus, ne ſuos de philoſophia commentarios promiſcue, ac ſine delectu efferrent; nec plerumque facere poſſent, quo minus aliqua emitterent, vel victi precibus: vel quod mancipia gloriæ, cupiditate honoris æſtuātia, nullam ſibi laudem illo ſecreto quæri animaduerterent, hoc conſilij ceperunt: vt quorundam, ad populi auram captandam, copiam facerent omnibus: quædam apud ſe retinerent, non niſi lectiſſimis communicanda diſcipulis. hæc acroamatica dixerunt: à concentu opinor & harmonia, quæ inde ſuauiſſima percipiebatur: ſeu ab auditione, quòd voce magiſtri, non ſolo ſcripto, traderentur, ob rerum excellentiam, profunditatem, atque difficultatem: eadem appellarunt eſotica, & intranea, quod non efferrentur; tum epoptica, quod diligenti egerent inſpectione; illa vero nominabant exoterica, ſeu extraria, quod emitterentur in multitudinem: tum etiam encyclia, quaſi de manu in manum, orbe facto, tradita: ſeu catholica, & omnibus communicata; ecdedomena demum, ideſt vulgata, quod eorum fieret omnibus copia. hanc tamen in his ſcriptionibus retinuerunt normam, vt recondita & limatiſſima quæque acroamaticis mandarent: vulgaria, rudiaq; exotericis. modus igitur ſcribendi, atque rudior, vel politior tractatio, non res, de qua agitur, acroamatica ſeparat ab exotericis; cum de vna eademq; ſubiecta materia vtrique ſint ab Ariſtotele editi ſermones; vt de tempore conſtat lib. 4. phyſ. & de ideis l. 13. metaph. cap. 1. & de principatu 3. polit. cap. 4. & de anima in hoc capite, & demum de ſummo bono libros tum exotericos, tum acroamaticos ab Ariſtotele ſcriptos teſtatur Tullius lib. 5. de finibus. Ethici ergo, politiciq; libri ſunt acroamatici, ob exquiſitam eruditionem, quam pro ſubiecta materia continent. in quo ordine librum de arte poetica ob eandem rationem collocauerim; ut & illius auctor feciſſe videtur. In hac ſententia aperte fuit M. Cicero, qui in 5. de finib. ſic ſcribit.

ſcribit. De ſummo autem bono duo librorum genera ſunt; vnum populariter ſcriptum, quod exotericon appellant: alterum limatius, quod in commentariis reliquerunt. *Quodſi quis à me percontetur, qui nam fuerint exoterici ſermones de animo, ad quos hic nos reijcit Ariſtoteles; reſpondebo, fuiſſe dialogum, qui Eudemus inſcribebatur; cuius meminere Plutarchus in Dione: & in conſolatione ad Apollon. Philopon. 1. de anima comment. 138. Themiſtius in Paraphraſi lib. 3. de anima cap. 37. & ante omnes Cicero lib. 1. de diuinat. in eo enim dialogo rationibus probabilibus, atque ſpecioſis de immortalitate animi, & partibus eius egit; amicos conſolaturus in Eudemi Cyprij interitu; qui prope Syracuſana mœnia, pro Dione fortiter dimicans, occubuerat; ſuadens, non eſſe illius vicem dolendam, qui honeſtiſſime, fortiſſimeque vita functus, melioris atque praſtantioris iam conditionis fuiſſet effectus.*

DE MORIBVS
LIBER SECVNDVS.

Vti rationis, & appetitionis virtutes comparentur: & eas non eſſe à natura. Cap. I.

DE *virtute igitur agendum, quando ea domina eſt beatæ vitæ*. Sed virtutum duo ſunt genera: vnum earum, quæ ab ratione proficiſcuntur, & cogitatione, *illiſq; inſunt*: alterum earum, quæ *ſunt in appetitu*, & à moribus morales appellantur. quæ in ratione poſitæ ſunt, [1] magnam partem à doctrina ortum habent, & incrementum. itaque ne dum vſum, & experimentum: verum etiam ſpatium temporis, *atque doctorem* deſiderant. *eiuſmodi enim adiumentis opus habent, qui volunt imbui doctrina*. Morales vero moribus, & aſſuetudine *præcipue* comparantur; vnde & nomen traxerunt. his græcæ reſpondent appellationes. [2] ἠθικαὶ enim ἀπὸ τοῦ ἔθους, [3] hoc eſt, ab aſſuetudine, deducuntur. Ex quo etiam perſpicuum eſt, inſitã nobis à natura moralẽ virtutẽ nullã eſſe; cũ *aſſuetudine & labore acquirantur*; & ſæpe ad vitia, quæ ſunt cõtraria virtutibus, aſſueſcamus. nihil vero eorum, quæ natura conſtant, cõtra naturæ ſuæ propenſionẽ aſſueſcit, nam lapis ſi decies millies ſurſum iactetur, nõ ideo ſurſum ferri aſſuefiet: nec ignis vllo conatu ita inſtituetur, vt deorſum ſe ipſo feratur. Virtutes igitur neq; natura nobis ingenerantur, neque præter naturam; ſed ita ſumus affecti, vt ad eas ſuſcipiendas apti ſimus

natura;

natura; ſed more, atque conſuetudine ijſdem perficiamur. Idipſum alia quadam ratione ſuadetur. quæcumque enim nobis natura largitur, ita nobis obueniunt, vt prius eorum poteſtates, & vim eadem exercendi accipiamus; poſterius vero functiones illas obeamus. neque enim quod ſæpe aſpeximus, aut ſæpe audiuimus, videndi, & audiendi ſenſus adepti ſumus; ſed contra, cum antea ſenſus illos accepiſſemus, ijſdem poſtea vſi ſumus. at virtutes conſequimur, poſteaquam muneribus virtuti conſentaneis functi ſumus; vt & in ceteris artibus, *quæ nec ipſæ à natura ſunt nobis inditæ*, fieri videmus. ædificando enim fiunt ædium ædificandarum artifices: & fidibus canendo, fidicines; & omnino quæ poſteaquam didicerimus, *ex arte* facturi ſumus, ea cum efficimus; diſcimus; *& paulatim ab inertia ad artem traducimur*. Ita quoque iuſtis actionibus exercendis iuſti: temperatis temperantes; fortibus, fortes reddimur: *habitu comparato* virtutum. Hoc ipſum teſtantur ea, quæ ſolent in ciuitatibus factitari. prudentes enim legumlatores ciues ſuos bonos efficiunt, ijs ad virtutē aſſuefaciendis. aſſuetudine igitur virtus obtinetur, non natura. ſcopus vero iſte ciues ad virtutem exercendi adeo eſt legumlatorū proprius, vt hoc vno altera Reipub. adminiſtrandæ forma ab altera differat: bona ſcilicet à vitioſa. *hæc enim diuitias, vel ſummam in Repub. paucorum potentiam, vel multitudinis impotentem dominatum reſpicit*, aut quid ſimile; illa vnam virtutem perſequitur. ❧ Demum artes omnes atque virtutes per eaſdem res naſcuntur, & intereunt. à quibus enim functionibus, ſi recte inſtituantur, boni acquiruntur habitus, ab ijſdem, ſi perperam exerceantur, ijdem corrumpuntur. bene enim vel male canēdo boni fidicines, vel mali efficiuntur; eademque ratione reliqui opifices omnes. quod niſi ita ſe res haberet, *verum à natura iſthæc obuenirent*; nec magiſtro, qui doceret, opus eſſet: & omnes boni, vel mali artifices naſcerentur; *nunquid enim lapis vel magiſtro eget, vt deorſum feratur: vel nonſemper apparet pronus ad centrum?* Eadem igitur virtutum ratio eſt. agendis enim ijs rebus, quæ in pacta conuenta venire ſolent, alij iuſti, alij iniuſti efficimur. dum ſcilicet fraudes miſcere, vel bona fide agere aſſueſcimus. & cum horribilia timemus timidi: cum eadem præſenti animo ferimus, fortes euadimus. ſimilis quoque ratio eſt iræ, ceterarumq́; perturbationum animi. nam vt vno verbo dicam, ex ſimilibus munerum functionibus ſimiles habitus oriuntur; *quemadmodum ab homine homo procreatur: à leone leo*. Cum igitur tanta ſit vis aſſuetudinis & actionum, quantam explicuimus; enitendum nobis eſt, vt actiones noſtras certo quodam modo, *recta inquam regula* conformemus. harum enim probitatem vel vitioſitatem, virtutes vel vitia in animo conſequuntur. Permagni refert igitur vti à pueris aſſueſcamus.

imo vero 1 totum negotium in eo poſitum eſt.

SCHOLIA.

1 *Magnam partem à doctrina ortum habent.*] *virtutes in ratione atque cogitatione poſitæ, ortum, & incrementum ſui doctrinæ debent magna ex parte. quærunt enim veritatem, quæ latet, magnoque labore eruitur: quare vtendum alienis laboribus, & inuentis; ac magiſter, qui præeat, adhibendus; inſiſtendum experimentis. omnis enim cognitio rerum ortum habet à ſenſu; experimenta vero ſenſu captantur. demum his omnibus tempore opus eſt, & quidem diuturno.* Ars enim longa, experientia periculoſa, iudicium difficile, *vt ſcribit Hippocrates. Ceterum ne dum vſus, & doctrina in eiuſmodi rationis virtutibus gignendis locum habent, verum etiam natura, & aſſuetudo aliquid ad eaſdem conferunt: magis vero natura, quæ quaſi principium eſt eius lucri. ingenerauit enim quoſdam in nobis igniculos, & ſemina virtutum, in his quidem maiora, in illis minora; maximeq; ad diſcendum ingenij celeritas, & memoria valent. aſſuetudo quoque iuuat, dum animum reddit promptiorem: & ingenia quantumuis rudia limat, perpolitque; nam*

Quid magis eſt durum ſaxo, quid mollius vnda?
Dura tamen molli ſaxa cauantur aqua.

& Menander. Vinci ſolent aſſiduitate quælibet negotia. *Galenus lib. 3. de Craſibus.* Stillulla mollis aquæ aſſiduo lapidem cauat ictu. *Tradit Plinius, ſilices conſpici formicarum pedibus attritas: idque grauiſſimum eſſe argumentum, quantam vim habeat aſſiduitas. Hæc omnia ad virtutes rationis comparandas neceſſaria, complectitur apud Stoboeum Archytas his verbis.* Vir prudens efficitur hoc modo: ſi ingenio felici, memoria firma, diligentia multa præditus, ſtatim à puero rationibus, diſciplinis, contemplationum ſubtilitatibus, ſapientiæ rectæ, det operam; idem in rebus humanis & diuinis experientiæ cauſſa verſetur. *Sed cum duæ res maxime ad virtutes rationis comparandas requirantur, natura, & doctrina: ſeu doctore, vſu, labore, aſſiduitate comitata diſciplina: vtra illarum ad id magis valeat, quæri poteſt. Huic difficultati facere ſatis Quintilianus mihi videtur; vbi agens de eloquentia ſcribit; naturam ſine doctrina multum valere: doctrinā ſine natura nullam eſſe: quod ſi ex pari coëant, in mediocribus quidem maius adhuc eſſe naturæ momentum: conſummatos vero plus debere doctrinæ. ſic terra, nullam habenti fertilitatem, nihil optimus agricola profuerit; è terra vero uberi, etiam nemine colente, vtile aliquid naſcetur; at in ſolo fœcundo plus cultor, quam ipſa per ſe bonitas ſoli perficiat.*

2 ἠθικαὶ *enim.*] *eandem etymologiam Plutarchus tradit lib. de virtute morali. Virtus autem moralis aſſuetudine comparatur, quia conſiſtit in appetitu, qui non eſt capax perfectæ diſciplinæ; quare nec do-*

ctore

ſtore eget, nec experimento; ſed per functiones repetitas bono vel malo aſſueſcit.

3 Hoc eſt ab aſsuetudine.] *Quærit hic Aſpaſius, Quid aſſuetudo, ſiue conſuetudo differat ab experimento. & ait, experimentum per functiones gigni alienas: conſuetudinem per proprias. Verbi gratia ſi multorum tractata valetudine fueris expertus eos, qui ſponte ſanguinem euomunt, paulatim imminui, & animam effundere cum ſanguine: experientiam tibi comparaſti, non conſuetudinem. ſin paulatim terribilibus reſiſtendo, fidenti animo euadis; conſuetudinem acquiſiuiſti magis, quam experimentum. vel clarius; ſi ad eos, qui exercent corpora, commeans, animaduertas illos, qui mane ante cibum labori, & exercitationi dant operam, ſanitatem tueri, vires augere, experientiam nactus es; ſin tu te exerceas, acquiris conſuetudinem. Addo alteram diuerſitatem; experientia vnico actu acquiritur: vt ferrum à magnete trahi; conſuetudo vero vt plurimum gignitur per plures actus. demum experientia eſt ad veritatem habendam, & cognoſcendam: conſuetudo vero eſt ad faciliter operandum.*

4 Demum artes omnes atque virtutes per eaſdem res naſcuntur, & intereunt;] *Cicero;* Vere illud dicitur, peruerſe dicere homines, peruerſe dicendo facillime conſequi.

5 Totum negotium in eo poſitum eſt.] *admirabilem educationis, atq; conſuetudinis vim catulis illis eodem partu editis, at diuerſa admodum ingenia ab educatione ſortitis, Lycurgus oſtendit. Merito igitur aſſerunt Philoſophi, habitum aliquando conuerti in naturam: præſertim à pueris contractum; quando mollis ætas aliunde aduentantes formas excipit, quas deinde tenaciſsime retineat. Virgilius.*

Adeo in teneris conſueſcere multum eſt.

Horat. Quo ſemel imbuta recens ſeruabit odorem,

Teſta diu. *Seneca lib 5. de Benefic.* Conſuetudo vitæ humanæ, lege omni valentior. *idipſum Cicero, confirmat 2. Tuſcbul. & exemplis puerorum Spartanorum, virginum Lacænarum, militum Romanorum, pugilumq; illuſtrat. His adde pueritiam ſementi eſſe ſimilem; cuius vitium multo ſit pernicioſius, quam quod eſt in fructu.*

Proponuntur & diluuntur quædam dubia ad ea, quæ dicta ſunt, ſpectantia.

PRimum, An aliquo modo dici poſſit, Vitia, & virtutes morum, atque rationis eſſe à natura. Reſpondeo, eſſe à natura, tum prout, quod à natura exiſtit, ſumitur pro eo, quod non eſt à vi: tum etiam ob naturæ propenſionem, ſeminaq; animis hominum ingenita: quod innuit Ariſtoteles infra lib. 6. cap. 13. cum ait, à natalibus nos eſſe aliquatenus iu-

 ſtos,

ſtos, fortes, temperantes. quo ſenſu etiam accipiendum eſt, quod Damaſcenus 3. de fide orthodoxa, cap. 4. ſcribit, Virtutes eſſe naturales, & æque omnibus ineſſe. *At ſumendo naturale, vt opponitur voluntario, eique, quod ab electione eſt, dicendum, virtutes iſtas, & vitia non eſſe à natura. Semina vero virtutum ne dum in animo, verum etiam in corpore cernimus: in animo quidem, ob naturale lumen, pronum ad recta, per principia ſe ipſis nota; vt, Non eſſe inferendam iniuriam; Nihil inuito domino ſurripiendum; in corpore vero per certam temperaturã, qua hic ad temperantiam idoneus naſcitur, ille ad fortitudinem; alius ad liberalitatem. quod Sanctus Iob cap. 31. illis verbis declarauit.* Ab infantia creuit mecum miſeratio: & de vtero egreſſa eſt mecum. *qua de re fuſe D. Thomas 1. 2. quæſt. 63. art. 1. Vitiorum vero ſemina & inchoationes quædam in corpore, ob prauam conſtitutionem inſunt.*

Alterum. An homo ſit natura ſua magis ad virtutes procliuis, quam ad vitioſitatem. Reſpondeo, duas eſſe animi partes præcipuas: rationẽ, & appetitum. ratio, vt Ariſtoteles hic libro 1. cap. 13. ait, ad optima fertur; appetitus vero à ratione auerſus eidem reluctatur. igitur ſi rationem intuearis, homo natura ſua magis eſt pronus ad virtutem: ſin appetitionem, magis propendet in vitia. amat enim appetitus voluptates corporis, quæ vt plurimum, & cumulatiore menſura rebus inhoneſtis continentur.

Tertium An quid poſſit aſſueſcere contra propriam naturam. Et quidem opinetur quis, rem ſe ita habere: cum aſſueſcamus aduerſus voluptates corporis, quæ nihilominus à natura exiſtunt; idq; viri religioſi, qui proprijs appetitionibus frangendis, corporiq; affligendo ſtudent, experiuntur. Sed aduertendum ab iſtis vim fieri in partem rationis compotem: tum in eam, quæ cum ratione careat, nihilominus illi poteſt obtemperare; huic vero delectari rebus iucundis non eſt adeo connaturale, vt accedente rationis imperio nequeat cobiberi. ſed pars illa, quæ rationem non audit, neceſſario delectatur, vbi cum re iucunda copulatur, cuiuſmodi eæ ſunt appetitiones quæ in guſtatu, atque contactu ſedem habent. fruſtra enim ei, qui ſiti enectus potat, ſuadeas, ne voluptate perfundatur. ſed ſi mœror aliquis in eo eſt, à ratione contraria ſuadente exiſtit. Inſuperabilem vero eſſe vim naturæ Pindarus quoque docuit in Olympieis. hymo 2. Ingenium, natiuamq; indolem nec aſtuta vulpes, nec prævalidi leones mutare quiuerint. *& hymno 13. difficile eſt occultare natiuos mores. Pindarus alter Venuſinus;*

tolle periclum,
Iam vaga proſiliet frenis natura remotis.

Quartum. Quonam pacto virtutes, quæ ſe ipſis perfectæ ſunt, per functiones humanas, quæ ſunt imperfectæ, & diminutæ, produci queant? eſt præſertim id ſit, orbem quendam ſine carentem in cauſſis ponere, ſi functiones

ctiones hominis ſunt cauſſa virtutum; & rurſum virtutes producunt functiones? an non enim hac ratione effectus ſupra cauſam extollitur; fitque effector illius, à quo producitur? quo nihil in hac rerum vniuerſitate fingi poteſt abſurdius. Sed neutrum nobis negotium faceſſit. Nam, quod mancum eſt, & diminutum poteſt vti inſtrumentum concurrere ad productionem rei perfectæ: ſic malleo multa facimus malleo meliora; & per motum, qui ignobiliſſimus eſt, res natura perfectæ gignuntur: humana vero actio non eſt cauſſa præcipua virtutis, ſed ipſe homo agens per mentem & rationem. Nec ab illo in gyrum orbe circumacto timendum; nec cenſendum cauſam produci per ſuos effectus. Nam actiones, quibus gignitur virtus, ſunt quidem cauſſæ virtutis: at quæ ab habitu acquiſito prodeunt, aliæ ſunt functiones, à prioribus illis re, non natura, & ſpecie, ſeparatæ. quare actio.a.producit habitum virtutis.b. & habitus b.producit actiones.c.quemadmodum in Metheorologicis vapor a.eſt cauſſa pluuiæ b.& pluuia b. gignit vaporem.c.

Poſtremum. An virtus moralis per vnicum actum gigni poſſit? Reſpondeo, vt plurimum requiri plures; acquiritur enim aſſuetudine, vt hic docet Ariſtoteles; & experientia compertum habemus, habitus iſtos cum difficultate comparari; repetitis itaque functionibus opus eſt. Ceterum animus ex optima totius hominis conſtitutione poteſt interdum virtuti adeo eſſe vicinus, vt vnico actu habitum in ſe ipſo gignat; quemadmodum ſicca materies facilis eſt ad exardeſcendum, &, vix admoto igne, ignem concipit: humida, atque virens diu, multumq; reluctatur. Appetitus vero tribus de cauſſis difficile ſuſcipit virtutes morum, primùm, quia fertur ſuapte natura in bonum adulterinum, quod imaginem boni præfert; at non eſt vere bonum. deinde, quia ex connata voluptate, virtutem, vti inſuauem ab initio, auerſatur. poſtremo, ſæpe accedit praua in animo conſtitutio per vitioſitatem inducta. Verum obijciat forte quis; Si ſcientia gignitur vnica demonſtratione; cur virtus moralis vno actu nequeat obtineri? Sed longe diuerſa eſt ſcientiæ, atque virtutis ratio. namque ſcientia gignitur tota ſimul: cum eſſentiæ rerum ſint vti numeri: & vel totæ percipiantur: vel totæ ignorentur. at virtus acquiritur per partes, & intentionē, atq; remiſſionē admittit.

Virtutem conſiſtere in mediocritate, quam recta ratio præſcribit. Cap. II.

SEd quoniam negotium hoc nobis ſuſceptum eſt actionis cauſſa, non cognitionis, (non enim virtutis definitionem indagamus, vt in eius cognitione quieſcamus; ſed adhuc vt boni efficiamur: alioqui nihil ex ea vtilitatis caperemus) vti actiones obeundæ ſint, conſideran-

ſiderandum. in illis enim ſitum eſt, vt boni maliue habitus gignantur. Illud vero ſit ab initio poſitum; rectæ rationi conuenienter agere oportere; quod vti accipiendum, & quid recta ratio; & quomodo ſit ad reliquas virtutes affecta, poſterius dicemus. Conueniat autem hoc prius, & confeſſum ſit: orationem, quæ de rebus agendis inſtituitur, rudi quadam, non accurata exquiſitaq; opera conſtare debere; cum ſermones materiæ ſubiectæ conuenientes debeant inſtitui. Quæ vero in actionibus verſantur, quæq; ſunt alicuius, quod mutationem ſuſcipit, gratia, nullius ſunt firmitatis; nec in vlla certa ſede conſiſtunt; quemadmodum neque res ſalubres, ad hominis valetudinem conferentes; *de quibus nihil, quod firmum ſit, ac perpetuo cuſtodiri debeat, ſanciri poteſt; cum & conſtitutio affectorum corporum multiformis appareat: ipſaq; temporis, cæli, aſſuetudinis diuerſitas magnam in medendi arte pariat inconſtantiam, & varietatem.* Eos autẽ qui verſantur in rebus agendis, vt & medicos, atque gubernatores, oportet ſemper tempus, & opportunitatem intueri; quod cum incõſtans, & mutabile ſit, efficitur, vt in his, ne dum oratio in vniuerſum inſtituta ſubtili, atque limata opera careat: verum & ea, quæ de rebus ſingularibus habetur, eodem vitio laboret. Verum non ideo animus deſpondendus: quin opera danda eſt, vt huic incommodo occurramus. Hoc autem in primis animaduertendum eſt, actiones iſtas ab eo quod nimium, & ab eo quod parum eſt, corrumpi; quemadmodum in viribus corporis, & valetudine ipſa fieri videmus. [1] nam exercitationes tum immoderatæ, tum æquo remiſſiores minuunt, atque perimunt vires; [2] poculenta quoque, & eſculenta copioſiora vel parciora valetudinem lædunt, & corrumpunt: moderata bonam efficiunt, augent, & tuentur. Quæ in corpore fieri videmus, vti maniſeſtiora, iis fidem faciunt, quæ contingunt in animo. ſemper enim ad res obſcuras declarandas teſtimonium à claris, & perſpicuis petendum. Igitur, vt qui omnia fugit, pauetque, nihilque ſubit ac perfert, quod timorem incutiat, is timidus & formidoloſus efficitur; ſic qui nullo periculo terretur, ſed in omnia ruit, audax redditur. qui etiam nulla ſeſe abſtinet voluptate, intemperans: qui ab omnibus refugit, vt ſolent homines agreſtes, is, ceu ſtipes quidam, ſenſus expers euadet. Nam vt fortitudinem, atque temperantiam enecant exuperantia, & defectus, [3] ſic ſeruat mediocritas. Illud etiam non prætermittendum; non ſolum ab iiſdem *ſpecie* functionibus tum ortus, & incrementa virtutum, tum interitus proficiſci, vti dictum eſt antea: verum etiam ab ipſis virtutibus iam acquiſitis [4] gigni actiones eiuſdem ſpeciei cum illis, per quas ipſæ virtutes gignebantur. apparet id manifeſte in viribus corporis. labores enim & exercitationes, cibique copioſi ſumptio vires augent; & hominem robuſtum efficiunt. homo au-

mo autem viribus auctus, & magnos ſuſtinere labores, & multum cibi ſumere poteſt. Idem de virtutibus ſentiendum. Vt enim abſtinendo à voluptatibus temperantes, terribilibus contemnendis fortes euadimus: ita temperantiam, & fortitudinem conſequuti, voluptates maxime aſpernari: & ea, quæ terrorem afferunt, ſubire, atque perferre poſſumus.

SCHOLIA.

1 *Nam exercitationes, minuunt atque perimunt.*] *Vt enim plantæ modicis aluntur aquis, immodicis ſuffocantur, ſic animus, atque corpus laboribus.*

2 *Poculenta quoque & eſculenta.*] *Hippocrates lib. 2. Aphoriſmorum.* Nec ſatietas, nec fames, nec aliud quippiam citra modum naturæ, vel vltra bonum eſt. *Galenus in eandem ſententiam.* Cum ſanitas ſit mediocritas, & moderatio quædam; omnes immoderationes, quæ à medio plurimum diſtant, morbos eſſe neceſſe eſt.

3 *Sic ſeruat mediocritas.*] *quam iure Flaccus auream appellauit. huc illud ſpectat*, Ne quid nimis; *quod porrò dictum Laërtius Pythagoræ adſcribit: Ariſtoteles lib. 3. Rhetor: Bianti: Plato Euripidi. ſed cuiuſcumque illud ſit, aureum certe eſt, & ſapientiæ plenum. de quo Alphanus in quodam Epigrammate.*

Hoc, ne quid nimium, nimis placet mi.

4 *Gigni actiones eiuſdem ſpeciei.*] *functiones, per quas virtutis habitus acquiritur, quæq; poſtea ab habitu acquiſito promanant, ſunt vnius, eiuſdemq; ſpeciei: vti & eorundem obiecta; & qui, cum careat habitu iuſtitiæ, iuſta agit, adeo iuſta facit: ac is, qui ex iuſtitiæ habitu agit. habitus enim non ſunt ad operandum ſimpliciter, ſed vt facilius, promptiusque operemur.*

Vti dignoſci poſſit, quando nam virtutis habitum fuerimus adeptis & omnem virtutem moralem in voluptatibus, & doloribus occupari.

Cap. III.

Cvm ea, quæ in animo fiunt, vti remota ab oculis, difficile percipiantur, ſignum certum nobis indicandum eſt, quo dignoſcamus, an poſtea quam ad virtutem nos aliquandiu exercuerimus, eius habitum fuerimus, nec ne, conſequuti. hoc autem eſt voluptas, quæ facta ſubſequitur, & dolor. [1] nam qui dum ſe à corporis voluptatibus abſtinet, hoc ipſo delectatur, latis habitum ſe temperantiæ conſequutum oſtendit; qui moleſtia ex eo afficitur, indicat ſe non perue-

niſſe

niſſe ad habitum illius virtutis. idem iudicij quo ad fortitudinis habitum de illo faciendum, qui dum res graues & acerbas perfert, ex eo lætitiam capit: [2] aut certe nulla moleſtia, vel contra mœrore afficitur. *magna uero eſt huius moniti utilitas. cum enim diuerſa ſit hominum ad uirtutem aptitudo: & hic citius, ille ſerius ad eam perueniat: profectus uero animi ſit occultior, quam ut inter ea, quæ facile percipiuntur, numerari queat: regula iſthæc, quæ ea de re nos certos reddit, maximi uidetur eſſe facienda. Meritò autem ſignum habitæ uirtutis à uoluptate, atque dolore petitur.* Virtus enim moralis omnis in voluptatibus, & doloribus verſatur; *plurimumque ad eam ualet, ijs rebus delectari, quibus eſt delectandum: & eas odiſſe, quæ ſunt odio digna; immo huc maxime uirtus moralis nos dirigit, ut circa uoluptates, & dolores quam optime nos habeamus: gaudeamus honeſtis: doleamus ob turpiter admiſſa; ut omnino uoluptatem & dolorem uirtutis, & uitioſitatis partus ponere poſſimus. Iure igitur ab ijs ad cauſſas progredimur; quemadmodum à fumo ignem affirmamus.* Ceterum virtutem moralem in voluptate atque dolore verti, octo argumentis confirmari poteſt; *quorum priora quattuor ab ipſa uirtute deducuntur, cetera uero ab hominis natura.* Primum eſt eiuſmodi; Res improbas agimus ob voluptatem, *quam ab ijs nos conſequuturos ſperamus;* abſtinemus à rebus honeſtis, vt dolorem, *quem ab ijſdem metuimus,* vitemus; *uirtutis uerò munus eſt ad honeſta nos impellere, nulla ſpe uoluptatis, nullo metu doloris; igitur uirtus occupatur circa uoluptates & dolores.* Quare Plato recte monebat, ſtatim à pueris ita nos educari debere, vt quibus rebus oporteret, ijs gaudere, vel dolere aſſueſceremus. [3] *in hoc enim rectæ inſtitutionis atque adeo uirtutis cardo uertitur.* Secundum. Quia virtutes verſantur in actionibus, & perturbationibus, *ut has componant, illas dirigant.* [4] vtraſque vero ſequitur voluptas vel dolor; ergo ad voluptatem quoque, & dolorem ſe virtus proferet, & in proprio quaſi campo vrſabitur. Tertium, leges volunt reddere homines bonos; quod vt aſſequantur, maleficis dolores inferunt, *& hac amara potione animum curant, atque à noxia uoluptate retrahunt;* ([5] curationes enim ex contrariis rebus adhiberi ſolent) virtus igitur ea, perquam boni efficimur, in doloribus, & voluptatibus occupatur; *quando his in hominum animis ea maximè ſeritur, & adoleſcit.* Quartum. Animi habitus in ijs verſantur; quibus meliores vel deteriores natura fiunt: vt ſupra diximus; at propter voluptates & dolores virtutes perimuntur, & vitioſi habitus in nobis innaſcuntur, quod videlicet illas conſectamur, & hos fugimus, [6] aut quas, & quos non oportet, aut quando, aut quomodo non oportet, aut quot modis aliis hæc ratio diſtinguit, *quæ à græcis περιστάσεις dicuntur, quod factum ambiant, & quaſi cingant;* igitur in ijs

quoque

quoque virtutes occupantur. Confirmatur hoc ipſum, quaſi à ſigno, ab illorum opinione, qui arbitrati ſunt, virtutes eſſe vacuitates perturbationum, & ſtatus pacatos, atque quietos animorum, cupiditatibus & affectionibus conuulſis; quod ſcilicet intelligerent, virtutes occupari totas in voluptatibus, & doloribus, quæ magnam ſibi affectionum animi partem vendicant. Qua in re cum bene philoſophari cœperint, in progreſſu tamen errant, vbi ad vacuitatem doloris, & voluptatis deueniunt; eamque virtuti neceſſario adiungunt; in hoc, inquam, minus recte, quod ſimpliciter, & abſolute affectiones eijciũt, & voluptatem: cum potius debuiſſent & modum, & tempus, & ceteras addere περιστάσεις, *quibus permiſſæ voluptates, & affectiones diſtinguuntur à damnatis*. concedatur itaque virtutem, quæ in doloribus, & voluptatibus verſatur, idoneam eſſe ad optimas res agendas: vitium vero contra ſe habere. *Quintum argumentum deducitur ex delectationis communitate*. 7 Tria enim ſunt, quæ in vita expetere ſolemus: 8 honeſtum, vtile, iucundum; tria etiam, quæ à nobis, quantum poſſumus, amolimur: turpe, inutile, moleſtum. cumque in his omnibus vir bonus recte faciat: improbus, & vitioſus offendat, & peccet: tum maxime id committunt in iucundo, & moleſto. omnibus enim animantibus voluptas communiſſima eſt; videturque iucundum cetera duo, quæ appetuntur, aſſiduo comitari. quicquid enim honeſtũ, quidquid vtile eſt, id quoque iucundum apparet; *vt contra, omne, quod inutile eſt, vel inhoneſtum, iniucundũ quoque, ac moleſtum videtur. ita dignitas voluptatem parit ſtudioſis ipſius; & vtilitas delectat eos, qui quæſtus lucriq; cupiditate tenentur. iactura vero, & quod inhoneſtè fit, moleſtiam pariunt natura ſua. At non omne iucundum eſt, vtile, vel honeſtum; vt apparet in ſenſuum delectationibus. Cum igitur voluptas & dolor ſint omnium animantium communes, & eorum, quæ ſub electionem cadunt, aſſidui comites: ac neceſſario functionibus humanis complicentur; dicendũ eſt, virtutes morum, vt quæ in actionibus perpetuo verſantur, adhuc in voluptatibus, & doloribus occupari. Sextum ducitur ex affinitate, quæ voluptati nobiſcum intercedit*. nam cum homine naſcitur, & adoleſcit; *& infans vix natus, delectatur hauſtu lactis; dolet conſtrictione, vel cæli acrimonia, & contactu rerum aſperarum.* idcirco hunc animi affectum, quo vita noſtra à tenera conſtitutione tincta, & imbuta eſt, difficile admodum eluimus, & abſtergimus; *perinde ac lana, quam primo accepit, infecturam nunquam deponit. virtus igitur, quæ appetitioni excolendæ dat operam, non poteſt voluptatem intactam relinquere; ſed in eam quoque ſuam operam inſumet. Septimum ducitur à ſtudio & more humano*. omnes enim voluptate, ac dolore, quaſi regula, metiuntur ſuas actiones, *& ijs vel inuitantur ad agendum, vel deterrentur;* hi quidem magis illi

vero minus. magni enim refert recte an perperam læteris, vel doleas. neceſſe igitur eſt, noſtram operam in voluptatibus, & doloribus collocari. *Poſtremum*. difficillimum eſt repugnare voluptati, (quamuis Heraclitus difficillimum cenſuerit iræ obſiſtere) *quia nobis ea naturalis eſt, atque mulcet, delinitq́; animum, ac latenter occupat*, quod ira nec habet, nec facit. circa difficillimum vero ars gignitur, virtus occupatur; *ad ea enim quæ facile obtinentur, non ſunt habitus neceſſarij*; virtus igitur moralis præcipue vertitur in voluptatibus. quanto enim opus honeſtum eſt operoſius, eo maior exiſtit actionis præſtantia, eoq́; maiorem is, qui circa illud deſudat, laudem conſequitur. *maioris porro, & exquiſitioris artis eſt, è lignis ſcabris, nodoſis, tortuoſis pulcra ſigna ſcalpere, quam ex læuibus, rectis, politis. peritioris quoque medici eſt, morbum difficilem, & periculoſum depellere, quam reduuiam curare. Virtus vero ſemper ardua petit; & res perſequitur laude digniſſimas; quare in expugnanda voluptate, quæ ſuperatu difficilis eſt, præcipuam operam ſumit.* Et ob eandem cauſſam ſtudium omne diſputationis moralis, & prudentiæ ciuilis in voluptatibus & doloribus examinandis voluitur. qui enim recte his vtitur, bonus: qui male, improbus erit, & culpæ affinis. Hæc igitur ita ſint nobis explicata.

SCHOLIA.

1 N*Am qui dum ſe à corporis voluptatibus abſtinet.*] *regula iſthæc tradita ad iudicium faciendum, ſint ne virtutis habitus acquiſiti, an non, certa eſt. nam operationes, quæ habitum præcedunt, ſunt laborioſæ, atque moleſtæ: quæ ſubſequuntur, vt faciliter proueniunt, ſic voluptatē gignunt ab honeſte factis; quod eleganter expreſſit Heſiodus:*

Ante virtutem vero Dij ſudorem poſuerunt
Immortales; longa vero ardua via eſt ad ipſam,
Primumq́ue aſpera; vbi vero ad ſummum ventum fuerit,
Facilis deinceps eſt, quantumuis difficilis fuerit.

2 Aut certe nulla moleſtia afficitur.] *à communi regula fortitudinē excipit, cuius functionibus aliquando non delectamur; vt cum vulnera, mortemq́ue ſubimus. qua de re fuſius lib. 3.*

3 In hoc enim rectæ inſtitutionis.] *Laco quidam arguto hoc ipſum oculo vidit; qui interrogatus, quam potiſſimum rationem in commiſſo ſibi puero inſtituendo eſſet ſequuturus, reſpondit; ſe effecturum, vt puer è rebus honeſtis voluptatem caperet, moleſtiam è turpibus. vt Plutarch. ſcribit in extremo commentario de virtute morali.*

4 Vtraſque vero ſequitur voluptas, vel dolor.] *voluptas interdum ſequitur turpia, vt in Chærea Terentiano, gaudente, quod ſtuprum intulerit virgini: & optante, tunc maxime mori, ne à ſuperueniente ægritudine gaudium corrumpatur. interdum ſequitur honeſta, vt Aſca-*

nius,

nius,apud Virgilium,Remulo interfecto, exultat. dolor etiam aliquan do comitatur recte facta; ſic Dido grauiter fert, quod ſeruarit hoſp.tij iura. idem ſequitur maleficia; ſic Phyllis apud Ouidium dolet,

Turpiter hoſpitium lecto cumulaſſe iugali.

5 *Curationes enim ex contrariis.*] *Galenus lib.8. Methodi medendi.* Omnis à mediocritate declinatio contraria declinatione ſanetur. *commodam itaque viam ineunt reſtituendæ virtutis à voluptate pulſæ, & profligata: ingeſto dolore.*

6 *Aut quas,& quos non oportet.*]*Paſiphae ſequuta eſt voluptatem, quam non oportebat ſequi. Troiani vinum auide deſiderarunt, quando minus oportebat, ſcilicet tempore obſidionis,inter diſcrimina belli. Vrbis conditores Sabinarum matrimonijs,quo modo non oportebat, ſunt potiti: vi illata.*

7 *Tria enim ſunt,*] *vt enim in motu naturali alius eſt terminus non vltimus, vt dealbatio: alius vltimus, vt albedo: alius conſequens vltimum, vt permanſio in albedine: ſic in motu appetitionis tria intuemur, terminum non vltimum,puta,vtile: (hoc enim inuitat ad agendum,& natura ſua fertur in aliud melius, atque perfectius) terminum vltimũ, puta honeſtum, quod eſt finis agentis: terminum, qui vltimum ſequitur,puta iucundum,quod per quietem in re honeſta obtinetur.*

8 *Honeſtum,vtile,iucundum.*] *Honeſtum, & vtile pertinent ad rationem tantum. iucundum vero etiam ad ſenſum.vt notat D.Thomas.*

Dubitare autem licet, Virtutes omnes morales in voluptatibus & doloribus non occupari, cum id ſit temperantiæ proprium. quare virtutes omnes in vnam conuenirent: cum habitus diſtinguantur per actus: & actus per ſubiectas materias,vt Ariſtoteles docet lib.2.de anima. tex.33. Sed ſciendum eſt, virtutes omnes morales verti in voluptatibus, & doloribus non quidem primo, & per ſe, (id enim temperantiæ ſolius eſt) ſed medijs functionibus,quas voluptas uel dolor conſequuntur. unaquaque autem uirtus propriam habet materiam in qua occupetur; Quod ſatis erat Ariſtoteli ad regulã acquiſiti habitus dignoſcendi firmandam: quando,ſcilicet, cum uoluptate operamur. quod quoniam non probabatur nonnullis,qui à uirtute omnem animi affectionem eijciebant, occurrit huic ſcrupulo, dicens; uirtutes morales uerſari circa uoluptates, & dolores; quod etiam longa & accurata diſputatione confirmauit. Semina uero iſtius erroris, quem poſt Ariſtotelem Stoici auide ſunt amplexati, Socrates primum ſparſiſſe uidetur.

Eos, qui iuſta, & temperata faciunt, non ſtatim eſſe iuſtos vel temperantes. Cap. IIII.

VErum quod antea diximus: iuſtitiæ muneribus fungendo iuſtos; tẽperate agendo fieri tẽperãtes, in dubitationẽ vocari poteſt. qui enim iuſtas actiones obeunt, iam ſunt iuſti, vt qui propria grammaticorũ, & muſicorũ explent officia, grãmatici ſunt, & muſici: nec vltra opus habent laborare, vt grammatici, vel muſici euadant; nec ergo illi, vt iuſti fiant. Sed nec in artibus, nec in virtutibus id verũ eſt. fieri enim poteſt, vt quiſpiã grãmatice loquatur, vel altero monſtrante, vel fortuito. quare tum demum grammaticus erit, ſi grammaticà grammatice loquatur, ex arte ſcilicet, qua ſit imbutus. Præterea, etſi in artibus res aliter ſe haberet, nihilominus in virtutibus ratio ab illis longe diuerſa cernitur. Nam quæ ab artibus gignuntur, artis perfectionem, & quòd bene affectæ ſint, in ſeipſis habent; ſatisq́; eſt illa certo quodam modo conformata effici. *nam vbi ſtatuarius ad Polycleti canonem tibi ſtatuam fecerit, non quæres ab eo, fortuito ne, an ex certo habitu opus illud perfecerit, nec Simonidem minus bonum poetam dices, quod venalem poëſim habuerit; aut Hippocratem è præſtantum medicorum numero expunges, quod pretio inductus, hominem locupletem morti vicinum in vitam reſtituerit. (finis enim artificis extraneus arti eſt) ſed ipſo opere contentus eris.* at quæ ex virtute geruntur, ne dum iuſta ne ſint, ac temperata expenduntur; verum etiam diſpicitur, an is, qui agit, certo quodam modo conformatus agat: nec laudatur, niſi primum quidem ſciens fecerit: tum conſilio capto, & propter ea ipſa capto: poſtremo, niſi firma, & conſtanti voluntate agat. *Is igitur, qui hoſtili animo Iaſonem Theſſalum aggeſſus, dum lethale vulnus infligere cogitat, eius vomicam, qua grauiter laborabat, aperuit, & inimico ſalutem attulit: nec ex virtute egit, nec laudem viri boni meruit; quod imprudens, & nihil minus volens tanti boni cauſſa illi extiterit, quem perditum optabat. & qui ex iracundia, quid ſtrenue facit, non eſt fortis, quia non conſilio capto facit. requiritur demum conſtans voluntas; ea enim eſt ab habitu acquiſito. quare Alcibiades, qui in caſtris abſtinebat ſe à voluptatibus, vti egregium Imperatorem decebat: domi vero molliſſimam ducebat vitam, temperans dici non poterat. ratio huius inter artes, & virtutes diuerſitatis eſt: quoniam, cum functiones virtutis remaneant in agente, illumq́ue perficiant, vel corruptæ, malum reddant: in illis attenditur maxime conſtitutio, & finis agentis. non ſic in artibus, vel ſcientijs, quæ veritatem ſpectant, quas prauus artificis, vel ſcientis finis non corrumpit.*

Quis enim in tabula Veneris Coæ quærat, num Apelles religione adductus, an magis pretio, illam pinxerit? quis Ariſtophanis fabulas, quæ primas in illo genere obtinent, minus ex arte ſcriptas dixerit, quod homo maledicentiſſimus Socratis famam publico conuicio in ſcæna lacerarit? Sed in Sp. Melio, qui Populum Romanum inopia frumenti laborantem magna ui frumenti de ſuo collata ſubleuauit, mentem potius, quam factum perpendes: ac ſiniſtram eius liberalitatem damnabis: eÿciesq; de virtutis campo ſceleratum hominem iniqua profuſione patriæ iugum, ſibi dominatum procurantem: cuius impietatis merito à Seruilio Hala probante populo, iuſſu Dictatoris, eſt trucidatus. In artibus igitur & ſcientiis ſatis eſt, rei modum, atque veritatem tenere. ad virtutes vero comparandas cum ſcire, quod ſit agendum, parum vel nihil valeat: tum cetera, quæ diximus, puta, vt quis ſciens, & conſilio capto, & firma voluntate agat, multo maximam, atque omnem adeo vim habent: quæ quidem ex iteratis, & identidem repetitis virtutum actionibns quæruntur. Recte igitur ab inio dictum, iuſtis & temperatis actionibus effici iuſtos, & temperantes: his autem omiſſis & neglectis neminem vnquam virum bonum futurum, *nec aliam eſſe viam perueniendi ad virtutem, quam per illius functiones.* Sed plerique, cum, *pertæſi laborem*, hæc agere, & per virtutis functiones ſe exercere negligant, ad verba confugiunt; & tum demum egregie ſe philoſophari arbitrantur, cum Philoſophos de virtute ornatiſſime diſputantes audiunt; ad agendum vero minime deſcendunt. fallunt hi, dum ſe hac ratione bonos cenſent futuros: vt ij quoque errant, qui medicos diligenter, & ſtudioſe audiunt, at nihil eorum, quæ illi præcipiunt, facere in animum inducunt. vt igitur illis, donec ita curantur, numquam valetudo conſtabit: ſic his animus non bene ſe habebit, donec iſto modo fuerint philoſophati.

Virtutes nec eſſe perturbationes, nec poteſtates. Cap. V.

SEquitur deinceps, vt quid ſit virtus, videamus. Et quidem tria ſunt, quæ in animo ingenerantur: perturbationes, habitus, poteſtates. at virtus in animo gignitur. erit igitur vnum quippiam ex illis. non eſt autem perturbatio, nec poteſtas, igitur erit habitus. Perturbationes dico, cupiditatem, iram, timorem, audaciam, inuidentiam, gaudium, amicitiam, odium, deſiderium, æmulationem, miſericordiam, & omnino ea, quæ ſequitur voluptas, vel dolor. Poteſtates autem voco eas, quibus ad has perturbationes propenſi ſumus, facultates: vt quarum beneficio iraſci, dolere, miſereri poſſumus.

Habitus

Habitus vero ſunt, quibus bene aut male erga perturbationes *vel actiones* affecti ſumus. ſi enim *per aſſuetudinem* ita nos comparauerimus, vt vehementius, aut remiſſius iraſcamur: prauo habitu ſumus imbuti; ſint vt intra modum, bono. *habitus hi ab aſſuetudine ſunt, & electione: poteſtates à natura: perturbationes partim à natura partim ab electione*. Ceterum vitia, & virtutes non eſſe perturbationes, ſuadetur his argumentis. primum, quia ex perturbationibus nec boni, nec mali dicimur. qui enim rei horribilis conſpectũ timet, qui læſus iraſcitur, nec bonus eſt, nec malus; at ex virtutibus boni, ex vitiis mali appellamur, Deinde quoniam perturbationes nec laudi, nec vitio nobis dantur, ſi contingant ſimpliciter: non certo quodam modo affectæ. *ſemotis enim ijs, quas periſtaſes Græci, Latini circumſtantias dicunt, iraſci, & dolere nec bona ſunt, nec mala; tum etiam nec laudem merentur, nec vituperationem*. at ob virtutes & vitia laudamur, vel vituperamur. Adhuc perturbationes contingunt conſilio minime capto; ſæpe enim iraſcimur, & timemus inconſulto; at virtutes aut conſilia, ſeu electiones quædam ſunt, aut non ſine conſilio, & electione. Demum diuerſitas effectuum arguit eorum, à quibus gignuntur, diſparitatem. porrò perturbationibus mouemur, & moueri dicimur; virtutibus vero, & vitijs non mouemur, ſed certo quodam modo conformamur. *Fluunt itaque perturbationes, vt motus: permanent in ſuo ſtatu virtutes, & vitia; & quodammodo quieſcunt*. Iiſdem fere argumentis ſuadetur non eſſe poteſtates. neque enim eo quod patiendi poteſtate *vel agendi* præditi ſumus, ſimpliciter boni vel mali dicimur; neque laudamur, vel vituperamur. præterea poteſtates inſunt nobis à natura; illa enim nos gignit potentes. boni autem vel improbi non ſumus natura. Reſtat igitur, vt virtutes & vitia ſint habitus, & ſub eo, tanquam ſub genere, collocentur.

Quid ſit virtus. *Cap. VI.*

SEd non ſatis fuerit, dixiſſe virtutem eſſe habitum, & genus ſub quo conſtituatur, inueniſſe: ni etiam qualis ſit habitus, *eiuſq; differentias* indagemus, *quibus ab habitibus vitioſis, ab artibus, & ſcientijs diſtinguitur*.

Illud vero conceſſum ſit, [1] virtutis omis hoc eſſe munus, vt id, cuius eſt, bene affectum reddat, & eiuſdem opus ornet, & perpoliat. virtus enim oculi tum oculum ipſum in ſe probum, tum aptum ad videndum efficit. equi etiam virtus cum bonum ipſum reddit, tum ad currendum, equitem vehendum, & hoſtes expectandos expeditum. quod ſi ita eſt in omnibus, hominis profecto virtus habitus erit, quo homo bonus in ſe ipſo fiat, & munere ſuo egregie fungatur. quod quo

nam

nam modo futurum ſit,& non nihil antea diximus,& mox melius,virtutis natura propoſita, & explicata, aperiemus. Igitur in omni re cõtinua,& quæ diuiſionem admittit,plus,minus,& æquale ſumere licet. hæc autem vel ex re ipſa, vel ex re nobis collata iudicantur. æquale eſt medium quiddam inter nimium, & parum; medium vero aliud rei ipſius eſt,aliud ad nos refertur. medium rei eſt quod ęqualiter abeſt ab vtroque extremo; quod quidem vnum & idem eſt omnibus. *ligni enim trium palmorum medium eſt punctus, in quem ab altero extremo ſeſquipalmus ductus deſinit. qui vtrique parti hinc inde idem exiſtit*. At medium quo ad nos alterius eſt rationis, nec eſt vnum omnibus. exempli cauſſa: ſi decem libræ carnis nimis,duæ parum ſunt; & rei medium ſpectes,ſex in medio erunt. æqualiter enim id,quod eſt parum,ſuperant, & ab eo,quod eſt nimis,ſuperantur, *atque ſenarius æque à binario, & denario diſtat*. hoc medium rei eſt, & Arithmeticæ proportionis. Medium vero ad nos relatum non ita ſumitur, ſed vniuscuiuſque noſtrum facultas in eo conſtituendo ſpectari debet. non enim ſi cui decem libras carnis comedere nimium ſit,duas parum, ideo ſex ei libras conficiendas [3] alipta præſcribet. hoc enim parum,vel multum ſit ei futurum, qui cibum eſt capturus: [3] Miloni ſcilicet,homini robuſtiſſimo,parum: ei,qui nunc primũ incipit exerceri,multũ. Itaq; ſciens,& prudens vnuſquiſq; nimiũ, & parũ fugit: mediocritatem ſequitur; mediocritatẽ inquã non rei,ſed quæ nobis collata,eam retinet appellationẽ. Quod ſi ſcientia *&* *ars* omnis ita demum bene ſuum munus explet, ſi mediocritatem ſibi proponat,ad eamque ſua opera dirigat, (ex quo opera illa,quæ ſcite,& affabre facta ſunt,hac demum oratione cõmendamus,Nihil illi detrahi vel addi poſſe; [4] quaſi nimiũ & parum oẽm artis perfectionẽ perimant, ſeruet mediocritas,) & ſi boni artifices in ſuis operibus hanc ſpectant: [5] virtus autem, vt & natura,omni arte limatior eſt, & melior: eadem profecto medium veluti collineando petat, neceſſe eſt. De virtute autem loquimur ea, quæ pertinet ad mores; hæc enim in perturbationibus,& actionibus verſatur,in quibus eſt nimium,& parum,& mediocritas. poteſt enim quiſque timere,fidere, concupiſcere, odiſſe, iraſci, miſereri,&, vt ſemel dicam, gaudere, & dolere nimium,& parum: & vtrumque non recte. medium vero tenebit,ſi quo tempore, & [6] propter quam cauſſam, & erga quos, & cuius rei gratia,& quomodo oportet, his affectibus commouebitur: quod etiam de actionibus exiſtimandum, in quibus nimium, parum, & medium reperitur. hoc ipſum medium tam in perturbationibus,quam in functionibus virtus tangit; nimium & parum vti peccata,fugit. eſt igitur virtus mediocritas quædam, cum medium veluti ſignum ſibi deſtinet ad collimandum. vitia vero ad extrema feruntur, ſuntque ipſa quo-

ſa quoque extrema. Confirmatur hoc ipſum ex eo, quod medium vnum eſt,& ſimplex, atque indiuiduum. quare medium tangere vno modo contingit; quod cum difficile ſit, (à ſcopo enim aberramus facile, *cum infinita fere extra illum tangere liceat:* ferimus autem eundem difficile, *quod vnum ſit*) difficile etiam eſt fieri bonum; mali vero nullo negotio euadimus. malum enim vt Pythagorei coniectura quadam conſequebantur,eſt infiniti,& interminati, bonum vero finiti,ac terminati; & vt ille inquit,

Vno namque boni,multi modiſque mali.

7 *Cum igitur à medio aberrare, & malum eſſe multis modis contingat: medium varo tangere & bonum fieri, vno; dicendum eſt, virtutem ad medium reſpicere, ac mediocritatem quandam eſſe.* Virtus igitur eſt habitus cum electione coniunctus, ad agendum expeditus, in ea mediocritate poſitus,quæ ad nos cõparatur, & ratione definitur, prout vir prudens definiret. *Per habitum virtus diſtinguitur à facultatibus,& affectionibus animi: per electionem illi adiunctam diſtinguitur à verecundia, ceteriſq; habitibus, qui non ſunt medij inter duas malitias. additur,pro ut vir prudens definiret: quia medium in ſingulis varietatem ſuſcipit; ideo regula, quantum fieri poterat,certa tradenda erat,ad medium ſtatuendum:* Virtutem vero mediocritatem appello,tum quod media eſt inter duo vitia,quorum alterum ab exuperãtia oritur,alterum à defectu: tum quod cum in affectibus,& in actionibus alia quidem vitia deficiant à iuſta menſura, quam ratio aut vir prudens præſcripſerit: alia eandem exuperent: virtus medium ipſum inuenit & eligit. Dicitur autem virtus mediocritas, ſpectata illius eſſentia,& ratione,quæ,quid res ſit,declarat. quare ſi eſſentiam virtutis,quæ ſit,petas, reſpondebimus, eſſe mediocritatem, ſeu medietatem inter duo extrema, & vitioſa. ſin de virtutis præſtantia & perfectione loquaris, eam dicemus eſſe quid ſummum, & *extremum. porro ſi duo extrema vitioſa, inuicem oppoſita ſumas,quod interiacet virtus eſt, & medium. at ſi vtrumque extremum vitioſum conſideres,non prout vnum alteri per propriam rationem opponitur: ſed vt ambo ſunt mala; tunc hæc erunt in vno extremo,virtus in alio. nam prodigalitas & auaritia proprijs rationibus opponuntur. eædem, vt à ratione deuiant,ſunt unum: & uirtuti, tanquam extremo contrario, opponuntur. Virtus igitur medium eſt inter nimium & parum: non inter bonum & malum; collata autem malo,extremum eſt, & ſummũ.* Neque vero quæ diximus,ita ſunt accipienda: quaſi omnis actio,omniſque perturbatio nimium,parum,& medium admittant. ſunt enim non pauca, quibus vitium adeo eſt complicatum, vt extrema dicenda ſint: omnemq. reijciant mediocritatem; qualia in perturbationibus ſunt,maleuolentia lętans alieno malo,impudentia,inuidentia:

& in

& in actionibus adulterium, furtum, cædes. hæc enim aliaq. his ſimilia ſuapte natura mala ſunt; nec in illis quærendæ immoderationes, & paucitates: ſed ipſa ſunt extrema; nec in eiſdem fieri vnquam recte poteſt, ſed ſemper peccatur; nec vllo modo excuſantur circumſtantiis illis, quas ſupra attulimus; nec vis facienda, cum qua, & quo tempore, & quomodo adulterium facere oporteat. vtcumque enim committatur, peccatum eſt, & extremum: quemadmodum & iniuriam facere, atque vitam ignauam & intemperantem traducere. neque enim nimij datur nimiũ: nec eius, quod parum eſt, parum; nec ipſorum alterius, vel vtrorumq; mediocritas. Sic etiam exiſtimandum, fortitudinis, temperantiæ, ceterarumq; virtutum nec nimium eſſe nec parum; propterea quod media ſunt natura ſua; ſed ſumma quoque ſunt, & extrema: vt explicuimus.

S C H O L I A.

1 *Virtutis omnis hoc eſſe munus.*] *eandem ſententiam Stoboeus refert ex Metopo Pythagorico, his verbis.* Virtus in homine eſt humanæ naturæ perfectio. vnaquæque res perfecta fit, & ſumma per conuenientem naturæ, propriamq; virtutem. nam virtus equi eſt ea, quæ naturam eius ad ſummum agit. oculorum virtus eſt acumen videndi: aurium, acuta vis audiendi: pedum, celeritas. iſtis enim illa perficiuntur, & abſoluuntur.

2 *Alipta præſcribet.*] *Alipta* ἀπὸ τοῦ ἀλείφειν, *quod eſt vngere. oleo enim vires firmabant. oleum quippe intus immiſſum inimicum eſt corpori: foris adhibitum, amiciſſimum. quare ſenex ille, robuſtæ decrepitatis cauſſam reddens, aiebat: intus mulſo, foris oleo. Pindarus in Olympiis hymno 18. Mileſium quendam aliptam memorat, qui ſua arte mulos effecerat victores. Verum non oleo tantum vtebantur, ſed exercitationibus corporis: præcipue vero ſumptione multi cibi. At ne dum ab aliptis, verum & à patribus familias obſeruatum eſt antiquitus magna cura, quantum quis cibi caperet per diem: ne vires corrumperentur; ſed magis augeſcerent. Cato de re ruſtica.* Compeditis per hyemem panis pondo quattuor dato: vbi vineam fodere cœperint, panis pondo quinque, vſque dum ficus eſſe cœperint; deinde ad pondo quattuor redito. *Ceterum genus athletarum ad voluptatem magis comparatum erat, quam ad vtilitatem Reipub. illorumq; magnus erat in ſpectaculis vſus, nullus in bello. quare male audiebant apud prudentes: cum acceptiſſimi eſſent multitudini ſuetæ ſpectaculis. Alexander, cum Mileti, multas vidiſſet eorum ſtatuas, qui in Pythijs & Olympijs vicerant, easque admodum proceras:* Vbi erant, *inquit*, tam magna corpora; cum Barbari veſtram vrbem obſiderent?

3 *Miloni.*] *Athleta immenſarum virium; qua de cauſſa fuit in pretio apud Darium, vt ſcribit Herodotus lib. 3. ſexies luctator vicit Olym-*

pia, vt Pauſanias in Heliacis refert: ſexies quoque Pythia: ſemel puer. malum punicum ſic manu continuit, vt nemo digitum corrigeret, vel tantillum dimoueret: ipſe vero malum nequaquam læderet. inſedit diſco: nec inde ui vlla depulſus eſt. circumduxit fronti cordam, quam ſpiritu labris compreſſo, & venis inflatis, diſrumperet; vt Plinius eſt auctor lib. 7. occidit pugno taurum miræ ferocitatis, & magnitudinis; quem humeris ſublatum geſtauit per ſtadium, ſpectante & mirante Græcia. Hominem, qui tantis polleret viribus, voraciſſimum quoque ac multi cibi fuiſſe, rationi videtur conſentaneum: & quidem talis extitit. taurum enim illum, quem occiderat, ſolus comediſſe fertur. quare ſex libræ carnis, in cenam appoſitæ, non fuerint ei ſatis ad veſcendum.

4 *Quaſi nimium & parum.] ars, & virtus reſpiciunt medium inter exuperantiam & defectum: non inter bonum, & malum. ſemper enim illæ tendunt ad bonum; eaq; ratione extremum tangere dici poſſunt. ſed hoc extremum medium eſt inter exuperantiam, & defectum. quare opus artis quanto erit limatius, tanto etiam melius, perfectiusq; dicetur; magisq; pertinget ad ſummum, & extremum. ſed hoc extremum mediũ eſt inter id, quod eſt nimium, & id, quod eſt parum; ac de illo dicetur,* Nec citra, nec vltra.

5 *Virtus autem, vt & natura.] virtus enim, & natura inclinant ex ſe ad bonum. quare per illas, niſi corrumpantur, non contingit male operari. ars vero eſt ad cognoſcendum, & opus ad commenſum efficiendũ: non ad bene vtendum. quare quis arte, citra corruptionem artis, abuti poteſt: vt Perillus: qui Phalaridi taurum execrandum confecit.*

6 *Propter quam cauſſam.] Dædalus vaccam æneam fabrefecit, vt expleret immanem Paſiphaes libidinem: peccauit in fine, ac propoſito. nam eiuſmodi opus confeciſſe, non fuiſſet per ſe malum; ſed malus finis corrupit.*

7 *Cum igitur à medio aberrare.] rationem reddit D. Dionyſius lib. de diu. nomin. Quia bonum contingit ex una integra cauſſa, in quam omnia, quæ ad eius integritatem requiruntur, concurrant: malum vero ex ſingularibus defectibus: ſi enim unum deſit, totum corrumpitur; ut apparet in pulchritudine, & deformitate: & ſanitate, atque affecta ualetudine.*

De virtutibus ſingulatim: deque exuperantijs, & defectibus, quæ circa ipſas contingunt. Cap. VII.

NOn ſolum autem vniuerſe dicendum eſt virtutem eſſe mediocritatem inter duo extrema oppoſita: verum etiam ad ſingularia deſcendendum. ſermones enim in vniuerſum de actionibus inſtituti,

ſtituti,ſunt aliquanto inaniores; qui ſingularia tangunt, veriores, & vtiliores. in rebus enim ſingularibus conſiſtunt actiones; & cum illis oportet orationem congruere. Hæc autem ex deſcriptione vniuſcuiuſque virtutis ſumenda ſunt, *ut qualis in unaquaque mediocritas, qualia extrema ſint,explicetur; uerbigratia in fortitudine, temperantia liberalitate,magnificentia, magnitudine animi, honoris modici moderata appetitione,clementia ſeu lenitate,ueracitate,facetudine,ſiue urbanitate,amicitia,iuſtitia,& ;ut de perturbationibus animi mentionem aliquam faciamus,uerecundia,indignatione,ipſarumq; extremis.*

Hæc exponemus accurate, ubi ſingulatim de uirtutibus diſputabimus; ne,quæ ſemel dixiſſe, ſatis eſt, fruſtra repetendo, ſuperuacaneam operam impendamus.

Extrema opponi medijs: at magis extremorum alterum alteri aduerſari, quam medio. Cap. VIII.

CVm autem in virtutibus & vitijs tria exiſtant: duo ſcilicet extrema,& medium: ſciendum eſt,tum extrema ipſa inter ſe pugnare,tum etiam media cum extremis. *neque uero ſi medium non maxime diſtat ab extremo; idcirco ea inter ſe non opponi cenſendum eſt: quaſi contraria ſolum ea ſint, quæ inter ſe maxime diſtant; id inquam non impedit,quominus media & extrema opponantur inuicem, ac uere ſint contraria.* Vt enim quod æquale eſt, cum eo, quod eſt minus, comparatum,maius eſt: collatum vero maiori, eſt minus; [1] ſic medij habitus,ſi cum ijs,qui modum deſerunt,conferantur,ſuperant: ſin cum ijs,qui ſuperant,comparentur,modum deſerunt. fortis enim ad ignauum audax: ad audacem timidus, & ignauus videtur. quod & in aliis actionum, & perturbationum mediis, extremisq; ponere licet: idcirco & medium vtrque extremorum alter ad alterum propellit: fortemq; timidus audacem,audax timidum nominat; & liberalem prodigus auarum appellat, auarus prodigum. Sed cum hæc omnia pugnent inter ſe, [2] maior tamen extremorum inter ſe, quam eorundem cum medio pugna eſt, quandoquidem longius alterum abeſt ab altero, quam vtrumque à medio; ſicut magnum à paruo, & hoc ab illo diſtat longius, quam vtrumque à pari. [3] Adhuc etiam quibuſdam extremis cum medio aliquatenus conuenire videtur, vt audaciæ cum fortitudine, profuſioni cum liberalitate. extremis vero maxima inter ſe ineſt diſſimilitudo, vt audaciæ cum timiditate: profuſioni cum auaritia. Quod ſi contraria ſunt, quæ plurimum diſtant: quæ adhuc magis inter ſe diſtant,magis erunt contraria. magis er-

gis ergo extrema inter ſe opponuntur, quam cum medio. Illud quoque ſecundo loco aduertendum; extrema non æque in omni virtute à medio diſtare. in quibusdã enim exuperantia magis cum medio pugnat, in quibuſdam defectus. Fortitudini magis opponitur ignauia, quæ modum deſerit, quam audacia, quæ ſuperat. contra temperãtiæ magis intemperantia, quæ modum ſuperat, aduerſatur: quam illa modum deſerens, atque ſenſus expers immanitas, omnes ſpernens voluptates. hæc diuerſitas ex duplici oritur cauſſa; quarum altera ab ipſa re ducitur, altera à nobis ipſis. à re: nam quia extremũ alterum minus à medio recedit, eique ſimile eſt, vt audacia fortitudini; idcirco fortitudini non tam audaciam, quam ei contrariam ignauiam opponimus, vti fortitudini magis diſſimilem. quæ enim longius abſunt à medio, videntur eſſe magis contraria. à nobis: nam ad quæ vitia ſumus natura procliuiores, ea videntur medio eſſe magis contraria; vt quia nos ad voluptates natura fecit proniores, idcirco ad intemperantiam facilius prolabimur, quam ad temperantiam impellamur. quapropter temperantiæ magis contraria cenſetur intemperantia, ad quam progreſſio magis fieri ſolet, quam illa ſenſus, & voluptatum expers immanitas; quæ raro admodum hominibus contingit.

SCHOLIA.

1 *SIc medij habitus.*] *media ſortiuntur naturam extremorum. quare motus à medio ad alterum extremum, fit à medio ratione oppoſiti extremi, quod ei eſt admixtum. ſic Ariſtoteles 5. phyſ. tex. 6. ait, motum à medio fieri ratione contrarij. à uiridi enim colore ad atrum fit alteratio, qua color uiridis albi eſt particeps. ſic temperans contrarius eſt homini in uoluptatibus aſpernandis immani, quatenus aliquo modo accedit ad uoluptatum amatorem. Vnde nodus ille diſſoluitur: Quo pacto uni extremorum tum alterum opponatur, tum ipſum medium; cum unum uni ſit contrarium: ut habetur lib. 1. de cælo. nec unius uideantur conſtitui poſſe duo contraria? Sed multa ſub ratione unius poſſunt uni alteri aduerſari, quaſi contraria. omnes enim colores medij ſunt alteri extremo contrarij, quatenus cum altero ſunt permixti. quod & in uirtutum uitiorumque medijs & extremis contingit.*

2 *Maior tamen extremorum.*] *Si malum non opponitur malo, ſed bono potius: & utraque extrema ſunt uitioſa; quo pacto unum extremũ alteri opponitur? Reſpondet D. Thom. extrema uitioſa non ſibi inuicem aduerſari, eo quod mala ſunt, (id enim utrisque eſt commune) ſed per propriam quandam rationem, qua unumquodque illorum in ſua ſpecie conſtituitur.*

3 *Adhuc etiam quibuſdam extremis.*] *idem Cicero in partitionibus.* Prudentiam malitia, temperantiã immanitas in voluptatibus aſpernandis,

nandis, magnitudinem animi ſuperbia in animis extollendis, deſpicientia in contemnendis honoribus, liberalitatem effuſio, fortitudinem audacia imitatur, & patientiam duritia immanis, & iuſtitiā acerbitas, & religionem ſuperſtitio, & lenitatem mollitia animi, & verecundiam timiditas. *In eandem ſententiam Ariſtoteles lib. 1. de arte dicendi*. Sumenda ſunt ea, quæ virtutibus finitima videntur; vt ſi quis timidum dicat cautum, ſuperbum magnificum, audacem fortem, prodigum liberalem. *Inde fit vt decipiamur* ſpecie recti, *quemadmodum Flaccus monuit*, vitia enim virtuteſque, *vt ait Menander*, valde vicinas, *ac fere continuas interdum* ianuas habent.

Vti medium in omni actione, & perturbatione inueniri poſſit. Cap. IX.

CVm igitur virtus in medio conſiſtat, non eſt mirum, quòd res quædam ſit acquiſitu difficilis, & operoſa. [1] magni enim negotij eſt in vnaquaque re medium conſequi; vt circuli etiam punctum medium reperire, non cuiuſuis eſt, ſed eius, qui geometricis imbutus, teneat demonſtrationem, qua ad id peruenitur. Facile quidem cuiuis fuerit iraſci, pecuniam donare, ſumptus facere: at iraſci, & donare, cui, quantum, quo tempore, cuius rei cauſſa, & quomodo iraſcendum, & donandum eſt: neque cuiuslibet hominis, neque facile eſt. his enim circumſtantiis vnumquodque abſoluitur, & perficitur ac rarum, laudabile, atque honeſtum redditur. *rara autem difficillime inueniuntur; quare virtutis, ſeu medij ardua inuentio erit*. Cui tamen incommodò tribus remedijs ſubueniendum. Primum, vt [2] qui ad medium collineat, ab eo extremo, quod eſt medio magis aduerſum, & contrarium, quam longiſſime recedat, tendatq́; verſus extremum oppoſitum, ſecunda inſtituta nauigatione; & vt dicitur, minima de malis. quod vero extremum medio magis aduerſetur, ex regula ſuperiore capite proxime tradita procliue eſt intelligere. Hanc viam minoribus ſe exponendi periculis, cum per medium duorum malorum eundum eſt, Homerus commoſtrauit; [3] apud quem Vlyſſes Scyllam inter & Charybdim naui traiecturus, gubernatorem hortatur, vt procul à fumo & fluctu, *hoc eſt à Charybdi*, prohibeat carinam: *ac potius prope Scyllam dirigat curſum. ab hac enim ſex tantum capitibus periculum imminebat: ab illa nauis, vectorumq́; omnium certum exitium*. Proximum huic remedium, & cum ſuperiore coniunctum, eſt, vt ad quæ vitia ſimus ipſi procliues, diligenter inſpiciamus. alij enim ad alia ſumus natura propenſiores: idque ex voluptate, & ægritudine, quam ex functionibus colligimus, percipi poteſt. *vbi enim re*

aliqua

aliqua maxime oblectamur, eiusq; contrario dolemus, ad eam nos maxime pronos eſſe natura intelligimus. Igitur vbi vitia tenuerimus, ad quæ maxime nobis ipſis incitamur: ab ijs in contrariam partem, quantum poſſumus, connitamur: nam cum longiſſime nos à peccato remouerimus, ad id, quod medium eſt, vehiemus; *recurrente ſcilicet ad priſtinum ingenium natura: & ob vim à ratione additam in medio facile quieſcente*; vt ij faciunt, qui ligna diſtorta dirigunt: *nam vltra ſtatum, in quo ea conſiſtere volunt, inflectunt in partem aduerſam; vt ſpatium nacta redeundi, commodius in medio ſubſidant*. Poſtremum remedium, vt in omni negotio, quicquid iucundũ eſt, ipſamq́ adeo voluptatem ſtudioſe vitemus. eius enim non incorrupti iudices ſumus; & quemadmodum Iudex pecunia corruptus nequit recte ſententiam ferre: ſic animus voluptate delinitus, & labefactatus integrum de illa iudicium facere non poteſt. Quapropter quemadmodum Troiani ſenes in Helenam animati fuere, ſic & nos oportet erga voluptatem conformari, & illorum vocem perpetuo mente repetere,

Non erat indignum certe tot funera Troas,
Tot mala pro tali Danaos toleraſſe puella
Cælicolis ſimili formæ ſplendore Deabus.
Sed tamen ipſa ſuos redeat cum nauibus Argos,
Ne cladem nobis, noſtriſque nepotibus olim
Inferat, & ſuperet multorum cauſſa laborum.

Miſſa enim facta & amandata voluptate, leuius peccabimus, minoreque affectu ad inhoneſta feremur. His remediis medium facillime conſequemur; quod nihilominus in rebus præſertim ſingularibus inuenire, arduum adhuc videri poſſit: cum non ſit facile diſtinguere, quo nam modo, quibus hominibus, quibus de cauſſis, quandiu verbi gratia ſit iraſcendum. hanc vero difficultatem ipſi augemus, cum interdum eos homines, qui parum iraſcuntur, laudamus, quaſi lenes; interdum commendamus eos, qui grauiter ſuccenſent, quaſi animo virili præditos. *Ceterum non eſt exiſtimandum virtutis medium adeo eſſe anguſtum, vt centrum in ſphæra, quod omnino eſt indiuiduũ, & minutiſſimũ*. habet enim virtutis mediũ ſua ſpatia; [4] & qui paullulum à perfectione deflectit, ſiue modum aliquantulum ſuperet, ſiue aliquantulum deſerat, non vituperatur: ſed is tantum, qui longius quam par ſit, à medio diſcedit. Hoc enim ob exuperantiæ, ſiue defectus magnitudinem iam non latet. quouſque autem extendatur, & quatenus iraſci, dolere, lætari poſſimus, non eſt facile oratione definire, vt neque aliud quidquam eorum, quæ ſubduntur ſenſibus, certis regulis adſtringere. Actiones vero & perturbationes, atque adeo virtutes & vitia in ſingularibus verſantur, de quibus iudicat ſenſus, *non quidem exterior: ſed qui intra nos poſitus, æſtimandi vim habet,*

cuius

cuius opera quid, & quomodo agendum ſit, prudentia diſtinguit. Hactenus itaque à nobis oſtenſum eſt, medium habitum in omnibus eſſe laudabilem; declinandum vero eſſe nunc ad nimium, nunc ad id quod eſt parum. ſic enim id quod medium, & perfectum eſt, facile conſequemur.

SCHOLIA.

1 *Magni enim negotij eſt.*] *ſcilicet medium quo ad nos. illud enim ex hominum, locorum, temporum, finium diuerſitate magnam ſuſcipit varietatem. medium vero rei, quia ſemper idem eſt omnibus, tangere, cuiuis facile fuerit.*

2 *Qui ad medium collineat,*] *An non hic principium, vt dici ſolet, Ariſtoteles petit? qui enim nouit extremum, quod à medio magis diſtat, iam nouit, atque tenet medium; fruſtra igitur quærit: vel ſi non fruſtra, ſaltim admonitio eſt inanis. Reſpondeo, eiuſmodi hominem tenere medium ſpeculatiue, non practice. eget itaque aſſuetudine, cui Ariſtotelicum præceptum confert. vel dicendum, iſtum tenere medium confuſe, & aliquo modo, non diſtincte, ſicut & ipſorum quoque extremorum confuſam notitiam habet.*

3 *Apud quem Vlyſſes.*] *memoria hic lapſus eſt Ariſtoteles. verba enim ab eo Calypſoni attributa apud Homerum Vlyſſis ſunt, non Calypſonis. quo etiam loco errat Aſpaſius, hæc eadem in ore Cyreeos ponens. turpius verò peccat, cum pro fumo vnum, pro fluctu alterum ſcopulum ab Homero intelligi vult; ita vt æquo interuallo ab vtroque longe trãſeundum ſuadeat; quod contra ſenſum eſt Ariſtotelis, hoc Homerico dicto vtentis ad oſtendendum, in duobus malis longius eſſe recedendum à maiori.*

4 *Et qui paullulum à perfectione deflectit.*] paululum *inquit. eſt enim virtutis medio ſua laxitas: at qui alterum extremorum ita tangeret, vt in illo permaneret, eſſet in vitio: & charybdim vitans, in ſcyllam incideret. vnde Horatius.*

Non ego auarum
Cum veto te fieri, vappam iubeo, vel nebulonem.

Dubitari hoc loco poteſt: Difficilius ne ſit ab vno in alterum extremum tranſire: an magis ad medium? Aſpaſius cap. 8. ait faciliorem eſſe tranſitum de extremo in extremum, vt ab auaritia ad effuſionem: quod confirmari poteſt ex eo, quod medium tenere difficillimum ſit: extrema vero facillimum. Ceterum dixerim, ex rei natura minoris eſſe negotij, de extremo ad medium gradum facere, quam ad oppoſitum extremum; tum quia extrema diſtant longius inuicem: tum quia in ſymbolis elementis procliuior eſt ab vno in alium tranſitio. at defectu prudentiæ, naturæ ordo inuertitur, & facilius quis ab extremo labatur in extremum, quam perueniat ad medium; hoc enim inuenire valde operoſum eſt;

eſt; ſed poſteaquam inueneris, in eodem perſeuerare, multo difficillimum. medium enim tenuere beati. *at beati quam pauciſſimi; ijque per maximos labores felicitatem adepti.*

DE MORIBVS LIBER TERTIVS.

De ſpontaneo & inuito. *Cap.* I.

QVoniam virtutes, & vitia in perturbationibus, & functionibus humanis vertuntur, ac per eas commeant: vtile fuerit ante diſputationem, quæ de virtutibus, & vitiis ſingulatim inſtruenda eſt, ea, quæ ad functiones in vniuerſum ſpectant, inueſtigare, cuiuſmodi ſpontaneum eſt, & inuitum. idq́ue eo magis, quod in ijs, quæ ſponte noſtra ſuſcipimus, laudes, & vituperationes locum habẽt. ijs autem, quæ inuiti facimus, nec laus, nec vituperatio, ſed venia, & interdum miſeratio tribuitur. *cum vero laudes, & vituperationes virtutibus atque vitijs tribuantur*, iure qui de his agit, id etiam, quod ſponte, quod ab inuito fit, diſtinguet. [1] Hæc autem diſputatio legumlatoribus quoque ad honores pœnasq́; decernendas vtilis futura eſt. [2] *ijs enim quæ ab inuitis fiunt, nec laus, vel honos: nec vituperatio, vel pœna debetur.* De his igitur paucis agendum.

De ijs, quæ fiunt ab inuito.

I*Nuite facere ex duplici fonte naſcitur;* à vi, *& ab ignoratione. quapropter* ea inuiti ſuſcipimus, quæ vel vi coacti, vel per inſcientiam agimus. *igitur qui ſe ab aliquo facto purgare voluerit, altera ex duabus defenſionibus vtetur: vel quod per vim fecerit, vel quod per inſcientiam. Vtraque excuſatio legitima eſt. nam motus voluntarius oritur à virtute appetente. hæc, ni præeat cognitio, non agit. quare vbi uis infertur, directo exploditur appetitio (vis enim recta fertur aduerſus appetitionem, eamq́; perimit) vbi deeſt notitia, & cognitio, eadem excluditur; nam non appetimus incognita. itaque ad conſtituendum inuoluntarium alterum ſufficit: ad ſpontaneum vtroque opus eſt: ſcientia, & libertate. Hinc oritur duplex genus inuoluntarij, & inuiti; quorum alterum à vi admiſſum dicitur, alterum per ignorationem.*

De in-

De Inuoluntario per vim.

1 *INuoluntarium à vi duplex eſt: vnum ſimpliciter, & purè à vi: alterum admixtum ſpontaneo.* [4] Inuoluntarium pure ac ſimpliciter à vi eſt, cuius principium extra ipſum eſt, qui vim patitur, vel per vim agit: cui etiam principio nihil ipſe afferat adiumenti; vt ſi ventus hominem aliquò detulerit, *quemadmodum Orithyiam Erichthei filiam, quam Boreas ardentiſſime amaret, ab Aquilone vento ſublatam, & in Thraciam aſportatam antiquæ fabulæ tradidere:* tum etiam ſi quis viribus valentior in aliquem nos propellat, *non facimus ei iniuriam: cum cauſſa mouens extra ſit, nec ipſi vllo modo iuuemus motū.*

Inuoluntarium à ui ſpontaneo mixtum eſt illud, quod fit à volente, non ſimpliciter quidem, & abſolute: ſed maioris mali vitandi,
5 vel honeſti retinendi gratia: vt ſi quis Tyrannus turpe facinus imperet alicui ea lege, vt, ni obtemperet, parentes, filijq; neci dedantur: ipſeque, vt ij ſalui ſint, imperata faciat, & inhoneſto ſe facto inquinet: num ſpōte, an inuite fecerit, ambigi poteſt. Eademq; de mercibus, tempeſtate coorta, in mare proiectis, eſt controuerſia. ſponte enim nemo iacturam facit rerum ſuarum: ſed ſalutis cauſſa, qui modo ſanæ mentis ſunt, omnes eiuſmodi damnum ſubeunt. Mixtæ igitur eiuſmodi ſunt actiones. *nam & ſpontaneæ videntur, cum in eo, qui agit, vel patitur, illarum inſit principium: & inuitæ ex alia parte apparent, quoniam ſi aliud pateret effugium, nec merces iſti effunderent, nec ille tyranno fœda, duraq; imperanti pareret.* [6] Sunt nihilominus ijs, quæ ſponte geruntur, ſimiliores; [7] quoniam quo tempore gerebantur, expetendæ erant, & contrariis anteponendæ. *quis enim vitam non habeat diuitijs cariorem?* finis autem actionis omnis à tempore & opportunitate ſpectandus eſt, *ac iudicium de ea faciendum à momento, quo exercetur. actiones enim ſunt ſingulares, pendentq; à tempore, ceteriſq; conditionibus, quibus eæ cinguntur.* Sponte igitur agi aliquid, vel inuite dicendum eſt, ſpectato tempore, quo agitur. tunc vero ſponte merces in mare præcipites dabat; *ipſe, nemine cogente, manu capiebat; in ipſo principium erat partium mouendarum, quæ motioni illi, quaſi inſtrumenta, ſeruiebant: cor ſcilicet, per neruos impellens manus, pedes, ac reliqua membra.* vbi vero aliquorum agendorum, vel non agendorum principium eſt, ibi poteſtas integra, vt agantur, vel non agantur eſt. ſponte igitur hæc agi dicimus, *tempore, quo geruntur, & motionis principio ſpectato:* at ſimpliciter, *hoc eſt ſumma, & prima reſpiciendo,* inuite. *nam ante periculum ea facere noluiſſent;* ac nemo ſimilia propter ſe ipſa optauerit, vel ſimpliciter lubens, volenſq; fecerit. *quid igitur probibet actiones haſce ex ſe, & natura ſua*

voluntarias appellare: ex conditione autem inuite ſuſceptas? vel magis hoc tempore, hoc rerum ſtatu à volente exiſtere, atque lubente: in vniuerſum autem ab inuito? Eiuſmodi gladiatorum non paucos dixerim congreſſus: quorum plerique inuiti certabant: ſed metu pœnæ grauioris, vnci ſcilicet, vel beſtiarum, ruebant in mortem, quam, ſi licuiſſet, libentiſſime vitaſſent. Socrates venenum hauſit, ne improbitati Tyrannorum ſuffragaretur: ſponte, ſi eum conſideres deliberantem, & iniuſtitiæ mortem præferentem: inuitè, ſi eundem conſideres non bibiturum, ſi iniuſtitiam fugere, ac vitam retinere quiuiſſet. Iam vero actiones iſtas plus habere à ſpontaneo, quam ab inuito, quod ſupra monuimus, alio etiam argumento probari poteſt. illas enim laus conſequitur & vituperatio; *at ob ea, quæ inuiti facimus, nec laudamur, nec vituperatione afficimur. ſunt igitur ſpontaneæ magis, quam inuitæ.* efferuntur quippe laudibus qui magnarum, & honeſtarum rerum cauſſa [8] turpitudinem patiuntur, vel moleſtiam ſubeunt: *vt Vlyſſes apud Homerum;*

Qui ſibi deturpans inhoneſto vulnere corpus
Veſtibus induitur laceris, pannoſaq; collo
Pallia circumdat, ſeruoq; ſimillimus vrbem
Hoſtilem eſt auſus, Troianaq; tecta ſubire.
Atque inde ad ſocios, multorum corpora ferro
Obuia proſternens, longe prudentior exit.

Commendatur quoque Zopyrus, qui vt Babylonem Cyro ſubijceret, aures ac naſum ſibi detruncauit, tergore plagis deformato. Hi laudantur, quod eiuſmodi incommoda, etiam nemine cogente, ſubierint, honeſti gratia; ergo & ij, qui optione facta, vt vel turpitudinem & moleſtiam eligant, vel mortem ſuorum; ſi magis ipſi moleſtiam ſumant, laudem merentur; quod propriam vtilitatem alieno commodo, cum maxime potuiſſent, non præpoſuerunt. Qui vero aliter faciunt, & leuem aliquam exiſtimationis propriæ iacturam, atque modicam corporis moleſtiam renuunt, vbi occaſio adeſt rerum præclariſſimarum: vel [9] res turpiſſimas nullius honeſtæ rei, vel mediocriter honeſtæ gratia ſufferunt, improbe agunt, & vituperantur. *eſt enim modus ſtatuendus, ne turpia ſine graui cauſſa ſumantur. hunc modum ſcurræ & ganeones deſerunt, cum ad riſum commouendum, vel voluptatem fortunatis hominibus præbendam, ſe male multari, deformariq; patiuntur.* At ſunt quædam, quæ ſi quis agat, nullam conſequitur laudem, ſed venia duntaxat illi datur; cum ſcilicet quis ea, quæ non ſunt agenda, quæque turpitudinem continent, agit ijs rebus compulſus, quæ humanam naturam ſuperant, quaſque nemo perferre queat; *vt ſi victus metu mortis impendentis, vel dolore per tormenta ingeſto ſuperatus, ſocios coniurationis, quod Philotas ab Alexandro ad necem tortus fecit, prodiderit.*

derit. huic laus non tribuitur, (nihil enim tunc egit laude dignum,) ſed venia debetur homini cruciatibus acerbiſſimis ferendis impari: venia inquam, quaſi leuiter propriam exiſtimationem infecerit, quod Zenoni, atque Theodoro Syracuſano imparem ſe præſtiterit; quorum hic tentati facinoris conſcios vt proderet, nullis tormentis cogi potuit: ille omnia perpeſſus mala, ne tandem proderet, ſibi linguam inter cruciatus dentibus abſcidit, ac in Nearchi faciem exſpuit, ut eumſpe penitus deijceret quicquam de inimicis cognoſcendi. Horum conſtantia, vti humana conditione maior, ſummis laudibus afficienda. verum Philotas miſeratione proſequendus, & ob naturæ imbecillitatem excuſandus; etſi eius factum de ſpontaneo multum habuiſſe Zenonis, atque Theodori peruicacia conuincit. Verum quæ diximus, non adeo ſunt extendenda, vt exiſtimemus licere nobis ad mortem vitandam vel cruciatum fugiendum omnia, quantumuis turpia, facere, admittereque. [15] Sunt enim fortaſſe nonnulla eiuſmodi, vt nulla vi, aut neceſſitate coacti ea agere debeamus. quin mors potius oppetenda fuerit, omnesq́; vel grauiſſimi cruciatus perferendi. *non enim tanti vita æſtimanda, vt pietatem erga Deum, patriam, parentes deſeramus: vel cædem alteri inferamus: vel alienum torum violemus.* Ridicula igitur ſunt, quę Alcmæon affert apud Euripidem, vt ſe excuſet à matricidio. *ait enim.*

Nam tunc me ad iſtud incitauit maxime
Facinus, equeſtre vehiculum inſcendens Pater,
Thebas tumultu cum peteret bellico.

Progrediturq́; paterna mandata commemorando, recitandisq́; execrationibus, ni feciſſet. Neque enim apud filium tanti eſſe debebat patris imperium, vt ventrem, eo iubente, feriret, per quem ipſe vitam, & incolumitatem acceperat; eoq́; minus, quod Eriphyle maritum Amphiarañ latentem indicarit Argiuis, bono publico: etſi aureo corrupta monili. potuit enim ab incitamento turpi ad finem honeſtum inuitari. Iure autẽ apud Homerũ. [16] *Dolon ignominia notatur, quod metu mortis conſilia ſuorum hoſtibus patefecerit, nec fidem Imperatori ſuo, quam pollicitus fuerat, debueratque, præſtiterit. Nec Gyges, qui Candaulem Regem è medio ſuſtulit, excuſatur à crimine; etſi ad vitandam necem à Regia vxore comminatam ſe feciſſe dicat. Sunt igitur multa vitæ præferenda: multa poſthabenda.* Sed admodum difficile eſt, quid cui anteponendum ſit, quid pro quo perferendum, iudicare: quòd res, quæ particulatim fiunt à mortalibus, multis inter ſeſe, variiſq; modis diſcrepant, nec ad certam regulam expendi poſſunt; *ſed vt plurimum incerta remanet trutina, & anceps libratio rerum turpium cum honeſtis: vel magis minusue honeſtarum inter ſeſe; qualis fuit Achillis apud Homerum perplexitas,*

In patria maneat, longosque inglorius annos

voluntarias appellare: ex conditione autem inuitè ſuſceptas? vel magis hoc tempore, hoc rerum ſtatu à volente exiſtere, atque lubente: in vniuerſum autem ab inuito? Eiuſmodi gladiatorum non paucos dixerim congreſſus: quorum plerique inuiti certabant: ſed metu pœnæ grauioris, vnci ſcilicet, vel beſtiarum, ruebant in mortem, quam, ſi licuiſſet, libentiſſime vitaſſent. Socrates venenum hauſit, ne improbitati Tyrannorum ſuffragaretur: ſponte, ſi eum conſideres deliberantem, & iniuſtitiæ mortem præferentem: inuitè, ſi eundem conſideres non bibiturum, ſi iniuſtitiam fugere, ac vitam retinere quiuiſſet. Iam vero actiones iſtas plus habere à ſpontaneo, quam ab inuito, quod ſupra monuimus, alio etiam argumento probari poteſt. illas enim laus conſequitur & vituperatio; *at ob ea, quæ inuiti facimus, nec laudamur, nec vituperatione afficimur. ſunt igitur ſpontaneæ magis, quam inuitæ.* efferuntur quippe laudibus qui magnarum, & honeſtarum rerum cauſſa [8] turpitudinem patiuntur, vel moleſtiam ſubeunt: *vt Vlyſſes apud Homerum;*

Qui ſibi deturpans inhoneſto vulnère corpus
Veſtibus induitur laceris, pannoſaq; collo
Pallia circumdat, ſeruoq; ſimillimus vrbem
Hoſtilem eſt auſus, Troianaq; tecta ſubire.
Atque inde ad ſocios, multorum corpora ferro
Obuia proſternens, longe prudentior exit.

Commendatur quoque Zopyrus, qui vt Babylonem Cyro ſubijceret, aures ac naſum ſibi detruncauit, tergore plagis deformato. Hi laudantur, quod eiuſmodi incommoda, etiam nemine cogente, ſubierint, honeſti gratia; ergo & ij, qui optione facta, vt vel turpitudinem & moleſtiam eligant, vel mortem ſuorum; ſi magis ipſi moleſtiam ſumant, laudem merentur; quod propriam vtilitatem alieno commodo, cum maxime potuiſſent, non præpoſuerunt. Qui vero aliter faciunt, & leuem aliquam exiſtimationis propriæ iacturam, atque modicam corporis moleſtiam renuunt, vbi occaſio adeſt rerum præclariſſimarum: vel [9] res turpiſſimas nullius honeſtæ rei, vel mediocriter honeſtæ gratia ſufferunt, improbe agunt, & vituperantur. *eſt enim modus ſtatuendus, ne turpia ſine graui cauſſa ſumantur. hunc modum ſcurræ & ganeones deſerunt, cum ad riſum commouendum, vel voluptatem fortunatis hominibus præbendam, ſe male multari, deformariq; patiuntur.* At ſunt quædam, quæ ſi quis agat, nullam conſequitur laudem, ſed venia duntaxat illi datur; cum ſcilicet quis ea, quæ non ſunt agenda, quæque turpitudinem continent, agit ijs rebus compulſus, quæ humanam naturam ſuperant, quaſque nemo perferre queat; *vt ſi victus metu mortis impendentis, vel dolore per tormenta ingeſto ſuperatus, ſocios coniurationis, quod Philotas ab Alexandro ad necem tortus fecit, prodiderit.*

derit. huic laus non tribuitur, (nihil enim tunc egit laude dignum,) ſed venia debetur homini cruciatibus acerbiſſimis ferendis impari: veniа inquam, quaſi leuiter propriam exiſtimationem infecerit, quod Zenoni, atque Theodoro Syracuſano imparem ſe præſtiterit; quorum hic tentati facinoris conſcios vt proderet, nullis tormentis cogi potuit: ille omnia perpeſſus mala, ne tandem proderet, ſibi linguam inter cruciatus dentibus abſcidit, ac in Nearchi faciem exſpuit, ut eum ſpe penitus deijceret quicquam de inimicis cognoſcendi. Horum conſtantia, vti humana conditione maior, ſummis laudibus afficienda. verum Philotas miſeratione proſequendus, & ob naturæ imbecillitatem excuſandus; etſi eius factum de ſpontaneo multum habuiſſe Zenonis, atque Theodori peruicacia conuincit. Verum quæ diximus, non adeo ſunt extendenda, vt exiſtimemus licere nobis ad mortem vitandam vel cruciatum fugiendum omnia, quantumuis turpia, facere, admittereque. [15] Sunt enim fortaſſe nonnulla eiuſmodi, vt nulla vi, aut neceſſitate coacti ea agere debeamus. quin mors potius oppetenda fuerit, omnesq; vel grauiſſimi cruciatus perferendi. *non enim tanti vita æſtimanda, vt pietatem erga Deum, patriam, parentes deſeramus: vel cædem alteri inferamus: vel alienum torum violemus.* Ridicula igitur ſunt, quę Alcmæon affert apud Euripidem, vt ſe excuſet à matricidio. *ait enim.*

Nam tunc me ad iſtud incitauit maxime
Facinus, equeſtre vehiculum inſcendens Pater,
Thebas tumultu cum peteret bellico.

Progrediturq; paterna mandata commemorando, recitandisq; execrationibus, ni feciſſet. Neque enim apud filium tanti eſſe debebat patris imperium, vt ventrem, eo iubente, feriret, per quem ipſe vitam, & incolumitatem acceperat; eoq; minus, quod Eriphyle maritum Amphiarau̅ latentem indicarit Argiuis, bono publico: etſi aureo corrupta monili. potuit enim ab incitamento turpi ad finem honeſtum inuitari. Iure autē apud Homerū. [11] *Dolon ignominia notatur, quod metu mortis conſilia ſuorum hoſtibus patefecerit, nec fidem Imperatori ſuo, quam pollicitus fuerat, debueratque, præſtiterit. Nec Gyges, qui Candaulem Regem è medio ſuſtulit, excuſatur à crimine; etſi ad vitandam necem à Regia vxore comminatam ſe feciſſe dicat. Sunt igitur multa vitæ præferenda: multa poſthabenda.* Sed admodum difficile eſt, quid cui anteponendum ſit, quid pro quo perferendum, iudicare: quòd res, quæ particulatim fiunt à mortalibus, multis inter ſeſe, variiſq; modis diſcrepant, nec ad certam regulam expendi poſſunt; *ſed vt plurimum incerta remanet trutina, & anceps libratio rerum turpium cum honeſtis: vel magis minusue honeſtarum inter ſeſe; qualis fuit Achillis apud Homerum perplexitas,*

In patria maneat, longosque inglorius annos

Exigat: an ſacræ pugnans ad mœnia Troiæ
Ipſe quidem pereat, ſed viuat fama perennis.

Difficilius vero longe eſt, in eo. quod ſemel placuit, atque adeo in omni deliberatione perſeuerare, nec imbecillitate animi mutare conſilium. quod ex eo naſcitur, quia quæ expectantur, plerumque dolorem inurunt; ac ita nobiſcum agitur, vt non niſi ad turpia cogamur; & uis non ad bonum nobis fiat, ſed *(tanta interdum exiſtit potentum improbitas)* potius ad malum. *neque enim Gygi mortis iniectus metus vt Regis ſui caput tueretur; nec Zeno atque Theodorus, vt fauerent libertati, cruciatibus admoti.* Hinc vituperationes & laudes eos ſequuntur, qui ſe vinci à vi permiſerunt, vel illatam ipſi neceſſitatem ſuperarunt; *quod illis factis multum ineſſe ſpontanei declarat. ab illis enim quæ inuitè fiunt, nec laus emergit, nec vituperatio.* De iis igitur quæ per vim ſimpliciter fiunt, vel ſunt ſpontaneo mixta, ita ſit nobis determinatum. Ex his illorum error detegitur, qui nos inuite peccare cenſent: quod iucunda, quibus mouemur, extra nos exiſtant: ipſique inuiti trahamur ab illis; omnemq; culpam, ſuæ patrocinati prauitati, in res externas conferunt, quaſi ob eximiam pulchritudinem ad ſe rapere, quantumuis inuitos, poſſint. Hæc ſi eſſent vera, omnia quæ fiunt, violenter fierent. pulchri enim & iucundi gratia omnes agunt omnia; & qui coacti faciunt, inde moleſtiam percipiũt: qui vero à rebus iucundis inuitantur ad agendum, cum voluptate agunt. *vim igitur iucunda non inferũt, nec vllam imponunt neceſſitatem; neceſſitas enim triſtitiam affert, cum aduerſetur voluntati; vt habetur lib. 5. metaph. cap. 6.* Ridiculum ergo fuerit accuſare illa, quæ ſunt extra, non ſe ipſum potius, qui à talibus rebus facile capiatur: & malefactorum culpam in ſpecies corporum eximias reijcere, cum ipſi ſimus in culpa, quod tenero molliq; animo in voluptates feramur, atque facile eius illecebris capiamur. Præterea & illud abſurdum videtur, bonorum cauſſas ſe ipſos facere, malefactorum aliis tribuere: *cùm nihilominus & bona, & mala ab iiſdem prodeant. ſi enim bonum aſſimulatum vim habet animos ad ſe trahendi, cur verum bonum idipſum præſtare non poſſit, cum certe maioris efficacitatis vera bona ſint, quam aſſimulata? Adde contrarias actiones eſſe eiuſdem facultatis; nam qui poteſt nauim diligentia ſeruare, poteſt eandem incuria perdere. ea propter, ſi bonarum, & honeſtarum functionum ſibi laudem adſcribunt, malarum quoque turpiumq; infamiam ſubeant, neceſſe eſt.* Demum, cum violentum ſit ab externo principio, & quod vim patitur, ad ipſum nihil conferat: qui voluptate irretiti turpiter agunt, ſe inuitos agere ſi dicant, mentiuntur. principium enim agendi in ipſis eſt: ipſiq; operam conferunt ad turpem actionem. De voluntario igitur per vim hactenus fuerit nobis diſputatum.

De In-

De Inuoluntario per ignorationem.

[11] OMne,quod per inſcientiam fit,non ſponte quidem fit: ab inuito tamen fieri non dicitur,niſi in eo,qui fecit,dolor vel pœnitentia ſequatur. *aliud enim eſt non ſponte,aliud inuite facere.* Non ſponte facit is, qui cum ignorans fecerit, vbi poſtea rem intellexit, nec dolet,nec pœnitudine afficitur. nam hic ſponte feciſſe non videtur, quoniam ignorabat quid faceret; *at voluntas non fertur in incognitum, nec agit ſine facultate æſtimante;* inuite quoque feciſſe dici non poteſt,quia,re cognita,non ægrefert, quod ita fecerit; *omne autem quod voluntati aduerſatur,triſtitiam affert.* reſtat itaque vt medio quodam modo ſe habeat inter ſpontaneum & inuitum: dicaturque feciſſe non ſponte. *Huc ſpectat illius factum, qui cum lapide canem peteret,nouercam percuſſit: & errore animaduerſo,addidit, Ne id quidem male cecidiſſe.*Inuite autem ea fieri dicuntur,quæ per ignorationem admiſſa, & reſcita, pœnitentiam, vel moleſtiam inducunt; *qualia circa Oedipum contigerunt. duxit enim ille matrem in vxorem, ignarus matri ſe miſceri: vbi facinus comperit,tantum ex eo dolorem cepit,adeoq; in ſe ipſum exarſit, vt ſibi oculos effoderit.* Hoc autem loco à verborum ambiguitate cauendum. [13] aliud enim eſt inſcientem agere, aliud per inſcientiam. Ebrius in ebrietate alium pulſat, inſcius ille quidem,vt & is,qui in iracundiæ feruore iniuriam alteri facit: Verum per inſcientiam hæc agere non videntur, ſed propter temetum,vel iram, quæ rationem excæcant. non eſt igitur ignorantia in cauſſa, vt illa admittant, ſed potius ebrietas, & ira; *in quas ipſi ſponte ſe ingurgitarunt.* Eadem ratione improbus omnis ignorat,quę facere debeat,quæ omittere; ob quam inſcitiam atque culpam homines efficiuntur iniuſti,&, vt ſemel dicam, mali. *praua enim & ab honeſto aliena eligunt, opinati ea ſibi hoc tempore, atque hoc rerum ſtatu vtilia futura; in quo nihilominus errant ob ignorantiam veri; vnde manauit illud, Omnis peccans eſt ignorans.* Hos vero homines, inſcios veri,nemo dicet inuitos agere. nam errant, dum ſpecie rerum præſentium decepti,perniciosum pro vtili eligunt. Ignorantia vero iſta prauæ quidem electionis cauſſa eſt, non inuoluntarij; quemadmodum [14] ignorantia rerum vniuerſarum,honeſti ſcilicet,atque turpis,nec ipſa parit inuoluntarium. id ex eo manifeſte apparet, quod homines ob eam vituperantur,nec vllo modo excuſantur à crimine. *quare volentes peccare cenſentur,cum ipſi ſponte ſua ignorantiam illam elegerint,quam prohibere potuiſſent.* At ignorantia rerum particularium tum inuoluntarium gignit,tum excuſat à culpa. (vt enim actiones verſantur circa ſingularia, ſic pro illorum ſcientia vel ignora-

tione ſponte,vel inuite ſuſcipiuntur) vel demum quandoque miſericordiam,& veniam conſequitur *;pro diuerſitate ſcilicet adiunctorum, quæ maximam in hac re varietatem efficiunt*. [15] Eiuſmodi autẽ ſunt, quis fecerit,quid fecerit,qua in re occupatus,quo inſtrumento,cuius rei gratia,& quomodo. nam qui vnum aliquod iſtorum ignorat, inuitus agit. hæc autem omnia vnus & idem,qui ſit ſanæ mentis, ſimul ignorare non poteſt. verum nec agentem is,qui agit, ignorat. [16] quo enim pacto quis ſe ipſum ignorauerit ? reliqua vero illum latere poſſunt, *quæ non ab re fuerit planius explicare, quando in ipſorum ſcientia,vel ignoratione voluntarij, & inuiti: atque adeo condemnandi, vel abſoluendi, ſeu excuſandi regula ſita eſt*. Facile igitur contingat, vt quis,quod agit, ignoret; vt ſi cui verbum in impetu orationis exciderit fortuitum,non excogitatum; vel ſi quis præmeditata quidem proferat,ſed quæ alio trahi poſſint, quam ipſe putaſſet; quemadmodum Aeſchylus, *dum tragœdias populo ſe dare exiſtimat ab omni offenſione remotas,Cereris arcana,ſilentio inuoluenda, imprudens tangere viſus eſt. quamobrem à ſuperſtitioſo populo, quaſi myſteriorum proditor,fere in ſcæna interemptus eſt; Bacchi autem aræ complexu,& Areopagitarum interceſſione ſeruatus, cum cauſſam diceret, non alia defenſione vſus eſt, quam quod homo religionibus Deæ haud initiatus, nec arcanorum notitiam habere,nec proinde illa enunciare, potuiſſet*. Aliis quiſpiam catapultam, ſeu baliſtam tractabat, eius vſum, atque feriendi rationem alteri oſtenſurus. in ea tractatione ſpiculum manu fugit,& quem noluiſſet, interfecit. *ignorans feciſſe dicitur; quod ſpiculum de manibus miſſum ſe facere cum non aduerteret,amiſit; ideoque venia vel miſericordia dignus cenſetur*. Cõtingit etiam ignorare materiam, in qua verſamur, *& omnino neſcire, quid habeamus ante pedes*. ſic Merope *apud Euripidem in Creſphonte, aduenam ſopore correptũ,quaſi hoſtem,occidere aggreditur, inſcia ſuum eſſe filium*. Inſtrumenta quoque non ſemel ignoramus, & alia nos tractare opinamur, quam vere tractemus. Exercebatur quis in Gymnaſio, [17] vbi moris eſt,haſtis in modum ſphæræ obtuſis ludere. & cum eiuſmodi ſe ſpiculum contorquere cenſeret, acuto nihilominus mucrone præferratum tractabat; eoq; deceptus errore,plagam amico inflixit; nolens fecit, quod ignoraret, haſta ſe vti aculeata. Idem iudicij de illo faciendum,qui pumicem ſe tenere exiſtimans,cum lapidem haberet in manibus, in alium coniecit. Sed & in conſequutione finis, gratia cuius agimus,interdum decipimur; vt qui corrigendi gratia verberat, & necat *; vel qui, cum medicinam ad ſalutem iuxta canones artis porrexiſſet, ex occulta cauſſa perniciem attulit ægroto; cuius incommodi crebra,& fere quotidiana viſuntur exempla; vel demũ,qui membrum putridum abſcindit,vt reliqua ſeruet : & occidit*. Denique modus

dus aliquando ignoratur actionis; et, cum remiſſius agendum fuiſſet, acrius & vehementius inſtatur; vt qui *in Acrochiriſmo, quod luctæ genus non toto collato corpore, ſed ſummis manibus exercebatur*, diſcipulum docere volens, grauius illum compreſſit vel pulſauit. *idque imprudens commiſit*, [18] *quod tamen Soſtratus prudens faciebat*. Hæc porro ſunt, quæ facta cingunt; eorumque ignorantia factum reddit ab inuito geſtum; maxime vero ſi res ignoretur, ſiue materia: tum id, cuius gratia fit, ſiue finis. hæc enim principem in actionibus locum obtinent; *cum materia ſit fundamentum actionis: finis vero, ceu lapis lydius, functionum humanarum merita referat ſine fallacia*. Sed eorum ignoratio ita demum quid inuite factum arguit, ſi dolor vel pœnitentia ſequatur. Concludendum igitur, quod per vim, aut inſcientiam geritur, inuite fieri; ac proinde ea ſponte fieri, quorum principium agendorum eſt in eo, qui agit, res ſingulares, in quibus actio conſiſtit, non ignorante. *duo enim ad voluntariam actionem requiruntur in ipſo agente: principium agendi, & eius, quod geritur, ſcientia*. Inde colligere licet, non recte loqui eos, qui quæ iræ vel cupiditatis impulſu fiunt, fieri dicunt ab inuito. nam ſi verum id eſſet, nec ceteræ animantes, nec pueri quicquam ſponte agerent; cum nihil non hortante ira vel cupiditate agant. Deinde, poſſem ab illis ſciſcitari; nihil ne eorum, quæ ira, vel cupiditate incitati agimus, ſponte agimus? an vero honeſta ſponte, turpia inuiti? at ridiculum fuerit hoc poſterius aſſerere; cum vna ſit turpium & honeſtorum cauſſa, *& ab vno eodemq; homine ea promanent*. prius vero & ipſum explodendum eſt. nam quæ appetere oportet, non fiunt inuite. atqui & ob aliquas cauſſas iraſci oportet, & quædam cupere, vt bonam valetudinem, atque doctrinam: *videlicet ita ſuadente ratione. aliqua igitur, quæ per iram, & cupiditatem fiunt, ſponte fiunt*. Præterea, quæ inuite fiunt, moleſtiam præbent: quæ ex cupiditate, voluptatem. multum itaque diſcrepant, inuite agere: ex cupiditate agere. Adhuc etiam peccata, quæ ex ira committuntur, mala ſunt, & fugienda æque ac errata illa, quæ à ratione promanant. cur hæc igitur à volente erunt, illa ab inuito? cum par ſit vtrorumq; malitia, & infamia: nihilq; damnetur, quod non ſit à volente, & lubente factum? *Iam vero qui cenſent ea, quæ per iram & cupiditatem fiunt, inuite fieri, eo quod motus turbidi animorum ſint belluarum proprij, nec hominis arbitrio ſubiecti; ac proinde neminem aſſerunt eſſe damnandum, quod ab illis rapiatur, quemadmodum nec feræ puniuntur, ea ſolum de cauſſa, quod neceſſario mouentur à cupiditate, nec poſſunt non moueri; qui inquam iſta loquuntur, reijciuntur facile*. nam iſti animorum turbidi motus humani ſunt, & hominis arbitrio ſubiecti: *cum à ratione corrigi poſſint, nec tantarum ſint virium, vt illam renitentem, reluctantemq; valeant affligere*. Demum

mum permultæ humanæ functiones, *ſponte videlicet,& cum delibera-
tione ſuſceptæ* , ab ira & cupiditate proficiſcuntur ; idq́ue contingit,
cum ratio appetitioq́; ad eàdem feruntur , *vt cum appetitioni vlci-
ſcendi ſatisfaciendum eſſe ratio ſuadet* . non ſunt igitur ab inuito,quæ-
cumque ab ira,& cupiditate fiunt . *ratio enim & electio, vt iſti faten-
tur,factum reddunt voluntarium* .

S C H O L I A.

1 HAec autem diſputatio legumlatoribus .] notat Cuiatius in Pa-
rat.multis eam ex iure Cæſareo titulis accòmmodari : vt condi
ctioni indebitī, actioni mandati, actionibus empti, venditi,redhibitorij :
SS.CC. Macedoniano, & Velleiano : in quibus de ſcientia, & ignoran-
tia frequens diſtinctio . Sed iniurijs diſtinguendis , & expèndendis ne-
ceſſaria eſt in primis voluntarij , & inuiti notitia . Exiſtimauit quis ,
cum liberum hominem cæderet,ſe ſuum verberare ſeruum. num tenetur
actione iniuriarum ? negat Vlpianus l.illud.ff.de iniur. quod quæ igno-
ranter quis agit,minime volens egiſſe videtur. Idipſum præmijs tribuē-
dis conſiderandum eſt ; nam ijs tantum gratia debetur , qui volentes &
prudentes conferunt beneficia , non ijs,qui inuiti . igitur qui Iaſonem
Theſſalum aperta vomica,quam nullus ferro tangere audebat , ſanitati
reſtituit,cum vellet occidere : ſeruati Iaſonis laudem,aut præmium non
feret. nolens enim ſeruauit .

2 Iis enim quæ ab inuitis fiunt,&c.] ſcribit Ariſtoteles lib.1. Rethor.
crimina inferri quoque ab ignorante , & inuito . ſed crimina ibi ἐγκλή-
ματα ſunt, ea ſcilicet , quorum merito quis vocatur in iudicium ; non
ἀδικήματα , hoc eſt,quæ præter iuſtitiam geruntur .

3 Inuoluntarium à vi duplex eſt.] Voluntas cogi, & vim pati poteſt
in functionibus ab ipſa imperatis , vt ſunt ſedere , currere : quæ poſſunt
ab externa cauſſa impediri : non in ijs, quas ipſa elicit : cuiuſmodi eſt
velle. in hoc enim vim omnem ita excludit , vt potius voluntas eſſe deſi-
nit , quam vim pati queat,quod ea perimat volendi actum , & omnino
vt quis inuitus agat , fieri poteſt: vt inuitus velit,nullo modo poteſt .

4 Inuoluntarium pure & ſimpliciter à vi.] Tria ſunt hic notanda.
primum,motum naturalem illorum, quæ carent ſenſu, reſpondere actio-
ni ſpontaneæ illorum , quæ agunt per cognitionem . motum quoque vio-
lentum in illis exiſtentem, reſpondere actioni, quæ in iſtis ab inuito exi-
ſtit. & quemadmodum vis voluntati aduerſa efficit inuoluntarium:
ita vis naturæ oblata efficit quid violentum,& contra naturam . Alte-
rum eſt,vim agenti per cognitionem illatam,dici coactionem : illatam
vero agenti citra cognitionem,dici vim adhibitam . vt eleganter diſtin-
xit Durandus lib.2.ſent.diſt. 25.quæſt.4. quare lapis , vi ſurſum emiſ-
ſus,neque inuitus mouetur, neque coactus . Poſtremum : motum natu-
ralem ab aliquo principio exiſtente in eo, quod mouetur, cieri : vel ſi ab

aliquo

aliquo extra exiſtente ſit, illud nihilominus, quod motum recipit, conferre per propenſionem ad motum. motus itaq; ſeu inceſſus animalis naturalis eſt, & ſpontaneus: tum quia ſit ab appetitu animalis, vt habetur lib.8.phyſ. tex.27.& lib.7.phyſ.tex.10.tum quia illud, quod mouetur, confert ad motum; corpus enim animalis, qua pars illius, natura ſua quærit eiuſmodi motionem, etſi qua eſt ex elementis compactum ad infima perpetuo feratur. Motus cæli ab intelligentia eſt, extra cælum exiſtente: ſed non eſt violentus, ob propenſionem nobiliſſimi corporis ad illam conuerſionem. Alteratio demum, quam vocant, naturalis eſt reſpectu materiæ primæ, quæ omnem formam admittit; eadem à vi exiſtit, propter formam, quæ extruditur. nam forma aquæ reluctatur quãtum poteſt, ne à calore de ſede ſua deijciatur.

5 *Vel honeſti retinendi gratia.*] *ludos facit hic interpres Græcus, vt quæſtionem ab Ariſtotele propoſitam à vanitate atque futilitate vendicet. de hoc enim dubitari non debet, Num quæ honeſti gratia fiunt, ſponte fiant. quis enim non videat, ea geri à volentibus, per appetitionẽ ſcilicet à pulchri & honeſti ſpecie excitatam? ſed in re admodum perſpicua Philoſophi mentẽ ille non videtur aſſequutus. ſententia enim illius loci hæc eſt. Metus interdum infertur alicui, vt turpiter agat, conditione lata, vt ni honeſtatem deſerat, moriatur. ille mortem eligit, quam, ni vis inferretur, non fuiſſet ſubiturus: vt Socrates fecit. Dubitari poteſt hoc rerum ſtatu, num quæ metu turpitudinis, & ad retinendam honeſtatem fiunt, à volente, nec ne fiant. dubitatio igitur Ariſtotelis à metu incuſſo ducitur, nec inanis uidetur.*

6 *Sunt nihilominus ijs.*] *Gregor. Niſſenus lib.5. philoſophiæ cap.1. ait, in definitione violenti addi illud,* nihil conferente eo, quod patitur, *vt excludatur agens per metum. recte Paullus l.ſi mulier, §.penultimo, ff.de eo, quod metus cauſſa, inquit,* Si metu coactus adij hæreditatem, puto me hæredem effici; quia quamuis ſi liberum fuiſſet, noluiſſem, tamen coactus volui. *vnde manauit iuriſperitorum illud,* Coacta voluntas eſt voluntas. *D.Auguſtinus lib.4.quæſt.24.ad cap.15. Numerorum ait, Cum alicui mortis metus inijcitur, ni peieret, ſi peierauerit, eum non inuite feciſſe. vbi etiam concludit, non eſſe peccata nolentium, niſi neſcientium; vt habetur 15.q.1.cap.merito.*

7 *Quoniam quo tempore gerebantur.*] *vnumquodque ſimpliciter eſſe dicitur, eum, prout in ſe eſt, conſideratur. at ſi accipiatur prout eſt in cogitatione illius, qui agit, non ſimpliciter, ſed aliquo modo eſſe dicitur; puta in agentis phantaſia. quoniam igitur actiones, quæ à metu proficiſcuntur, in ſe ipſis ſumptæ, dum geruntur, voluntariæ ſunt: etſi ſpectata agentis, qui ni vrgeret metus, non faceret, cogitatione, ſunt ab inuito, iure nihilominus ſpontaneæ magis dicuntur, quam inuitæ.*

8 *Turpitudinem patiuntur*] *quæ ſcilicet animo maculam non inurat,*

ſed in corpore ſiſtat, vel ad breue tempus in exiſtimatione hominum perſeueret; vt ſi illud deformetur: hæc imminuatur.

9 *Vel res turpiſſimas.*] *ab hoc crimine Vlyſſes, atque Zopyrus liberantur, quod corporis deformatione vrbium expugnationes, & regnorum excidia fuerint moliti. At Senatores illi, qui, vt Neroni gratificarentur, ſeipſos per arenam fœdarunt, & gladiatoriam exercuerunt, non carent vituperatione. modici enim boni cauſſa, magno ſe ipſos dedecore polluerunt. Contra laudantur ij, qui ad fugiendam immaniſſimi principis offenſionem ſcænica eiuſdem ſtudia, & aurigationes, etſi non ſine rubore aliquo, ſpectarunt; & quaſi præſentia ſua comprobarunt. leuem enim paſſi dignitatis imminutionem, ac modica temporis facta iactura, ſeipſos neci ſubtraxerunt; cum capitale ceteris fuiſſet hyſtrionem illum cithara canentem non ſummis laudibus extuliſſe: vel theatrum tunc temporis vitaſſe: vel dormitanter, aut contracto ſupercilio interfuiſſe: vel numquã pro cæleſti voce immolaſſe; quæ à Thraſea Pæto vel ſpreta, vel non intellecta, interitum homini ceteroqui integerrimo crearunt.*

10 *Sunt enim fortaſſe nonnulla eiuſmodi.*] *ſcilicet, quæ ſunt ex genere ſuo mala, turpiaque; vt cædes, adulterium, & ſimilia. nec excuſantur metu mortis: quæ potius Lucretiæ ſubeunda fuiſſet, quam ſtuprator. quæ vero lege, non ſuapte natura mala ſunt, metu mortis cadente in virum conſtantem iniecto, admittuntur ſine culpa. qua de re plura petenda ſunt à Theologis, & Iuriſconſultis.*

11 *Dolon.*] *hic ab Hectore in Græcorum caſtra miſſus explorator, ab Vlyſſe ac Diomede deprehenſus, metu mortis, quam nihilominus non effugit, omnia ſuorum conſilia confeſtim illis aperuit. vnde Rheſi, aliorumq; Thracum cædes eſt conſequuta. Homerus Iliados lib.10. Quam conſtanter Longobardorum temporibus Geſualdus? Hic à Grimoaldo Rege ad Romualdum filium, Beneuenti à Conſtantinopolitano Imperatore obſeſſum, miſſus, illum cum copijs paulo poſt affuturum nunciaturus: captus ab hoſtibus, rem quidem omnem indicauit Græcis: forte vt metu aduentantis exercitus obſidionem ſoluerent: ceterum iuſſus ad muros accedere, ac Romualdo palã ſignificare, in patre, qui cum exercitu longe abeſſet, nullam ſuppetiarum ſpem haberi poſſe: morte inſuper ni faceret, indicta: recepit ſe facturum. at vbi ad muros perductus eſt, ac Romoaldum in conſpectu habuit, quanta maxima poterat vociferatione, illum monuit, ne ſe, vrbemue vllo modo dederet; quod pater cum valido exercitu prope caſtra poſuiſſet, cui pares Græci non eſſent. pro tãta fidei meritis id vnum ſe orare, vt vxoris natorumque, quos relinquebat, curam gereret. Nec mora. caput ei iuſſu Imperateris abſciſſum, & murali machina in vrbem coniectũ, quod Romualdus multis effuſis lachrymis ſæpeſæpius oſculatus, honorifico loco, ſummo honore condi iuſſit: vt Paulus Diaconus eſt auctor lib.8.*

12 *Omne quod per inſcientiam fit.*] *Adraſtus in venatione, ſpiculo in aprum emiſſo, Atym Crœſi filium intercepit, & occidit; doluitq; quantum de amici optime meriti interitu eum dolere par fuerat. nolens porrò necauit, & veniam apud Crœſum nactus eſt. Pallas apud Virgilium medium Rhœteum haſta transfixit, quam in Ilum direxerat; non occidit inuite, quia probauit necem: nec ſponte, alio enim deſtinauerat ictum. fecit igitur non ſponte.*

13 *Aliud enim eſt inſcientem agere, aliud per inſcientiam.*] *Agere per inſcientiam D. Thomas appellat ignorantiam antecedentem; agere inſcientem appellat ignorantiam concomitantem, & ſubſequentem. comitans eſt, cum quis ignorans facit: ſed poſtea probat factum; vt is qui lapide in canem coniecto, percuſſit nouercam. ſubſequens eſt, quæ ſtudioſe quæritur: quaſi ea adueniente obligatio recte agendi ſoluatur; quæ alio nomine dicitur affectata. huc ſpectat ignorantia ſupina, vbi quis ea ſcire contemnit, quæ ad munus ſuum pertinent; tum craſſa, cum quis ignorat, quæ communiter omnes norunt. talis eſt iuris communis inſcientia. Harum deterrima eſt, quæ affectata nominatur. ea enim monenti occludit aures. proxime ſupina accedit, cum ſcientiæ contemptu perpetuo coniuncta: non ab odio veritatis, ſed à tædio laboris. poſtremũ locum craſſa tenet, quæ à contemptu remota, iungitur graui ſocordiæ in iis cognoſcendis, quæ omnes noſſe debent. Ex his vna ignorantia antecedens reddit actum inuoluntarium, vt Ariſtoteles probat.*

14 *Ignorantia rerum vniuerſarum.*] *ignorantiam intellige illorum, quæ omnes ſcire debent: quam qui eligit, videtur omnia, quæ ipſam conſequi poſſunt, ſponte eligere. Ceterum ignorantia legum, quæ propria ſunt alicuius ciuitatis, excuſat peregrinos à culpa, donec probabile ſit, eos loci mores edoctos fuiſſe. Hoc ſe argumento Hannibal purgauit à crimine. Cum enim Senatorem contradicentem capitibus pacis, in medium progreſſus, de ſede detraxiſſet, ac reliqui ad facti nouitatem, & inſolentiam ſuccenſerent: ſibi ignoſcendum dixit: quod puer annorum nouem natiuo ſolo egreſſus, ac demum annorum quinque & quadraginta reuerſus, patriæ conſuetudines ignoraret.*

15 *Eiuſmodi autem ſunt quis fecerit.*] *Theologi octo enumerant factorum circumſtantias, Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando. ſub circumſtantia vero Quid ne dum effectus comprehenditur, verum etiam obiectum; hoc eſt, quod, & circa quod. vt notat S. Thomas 2.2. quæſt. 7. art. 1. Sed & illud aduertendum, cauſſam agentem, materiam & finem non eſſe circumſtantias actuum humanorum; ſed ratione aliquarum circumſtantiarum ipſis inhærentium ab Ariſtotele atque Theologis in hoc ordine collocari.*

16 *Quo enim pacto quis ſeipſum ignoret?*] *Cleomenes & Athemas ignorabant ſe ipſos: ſed ob furorem; vt Clemens ſcribit lib. 2. ſtromat.*

17 *Vbi moris eſt baſtis.*] *exercebantur telis orbiculatis quidem; ſed plerumque orbes excutiebantur; vt ſcribit idem Clemens eod. lib. 2.*

18 *Quod tamen Soſtratus prudens faciebat.*] *nobilis Pancratiſtes Sicyonius, cui cognomen fuit Acrocherſites, quod aduerſariorum ſummas manus tam fortiter apprehenderet, vt non prius eos dimitteret, quã eliſis digitis, dolore confectos intelligeret, vt refert Pauſanias in poſterioribus Eliacis. Verum id fuit præter palæſtræ leges.*

De proæreſi, vel electione. *Cap. II.*

DIſtinctis ijs, quæ ſponte, quæ ab inuito fiunt, ſequitur, vt de electióne dicamus. Virtus enim de qua nobis eſt inſtituta diſputatio, non eſt ſine electione; ab eaq́; magis, quam ab actionibus mores hominum diiudicari poſſunt; [1] *cum facta ab externis incurrentibus non ſemel impediantur: electio vero libera ſit, & ab omni impedimento ſecura. Quin etiam ſæpe doloſe agunt honeſta: vt qui modicum depoſitum reddunt, quo in maiore ſumma decipiant. Facta igitur non ſemper ſunt recta animorum indicia; at electiones ab animo prodeunt, certoque indicant eius affectiones.* Illud autem in primis aduertendum eſt, electionẽ ſubijci ſpontaneo, *vt ſpeciem generi:* latiusq́, hoc patere, quam illam. [2] pueri enim & cetera animantia ſponte agunt; at non eligunt. repentina quoque ipſi ſponte noſtra ſuſcipimus, non conſulto. quæcumque vero conſilio capto eligimus, ea ſponte eligimus. Qui autem dicunt electionem eſſe cupiditatem, aut iram, aut voluntatem, aut opinionem, minus recte loqui videntur. Non eſt cupiditas, vel iracundia, [3] quia hæ ſunt cões animantibus ratione vacuis; at electio eſt hominis propria. electionem deinde non eſſe cupiditatem continẽntis & incontinentis actiones arguunt. Incontinens enim agit cupiditate impulſus, *contra quàm decreuerat, vt eſt impotens animi;* continens vero agit ex electione, *pugnatq́; contrà cupiditatem.* ſunt igitur diuerſæ. Tertio, electioni, & conſilio cupiditas aduerſatur *natura ſua*, quia non permittit nos bonum capere conſilium: [4] vel ſemel fixum frangit, & euertit. at cupiditas non tollit natura ſua cupiditatem in vniuerſum, ſed aliquam. neque enim omnes cupiditates ita pugnant inuicẽ, vt cupiditas & conſilium. Quarto, cupiditas eſt rei iucundæ, cum dolore coniuncta. cum enim quis caret ea re, quam vehementer optat, non poteſt vacare dolore ob amatæ rei abſentiam; electio vero nec iucundi eſt, vel iniucundi: ſed boni vel mali: turpis vel honeſti; nec etiam habet ſuapte natura moleſtiam ſibi adiunctam. *poteſt enim aliena exiſtere ab omni affectione, in ſolo rationis iudicio poſita. Qui vero contrarium opinati ſunt, in eam*

forte

ſorte ſententiam idcirco venerunt, quod vtraque ſecum afferat appetitum in bonum. ſed etſi hoc verum ſit, nihilominus non proinde vnum efficiuntur; quandoquidem bonum eſt finis omnium animi facultatum, atque functionum. quapropter ſi id aliquid efficeret, ne dum electio, & cupiditas, verum cetera, quæ ab animo prodeunt, eſſent vnum. Multo minus ij ſunt audiendi, qui electionem iram quandam eſſe ſtatuunt; nam nihil videtur magis à ratione alienum, quam dicere, illa, quæ per iram fiunt, ex conſilio fieri; *cum illa huic non ſemel anteuertat, & reluctetur. quare ſi electio non eſt cupiditas, multo minus ira cenſebitur; cum ira magis ab electione recedat, quam cupiditas.* Nec eſt voluntas, etſi ei ſit valde finitima; *quæ porro naturæ affinitas facit, vt vna ſæpe pro alia ſumatur, vt cum dicimus, eligo agrum colere: volo agrum colere. ſed differunt natura.* electio enim non fertur in ea, quæ obtineri non poſſunt; & ſi quis de huiuſmodi rebus deliberet, demens videatur. [5] voluntas autem adhuc eorum eſt, quæ contingere nemini poſſunt; velut immortalitatis; *quale fuit Hectoris votum apud Homerum, Ne ſeneſceret, ſed immortalis perſeueraret.* Præterea voluntas ad ea pertinet, quæ facere, vel prohibere, nō eſt noſtri arbitrij: vt hyſtrionem de ſcæna, athletam de campo diſcedere ſuperiores. at nemo *nons excors* talium rerum conſilium ineat, nec, quæ non habet in poteſtate, eligat; ſed ea duntaxat, quæ à ſe ipſo effici poſſe arbitratur. Tertio, voluntas tendit in vltimum, atque finem; [6] electio vero in ea, quæ conducunt ad finem. nam ſanitatem volumus, nec de ea appetenda deliberamus; at media hæc potius, an illa ſint accipienda in deliberationem adducimus, eligimuſque; *inediam ſcilicet, an deambulationem, & ſimilia.* eadem ratione beati omnes eſſe volumus, ſed de beatitudine, ſit ne nobis in eius acquiſitionem incumbendum, an non, neque deliberamus; neque illam à nobis eligi dicere poſſumus. omnino enim deliberatio & electio ad eas res pertinent, quas liberū nobis eſt accipere, vel reiicere. *at beati omnes neceſſario eſſe volumus.* Demum electio non eſt opinio. ad omnia enim opinio pertinet, ſeu æterna illa ſint, & ab arbitrio noſtro remota: ſeu exiſtant in noſtra poteſtate, *& per momenta mutentur; vt de rerum principijs & natura; de adminiſtranda Repub.* at electio nec æternorum eſt, nec eorū, quæ à nobis præſtari non poſſunt. Præterea opinio circa verum, & falſum occupatur, iiſq; diuiditur, ac diſtinguitur; electio vero in bono potius & malo, tanquam in ſubiecta materia, verſatur. Quod ſi dicta ita corrigas: non omnem quidem opinionem in vniuerſum eſſe electionem, ſed aliquam: eam videlicet, quæ eſt de rebus in poteſtate noſtra repoſitis; hanc quoque perperam dictorum emendationem facile propulſabimus. facta enim electione bonorum, vel malorum cuiuſdammodi dicimur: boni ſcilicet, vel mali. at ab opina-

tione

tione nec boni,nec mali dicimur. *opinando enim fortitudinem eſſe laudabilem,nec ſumus,nec dicimur continuo fortes*. deinde, electio reſpicit functiones noſtras,vt ſequi, fugere; at opinio tangit res ipſas quid porrò ſint; *vt ſit ne hoc panis,an lapis*; cui conducat *Reipub. habenas ſuſcipere*, & quemadmodum *ſe gerere debeat*, ad quæ electio *vel nullius*, *vel aliquorum* non pertingit. Tertio, laudatur electio ob rectum, opinio propter verum: illa quod eius ſit, cuius eſſe debet, puta recti; hæc quod tangat verum; *at quorum diuerſæ ſunt perfectiones,ipſa quoque ſunt diuerſa*. Quarto,eligimus ea,quæ maxime nobis apparent bona; opinamur de ijs, quæ nobis non ſunt admodum perſpecta, vel explorata. *omni enim opinioni eſt adiuncta formido: ea ſublata,in habitum tranſit maioris certitudinis*. Poſtremo, ſi opinio & electio eſſent idem,qui vere de rebus opinantur; optima ſemper eligerent. at quidam bene opinantur; ſed ob vitium animi eligunt minus recte. *non enim deſunt, qui virtutis ſplendorem agnoſcentes, eamq; rerum omnium humanarum pulcherrimam opinantes, victi nihilominus cupiditate, vitia ſectantur, nec permanent in ſententia*. 7 An vero opinio electionem antecedat,an ſequatur,nihil refert ad præſens inſtitutum. Quid igitur tandem electio erit,quandoquidem nihil eſt eorum, quæ ſupra enumerauimus? 8 Porro eſt quid ſponte geſtum: addo præconſultatum. neque enim omne,quod ſponte fit,eſt ab electione: ſed id, de quo prius eſt conſultatum, ſub eam venit; quippe cum rationi,& cogitationi coniuncta ſit electio: *ſpontaneum vero inſit etiam illis,quæ carent ratione*. quamobrem id quod eligitur προαιρετὸν Græci dicunt, tanquam vnum ex multis,in deliberationem adductis,optabile præ ceteris, vel ſumendum. *Ad electionem igitur conſultatio primum requiritur: rationis opus; tum deliberatio,vel aſſenſus,& ipſe in ratione poſitus,ſeu mauis iudicium;poſtremo appetitio,quæ electionem ceu forma,perficit,& abſoluit*.

S C H O L I A.

1 CVm facta ab externis incurrentibus.] *ſimilem Plutarchus rationem reddidit,confirmaturus,ex dictis melius,quam ex rebus geſtis mores,& ingenia interdum dignoſci.*

2 Pueri enim & cetera.] *his adde iratos ebrios, & in agendo repentinos.*

3 Quia hæ ſunt communes.] *cupiditatem & iram in belluis eleganter depinxit Virgil.*

Ac veluti pleno lupus inſidiatus ouili
Cum fremit ad caulas,ventos perpeſſus & imbres
Nocte ſuper media: tuti ſub matribus agni
Balatum exercent; ille aſper & improbus ira
Sæuit in abſentes. collecta fatigat edendi

Ex lon-

Ex longo rabies,& ſiccæ ſanguine fauces.

4 *Vel ſemel fixum.*] *Dido cupiditati reluctatur diu, ſtatuitque caſtitatem tueri,*

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiſcat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras,
Pallentes vmbras Erebi,noctemq́; profundam;
Ante pudor quam te violem,aut tua iura reſoluam.

tandem impetu vincitur amoris,conſilio, quod ceperat de ſeruanda pudicitia,reluctantis.

5 *Voluntas autem adhuc eorum eſt &c.*] *voluntatem intellige non abſolutam, ſed cum conditione, quam velleitatem appellant, ſeu voluntatem conditionatam. nam qui ſimpliciter velit ea, quæ non ſunt in poteſtate ipſius, nullus reperietur, modo ſit compos mentis. Sed & ea deſiderare,quæ nobis contingere non poſſunt,vani atque futilis ingenij eſt.*

6 *Electio vero in ea.*] *electio poteſt eſſe finis non vltimi. hic enim vltimo collatus eſt vt medium. ita deliberamus de vitæ genere, quod ſit nobis ineundũ: ciuile,an potius à Reipub.cura remotum: & magis hoc eligimus,quam illud; tendimusq́. in ipſum omni conatu,quaſi in finem, ſed non vltimum. tandem enim hæc omnia vnius vltimi finis gratia facimus,puta felicitatis.*

7 *An vero opinio electionem antecedat.*] *vbi naturæ atque rationis ordinem ſequimur, opinio præcedit: electio ſubſequitur. opinio enim ſpectat ad vim intelligendi; electio ad vim appetendi. Sed interdum præit electio, ſequitur opinio: cum conuerſo,& perturbato naturæ, atq; rationis ordine,victi cupiditate,eligimus.poſt eadẽ impellẽte, illud ipsũ, quod elegimus,bonum eſſe opinamur: confirmamurq́; in ea ſententia, nos bene opinatos, appetitu blandiente quem in eligendo ſequuti ſumus.*

8 *Porro eſt quid ſponte geſtum.*] *ſponte geſtum eſt loco generis: præconſultatum,loco differentiæ. Hinc habeto,electionem non ineſſe ijs,quæ ratione carent.bruta enim ſponte agunt,ſine vlla conſultatione: ſoli appetitioni,iræ ſcilicet,vel cupiditati,obſequentia.*

De conſultatione, & ei ſubiecta materia.
Cap. III.

QVærendum nobis eſt,de quibus rebus homines conſultent; homines,inquam,non ſtolidi aut inſani, *(eſt enim placida, & lenis quædam ſtultitia in non paucis,de ijs,quæ nec ſua interſunt,nec ſunt in eorum poteſtate, conſultandi, atque deliberandi: quo vitio ſenes, & otioſi homines plerumq; laborant)* ſed compotes mentis,atque cordis. Igitur de rebus æternis nemo conſultat: vt de mundo, *& partibus*

eius immutandis: ac de linea dimetiente lateri non æquanda: *hæc enim ab omni æternitate firmata nullam mutationem ſuſcipiunt*. Nec de iis conſultamus, quæ cum perenni motione agantur in orbem, ſtatum ſeruant ordinem: ſeu neceſſitate *per motorem externum impoſita* id fiat, ſeu natura *orbium eiuſmodi conuerſiones poſcentium*, ſeu propter aliquam aliam cauſſam, cuiuſmodi ſunt Solis ortus, & conuerſiones: nec de iis, quæ alias aliter eueniunt, nihilq; habent ſtabilitatis, vt de ſiccitatibus, & imbribus; nec de iis quæ fortuito eueniunt: vt de Theſauri inuentione. *quam enim rationem de his deliberaturus potiſſimum ſequatur, quidue in rebus infirmiſſimis, & inconſtantiſſimis* eligat, vel reiiciat? Iſthæc porro in conſultationem, ſeu deliberationem non veniunt, quod non ſunt humana. *æterna enim & quæ neceſſario eueniunt, tum quæ nullum certum tuentur ordinem, fortuitaq; non ſunt humanis functionibus accommodata: cum homines operam in eas res conferant, ſtudeantq; ſe iis immiſcere, quæ æterna quidem nec ſunt; nec eundem perpetuo curſum ſeruant: at nihilominus vt plurimum contingunt*. Immo nec de omnibus quidem rebus humanis omnes conſultant. nemo enim Lacedæmoniorum conſultabit, qua ratione Scythæ ſuam Rempub. optime adminiſtrare poſſint. *id enim perficere, non eſt in eorum vllius poteſtate*. Quare, vt ſummatim dicam, conſultamus de iis, quæ ſub actionem cadunt, & ſunt in poteſtate noſtra. duo enim iſta ad conſultationem requiruntur; eaq; ceteris excluſis, illi ſunt reliqua. Nam cum omnium rerum quattuor poſſint cauſſæ aſsignari, natura, *quæ principium eſt agendi, & mouendi neceſſarium, & internum*: neceſſitas, *quæ externum*: fortuna, *quæ ex euentu cauſſa eſt eorum, quæ præter opinionem noſtram contingunt, & raro eueniunt*: idq; omne, quod per hominem agit, *puta ira, cupiditas, omniſq; appetitio*; cum conſultatio non ſit de iis, quæ per naturam, neceſſitatem, & fortunam fiunt: ſequitur, vt ſit de iis, quæ ab homine, ac per eius facultates confici poſſunt.

De iis autem, quæ ad exquiſitas, ac vi ſua contentas, certaſq; ſciẽtias, *vel artes* pertinent, nõ conſultamus, etſi opera noſtra fiãt: ceu de litteris, & characteribus. non.n. quomodo ſcribendũ ſit, ambigimus: quin id exploratũ habemus. at in iis, quæ à nobis fiunt, & non ſemper eodem modo eueniunt, vt quæ ſpectant ad medicinam, & ad pecuniæ quærendæ ſtudium, & facultatem gubernandi naues, eſt conſultationi locus: & quidem magis in hac poſtrema, quam in arte corporum exercendorum: quod *altera quidem rationem habeat cum impetu ventorum, atque tempeſtatibus, quæ mutantur in ſingula momenta*: altera vero in re certiore occupetur: nitaturq; præceptis magis exquiſitis, & enucleatis. eademq; via & regula ſtatuendum de ceteris. conſultationis enim idonea materia ſunt res dubiæ; *ac vbi plus eſt certitudinis*,

dinis, & firmitatis, ibi minus eſſe poteſt conſilij, & conſultationis. Quapropter magis ad ea, quæ ſunt artium, quam quæ ſcientiarum, conſultationem deducimus: quia in illis magis, quam in his ambigere ſolemus. ſed vbi tanta eſt euentuum inconſtantia, vt quæ expectantur, vel deſtinantur, raro contingant, ibi conſultatio non habet locū. perit enim, vel hæret humanum conſilium, vbi res plerumque ex ſententia cedere non poſſunt; idemq́; ſuperuacaneum & vanum eſt in ijs, quæ exitus habent certos, & definitos. *Conſultationem vero natura ſua tendere ad ea, quæ ipſi perficere poſſumus, argumento eſt*, quod vbi de rebus magnis deliberamus, proprijs diffiſi viribus, alios in conſilium adhibemus: quaſi ad eas diiudicandas ipſi minus idonei ſimus: ac nihilominus, quod nobis ad rem abſoluendā deeſt, ab amico habere poſſimus. Conſultamus autem non de finibus, ſed de ijs quæ valent ad conſequendum finem. neque enim medicus, an ſanaturus ſit, deliberat: vel orator, an perſuaſurus: vel vir ciuilis, an bonis legibus ciuitatem temperaturus: nec demum alij artifices de fine deliberant; ſed omnes, propoſito ſibi fine aliquo, quemadmodum, & quibus mediis eum aſſequi poſſint, inueſtigant, atque deliberant. *nam finis eſt principium quoddam recte agendi, in pectoribus noſtris firmiter inſitum*. quærunt ergo, qui conſultant, viam ad iſtum finem. quam ſi multiplicem vident, pluribusq́; modis id, quod volunt, confici poſſe, animaduertunt: quærunt ſecundo loco viam faciliorem, *breuiorem, ſecuriorem*, & omnino meliorem. hæc ſi vel ab initio vna apparuerit, vel poſt conſultationem innotuerit: quærunt tertio loco, qua via ad hanc perueniant: & quandoque quartam adhibent conſultationem, quo pacto ad iſtam nuper excogitatam propoſiti aſſequendi rationem peruadant, donec ad primam pertingant cauſſam, quæ vltima eſt inuentu: *operatione prima*. nam qui conſultat, inquirere, ac veluti deſcriptionem, ſeu theorema mathematicum retexere videtur ad ſua principia. *Ita qui bellum geſturus eſt, huiuſmodi inſtituet conſultationem; bellum ſine pecunia parari nequit; pecunia non eſt ad manus, nec cogi poteſt, niſi imperetur; igitur vectigalia, vel aliqua alia onera populo imponenda. impoſitio vectigalium inuentione vltima eſt; at in agendo prima. nam poſt deliberationem primum indicuntur vectigalia, tum pecunia conficitur, poſtremo, quod primum in deliberando erat, bellum paratur*. omnino enim quod retexenti vltimum eſt, id eſt texenti primum; *& quod huic primum, illi poſtremum*. Apparet hinc omnem conſultationem eſſe quæſtionem: non omnem quæſtionem eſſe conſultationem. nam quæſtiones mathematicæ, *& inueſtigationes rerum earum, quæ in contemplatione poſitæ ſunt, vel veritatem ſpectant*, non ſunt conſultationes: *cum non ſint de rebus in facultate inueſtigantis, exiſtentibus. quod adeo ad conſultationem vi-*

detur eſſe neceſſarium, vt ſi quid geſturi, in aliquid inciderimus, quod fieri nequeat, veluti ſi pecuniæ ad bellum expediendæ nulla ratio inueniri poſſit, ſtatim ab eo, quod moliebamur, deſiſtamus; ſin aliunde ſuppeditari poſſe videatur, tum ad agendum aggrediamur. Fieri autem poſſe dicuntur ea, quæ noſtra opera confici poſſunt: noſtra inquam: nam quæ per amicos fiunt, per nos ipſos quodammodo fieri videntur; principium enim *amicos mouendi* in nobis eſt; *quare nos quodammodo in ijs agere videmur*. Quærimus autem aliquando, & conſultamus, quæ potiſſimum inſtrumenta ſint adhibenda; tum quo pacto ijs vtendum; & cuius opera; & interdum quomodo, aut qua via res confici poſſit; *vt equitatu ne, an peditatu præſtet hoſtem aggredi; & ſi peditatu res agenda ſit, vti eum inſtrui expediat; & cuius ductu regendus; & qua via deducendus, quò hoſtis profligetur. Tribus itaque terminis conſultatio clauditur; agente, materia, & medijs, vel inſtrumentis. finis autem agentis appellatione continetur. nemo enim conſultat non ſibi aliquo propoſito fine*. Quod ſi conſultat homo: nec de rebus, quæ non ſunt in poteſtate deliberantis, conſultatio inſtituitur, ſequitur hominem actionum ſuarum eſſe cauſſam, & principium; *nec illas à fato, vel neceſſitate pendere*. Adhuc, cum actiones aliarum rerum cauſſa ſuſcipiantur, puta gratia finis: & conſultemus de actionibus, & functionibus: ſequitur, de mediis, ac de ijs, quæ ad finem pertinent, nõ de ipſo fine, conſultationem iniri. Demum de rebus ſingularibus, quæ ſenſu iudicantur, non conſultamus; verbi gratia, an hoc, quod præ manibus habemus, ſit panis: vel an ſit ita piſtus, vt oportet. ſi enim velimus omnia, quæ etiam ſenſui ſunt ſubiecta, in conſultationem, & quęſtionem vocare, & rebus clare cognitis, atque perceptis ab aliis fidem aſtruere, res abibit in infinitum. c

Idem vero eſt illud de quo conſultamus, quodq; poſt conſultationem eligimus; ſed alia atque alia ratione. quod enim in conſultationem adducitur, atque diſcutitur, indeciſum, & indefinitum eſt; quod autem eligitur, fixum & definitum. *electio enim aduenit facta deliberatione*; quodq; conſultatione adhibita, reliquis præpoſitum eſt, id eſt, de quo conſilium captum eſt. Idem vero illud eſſe, de quo conſultatur, quodq; eligitur, hinc maxime liquet: quod tunc demum deliberare, & quemadmodum ſit acturus, quærere deſinit, cum in ſemetipſum eius initium facti, atque ad ſui partem, quæ dux eſt, & princeps, & quæ conſilium capit, (puta mentem,) deduxerit: *hoc eſt, vbi rei regendæ facultatem in ſua eſſe poteſtate per ea, quæ acceptauit, media concluſerit. qui enim eo rem deduxit, iam inuenit, quod accurate inueſtigabat*. hoc ipſum à ſimili, ex priſcis Reipub. formis, quas Homerus imitatur, deducto, confirmari poteſt. Nam quibus de rebus Reges conſilium ceperant, quaſue elegerant, eas populo renunciabant,

bant; *vt confirmarentur. Reges enim conſultatrici animæ parti, populus vero appetitui comparantur. nam vt illi populorum domini ſunt, ita mens in nobis principatum tenet. vbi igitur mens deliberauerit, conſiliumq; firmauerit, appetitui, quaſi populo decretum communicat; quod vbi ille probauerit, electio ſubſequuta cenſetur.* Cum igitur quod electioni reliquum eſt, ſit quiddam, de quo deliberatum fuit, & in quod ex ijs potiſſimum, quæ ſunt noſtri arbitrij, appetitus fertur; [2] ſequitur electionem eſſe appetitionem eorum, quæ in noſtra ſunt poteſtate, à deliberatione profectam. nam poſteaquàm conſultatione adhibita iudicium de re fecimus, tum demum iuxta habitam deliberationem conuenienter appetimus; *hac autem appetitio electio eſt.*

SCHOLIA.

1 *IDem vero eſt illud de quo conſultamus.] idem porro ſunt, ſi materiale obiectum, vt aiunt, ſeu materiam remotam intueamur electionis, & formalem, ſeu proximã deliberationis. formalia vero obiecta, ſeu materiæ proximæ ſunt diuerſæ. nam eligimus vnũ ex ijs, de quibus conſultabamus; igitur materia proxima conſultationis eſt propoſitio dubia, de hac, vel illa re formata; electionis vero eſt iudicium intelligentiæ, aſſerentis hoc eſſe illi præferendum. in hoc enim cadit electio: in propoſitionem dubiam conſultatio. Materia demum proximã deliberationis, remota electionis eſt* bonum, contingens, ſitum in poteſtate noſtra; arduum, quæſitum ob finem. Bonum: *quia bonum omnia appetunt:* contingens: *quoniam de ijs, quæ aliter fieri non poſſunt, non eſt conſultatio:* ſitum in noſtra poteſtate: *alias enim eſſet vecors quædam conſultatio; ideoq; non conſultamus de fortuitis, quod eorum euentus, vti omnino dubius, à nobis non pendeat; ſed à temeritate fortunæ; qua ratione illa quoque excludimus, quæ ſunt alieni arbitrij, quod à nobis nequeant impediri.* arduum: *quia de leuibus vel facillimis, & notiſſimis vt plurimum deliberat nemo.* quæſitum propter finem: *nam de fine non eſt deliberatio, ſeu conſultatio. hoc integrum eſt conſultationis obiectum; quod, ſi ceteris reiectis à deliberante retineatur, fit obiectum electionis. Conueniunt autem duo iſta obiecta in tribus. nam vtrumque bonum eſt; vtrumq; non de fine, ſed de ijs quæ ſunt ad finem; vtrumque contingens, poſitum in poteſtate noſtra. Differunt in tribus. primum electio eſt actus voluntatis, ſeu appetitionis: deliberatio, & conſultatio intelligentiæ. deinde obiectũ conſultationis eſt dubium: idcirco enim in diſceptationem adducitur: electionis vero certum, à quo ambiguitas omnis depulſa ſit. poſtremo de materia conſultationi ſubiecta quærimus, quid agendum; de obiecto electionis nihil quærimus, ſed illud accipimus abſque vlla dubitatione.*

2 *Sequitur electionem eſſe appetionem.] colligito hinc electionem eſſe à voluntate; vt deliberatio eſt à ratione. ordo vero deliberandi & eli-*

gendi eiuſmodi eſt. dubitat mens, quid agendum: & inquirit varias ad finem perueniendi vias; poſt ex multis vnã retinet. hic ſiſtit ratio & deliberatio; nec poſitum limitem egreditur. his ita diſpoſitis & ſyllogiſmo concluſo, conſurgit voluntas vel appetitus; & concluſionem à ratione firmatam eligit, arripitque. Quod ſi quis contra obijciat, Eiuſdem facultatis eſſe ſyllogizare, atque concludere: quòd concluſio virtute ſit in ijs, ex quibus infertur: ac proinde electionem, cum ſit concluſio deliberationis, ſpectare ad eandem facultatem, cuius eſt deliberare; hac autem ratio eſt; Reſpondebo breuiter, concluſionem ſyllogiſmi practici non eſſe electionem, cum electio extra ſyllogiſmum exiſtat, ſed ſententiã; quare Ariſtoteles 6. Ethic. ait electionem eſſe quaſi concluſionem deliberationis. *dictio* quaſi *nota eſt impropria loquutionis. ſequitur autem electio ipſam deliberationis concluſionem; quare illius quaſi concluſio dici poteſt.*

An voluntas feratur in verum bonum, an in id, quod apparet bonum. Cap. IIII.

SEd quoniam voluntatem in vltimum, ſeu finem ferri, diximus, *fines vero alij ſunt, alij apparent boni*, videndum hoc loco nobis eſt, num voluntas ſit eius, quod bonum eſt, an eius, quod cum non ſit tale, apparet bonum. Ijs autem, qui tantùm ſub voluntatem cadere dicunt verum bonum, euenit, vt fateri cogantur id, quod vult is, qui minus recte eligit, non cadere ſub voluntatem: cum ſit malum. Eorum autem ſententia, qui, quod à voluntate appetitur, ſpecie tantum bonum eſſe affirmant, non natura: nihil erit, quod natura ſua ſub voluntatem cadat: ſed quod cuique videbitur, *ac prout videbitur*, appetetur. Atqui aliud alij videtur; ac forte contraria de re eadem à diuerſis fient iudicia. *mel enim iucundum eſt ſano, & valenti: ægroto autem inſuaue. num igitur ob diuerſa iudicia mel vna erit iucundum, & inſuaue?* Quod ſi hæc minus probanda ſunt: dicendum eſt, vere & abſolute ſub voluntatem cadere verum bonum: ſed ſub huius, vel illius voluntatem cadere id, quod ſpeciem habeat boni. *fertur enim voluntas natura ſua in id quod eſt verum bonum: ſed vbi fuerit corruptum iudicium, in id, quod videtur, & apparet illi bonum.* quare vir bonus cum non agatur perturbationibus, id volet, quod re vera bonum eſt: vitioſus autem quicquid ſors obtulerit; perinde ac corporibus bene conſtitutis ſalubria ſunt ea, quæ re vera talia ſunt: morboſis vero, & ægris alia. quæ ſenſus diuerſitas in amaris, dulcibus: calidis, frigidis: grauibus leuibus; ac ceteris quoque reperitur, cum vnuſquiſque ex habitu, quo eſt conformatus, proprio

ſenſu,

ſenſu, honeſta ſibi fingat, & iucunda. Omnino igitur vere de ſingulis rebus iudicat vir bonus; & ei ſtatim quicquid in quaqne re veri eſt, elucet; eoq́ ipſo forte præſtat longe ceteris, quod veritatis quaſi norma quædam ſit, & menſura. Multitudini autem voluptas imponit; quippe quæ cum bonum non ſit, boni ſpeciem præſeferat; efficiatq́ue, vt illa iucundum ſequatur, vti bonum: dolorem fugiat, vti malum. *verum decipitur. nam nec omne iucundum bonum eſt: nec omne moleſtum malum.*

In poteſtate noſtra poſitum eſſe, vt boni, vel mali ſimus. Cap. V.

CVm igitur finis ſit voluntatis, & in eam cadat: & quæ adhuc ſunt ad finem, in conſultationem & electionem veniant: conſequens eſt, vt actiones, quæ tam in fine ipſo, quam in ijs, quæ ad finem ſpectant, vertuntur, tum electioni conſentaneæ ſint, vtque illa monſtrat, & ſuadet, ita fiant: tum etiam ſponte obeantur. *diximus enim electionem eſſe appetitionem à deliberatione profectam*. Functiones vero, & munera virtutum verſantur circa ea, quæ volumus: de quibus conſultamus: quæ eligimus. igitur & illæ ſponte obeuntur. *at per eaſdem boni vel mali efficimur: induimusq́; tum virtutum, tum vitiorum habitus. ſequitur itaque virtutes pariter, & vitia eſſe in noſtra poteſtate, atque in nobis ſitum eſſe fieri, & eſſe bonos, vel malos. quod etſi luculenter in ſuperioribus ſermonibus demonſtratum fuit: non ab re tamen erit, alia de nouo in eandem ſententiam adducere, nouisq́; ſagittis aduerſarios transfodere. Primum itaque ita concluſum ſit ex proxime annotatis. Virtutũ, vitiorumq́; functiones cadunt in deliberationẽ; ergo ſunt noſtri arbitrij. de eiuſmodi enim rebus inſtituitur conſultatio.* Deinde. Quas res agere ſitum eſt in noſtra manu, earundẽ non agendarum facultatẽ habemus: & rurſum contra, quæ poſſumus non agere, poſſumus agere. *nam omnis potentia eſt contradictionis, vt lib. 1. de cælo traditur. porro quod agere eſt honeſtũ, id non agere, turpe eſt: & quod non agere honeſtum eſt, id agere eſt turpe*. igitur ſi in manu noſtra eſt agere honeſte, erit etiam turpiter agere: & ſi turpiter agere poſſumus, bene & honeſte agere noſtri erit arbitrij. *nam dum honeſta, quæ facere poſſumus, non facimus: turpiter facimus. & dum à turpibus, quibus abſtinere poſſumus, abſtinemus: honeſte facimus. at ex iſtorum poſitionibus honeſta agere eſt in poteſtate noſtra; igitur honeſta non agere, & quod idem eſt, turpia admittere, in nobis erit.* nihil vero aliud eſt bonos fieri, quam honeſte agere: & malos fieri, quam turpiter agere; noſtri ergo fuerit arbitrij bonos eſſe vel malos.

Tertio

Tertio, quod vulgo fertur, [1] *Neminem ſponte malum eſſe, nec inuite beatum*, poſteriore quidem parte verum eſt: priore falſum. Nam vt nemo non volens, ac lubens eſt beatus: ita vitioſitas ſponte noſtra contrahitur: alioqui vocanda in dubium erunt, quæ nuper ſunt deciſa, & firmata, negandumq́; fuerit hominem functionum ſuarum, quaſi liberorum, eſſe principium, & parentem. Quod nihilominus cum verum ſit, *omneſq́; mortales perſuaſum habeant, ſe functiones producere viribus proprijs, vt propria facultate liberos gignunt*: nec functiones hominis ad alia capita, principiaue, quam ea, quæ in homine ſunt, reuocari queant: ſequitur, vt quarum rerum principia in nobis inſunt, eædem in nobis, noſtraq́; poteſtate ſitæ ſint, ac ſponte noſtra ſuſcipiantur. Quarto ſuadetur hoc ipſum teſtimonio tum publico, tum priuato. qui enim leges condunt, flagitioſos caſtigant, ſupplicioq́; afficiunt, [2] ſi modo non vi adacti, vel ab ignoratione, quam ipſi ſibi non ſua culpa pepererint, res flagitioſas improbaſq́; admiſerint. eos vero qui res præclaras gerunt, honoribus & præmiis ornant: quaſi hos ad bene agendum impulſuri, illos à ſcelere prohibituri. atqui ſi bene vel male agere non eſſet noſtri arbitrij, quis hunc laborem ſuſciperet ad honeſta nos inuitandi, auocandi à turpibus? an non ridiculus euadat non minus, quam ſi, ne vel calcamus in æſtu, vel ne pulſati ſectiue doleamus, vel ne inedia confecti eſuriamus, perſuadere conetur? hortantis enim & ſuadentis oratio ea non tollit. Quinto probatur ex inſtitutis eorundem, qui Reſpub. adminiſtrant. cum enim in delicta per ignorantes admiſſa inquirunt, eos tantum pœna plectunt, qui ſibi cauſſa ignorationis extitere. [3] quare in ebrios duplicem ſanxere pœnam, ſi quid in temulentia deliquiſſent: *alteram quidem, quod ſe vino obruerint: alteram, quod in ebrietate deliquerint; cuius ſeueritatis auctor Pittacus fuiſſe videtur; ea motus ratione*, quod ſitum in ipſis erat, ne ebrij fierent. quare etſi ebrietas inſcientiam illis confecerit: cum nihilominus in eorum poteſtate fuerit ebrietatem arcere: videntur certe in ebrietate ignorantiam acceptaſſe. horum enim principium in ipſis erat. Animaduertunt quoque in eos, qui, quæ legibus continentur, & ſcitu facilia ſunt, quæque eos ſcire oportet, ob negligentiam ignorant. licebat enim ipſis non ignorare, ſibiq́; vt diligentiam ad ea perdiſcenda adhiberent, imperare. *quare licebat etiam non peccare*. Quod ſi quis iſtorum inſcientiæ culpam à ſe depelli putet, ſi affirmet, laborem ſe ferre non poſſe, qui diſcendis ijs, quæ legibus continentur, percipitur: intelligat, ſe grauiter reprehendendum eſſe: cum ipſe cauſſam ſuſtineat, cur talis extiterit, molliter viuendo, iniuſte, ac intemperanter agendo, opera in improba facta collata. quales enim ſunt actiones noſtræ, tales nos efficiunt. quare vt illi, qui præſtare in re

aliqua ceteris volunt, in ea ſeſe continuo exercent; ita qui bonum habitum acquirere deſiderãt, in bonis ſe actionibus exercere debẽt: abſtinere ab improbis. Ignorare igitur ex ſtudijs, & actionibus repetitis tales gigni habitus, quales ipſæ ſunt actiones, & ſtudia, hominis eſt fere ſenſu carentis. Demum, [4] *qui vult cauſſam, ex qua non ignorat oriri aliquem effectum, vult etiam illum effectum*: at quiſque nouit eum, qui aſſueſcit iniuſte agere, fieri iniuſtum; igitur qui eligit iniuſte agere, eligit habitum iniuſtitiæ contrahere. Subijcietur itaque vitio ſponte ſua, & ſua culpa non bene aget. Sed etſi volens, & lubens iniuſtus redditus ſit, [5] non ideo, ſi velit, deſinat *illico* eſſe iniuſtus: & fiat iuſtus. nam nec æger quidem, etſi volens, & ſua culpa in morbum incidit, puta vitam colendo intemperantem, ideo cum voluerit, morbum à ſe depellere poteſt, & pro libito conualeſcere. & quidem initio integrum ei erat non ægrotare. poſteaquam vero ſe ipſe effudit: ſpretisq; medicorum conſilijs omnem ſalutis curam abiecit: non poteſt euitare, quin morbo laboret; quemadmodum is, qui lapidem miſſum fecit, eum ad ſe amplius reuocare nequit: etſi ab initio eius fuiſſet arbitrij, non dimittere. principium enim dimittendi in ipſo eſt. Sic iniuſto, & intemperanti homini licebat ab initio non eſſe talibus. idcirco ſua voluntate tales ſunt. at poſt habitus contractos non eſt fas eis exuere vitium, vitæq; illi inquinatæ atque flagitioſæ termino fixo, quaſi conuerſo gradu, fieri ſtudioſum, & ad meliorem frugem redire. Sexto, vitia & virtutes eſſe in poteſtate noſtra ex eo probatur, quod vitia corporis in ijs damnamus, qui ſponte contraxerunt, prætermiſſis videlicet exercitationibus corporis, & valetudinis abiecta cura; [6] eos vero, qui ſunt natura deformes, non increpamus. Nemo etiam cæcitatem ei, qui vel natura, vel morbo, [7] vel ictu aliquo cæcus ſit, (*honeſto, ſcilicet accepto vulnere*) probri loco obijciat: quin eius miſereatur potius. illum vero qui ex ebrioſitate, aut aliqua alia intemperantia cæcitatem contraxerit, nemo eſt, qui non reprehenſione dignum iudicet. Quæ igitur corporis vitia ſunt in poteſtate noſtra, quibusque volentes ſubijcimur, ea reprehenduntur: quæ non ſunt arbitrij noſtri, non reprehenduntur. Quod ſi in vitiis corporis ita ſe res habet, cur in ceteris quoque rebus omnibus, quæ reprehenduntur, vitia non erunt in noſtra poteſtate? *Nulla igitur excuſatio ab humano appetitu deducta peccantes à culpa liberat. quibus explicatis operepretium eſt, aliam quoque defenſionem demoliri, & euertere, quæ ab intelligentia, ſeu ratione hominis petita, pro ijſdem poſſet afferri*. Neque enim forte deſint, qui dicant, omnes quidem appetere id, quod videtur bonum; [8] verum non eſſe viſionẽ in vniuſcuiuſque poteſtate ſitam, ſed qualis quiſque ſit moribus & ingenio, talem ei finem apparere pro diuerſitate morum, & ingenij.

poſſit-

poſſitq́; iſta defenſio ratione non inualida confirmari. appetitus enim
animalis formam ſequitur apprehenſam: perinde ac appetitus natura-
lis formam ſequitur natura inhærentem. apprehenſio vero eſt imagina-
tionis opus, cuius domini non ſumus. quin cum imaginatio, & phanta-
ſia uariæ ſint pro uarietate temperaturarũ, egregie concludi videtur, id,
quod vni apparet bonum, alteri cuipiam non apparere bonum. Ceterum
vtraque defenſio ex aduerſariorum manibus facile extorquetur. Vt
enim quiſque hac ratione ſibi artifex eſt habituum, ita viſionis, &
phantaſiæ ſibi auctor erit: efficietq́ue, vt hoc bonum, illud malum
videatur. *Tot agitati fractiq́; machinis aduerſarij, non vidētur ceſſuri.*
opponent enim obijcientq́ue, neminē eſſe ſibi cauſſam improbe faciē-
di; cum oēs appetant bonũ: ſed peccari ab ignoratione finis apud re-
putātes, voluptuoſæ vitæ genere ſe maximo bono potituros: nec poſſe
eos imperare ſibi, vt hoc, vel illud magis ſibi bonũ appareat, cũ appe-
titionē finis nemo ſibi arbitratu ſuo adoptare poſſit, ſed id à natura
proficiſcatur; quæ *vt hominem gignit oculorum acie præditum ad co-*
lores diſtinguendos: ſic eundem procreat inſtructum acie mentis, qua
recte iudicare, ac id, quod vere bonum eſt, ſumere poſſit: *vtque in-*
terdum fallit in oculorum ceterorumque membrorum fabricatione: ſic
etiam ipſa mente conſtituenda, & ad verum inſpiciendum formanda,
non ſemel deficit. Dicentur autem illi bene à natura informati, hi
minus bene; eritq́; iſta praua hominis conſtitutio: illa naturæ con-
ſentanea, commodaq́ue. rem enim maximam, & pulcherrimam,
quamque ab alio accipere, aut diſcere nullo modo licet, talem quiſ-
que habet, qualis ei innata, vel à natura indita eſt; quæ ſi pulchre &
concinne compoſita fuerit, perfecta erit naturæ bonitas. *ſed tantum*
bonum non omnibus natura largitur; quare cum ex praua natura
conſtitutione aberrent à vero, atque bono, non ſunt dicendi eſſe ſibi au-
ctores improbe faciendi. Verum ſi hæc, vt retulimus, vera ſunt, cur
magis virtus, quam vitium ſponte ſuſcipitur? probo enim & impro-
bo finis datus eſt à natura, vel alio modo; & quales ipſi ſunt à natura
conformati, talia eis viſa contingunt. ſi igitur verum bonum ſpon-
te accipitur, cur non & fallax bonũ à volente accipietur; cum vtrum-
que quaſi vere bonum à natura ingeratur? Siue igitur ponas finem
non eiuſmodi eſſe, qualis vnicuiq; ob naturæ affectionem videtur:
ſed re ipſa, etiam penes eum, qui agit, eſſe, & apparere bonum, vel ma
lum natura ſua; ſiue adhuc ponas fines tales eſſe, quales vnicuique à
naturæ ſuæ integritate vel corruptione videntur, & apparent: modo
tamen concedas, virum bonum reliquas res ſuas ſponte agere, virtu-
temq́; ab eo ſponte ſuſcipi: nihilominus vitium quoque à volente
contrahi fateare neceſſe eſt. æque enim in homine malo, atque pro-
bo id ineſt, vt per ſe agere valeat: etiam ſi minus ei inſit, vt finem per

ſe di-

ſe diſpicere ſine labe poſſit. Cur enim dicunt hi virtutem ſponte ſuſcipi? porro quia propenſionem illam ad bonum, natura nobis inditam adiuuamus,augemusq́; functionibus noſtris. at hoc ipſum, dum vitia ſectamur,præſtamus: & quidem maiore conatu, atque contentione, quam dum virtutes perſequimur; *vitium igitur non minus, quam virtus, ſponte ſuſcipietur*. Ac de virtutibus quidem vniuerſe à nobis dictum eſt; earumq́; genus rudi quadam imagine depictum; nempe eſſe mediocritates,& habitus,qui valent ſimiles ijs, per quas ipſi geniti ſunt, functiones explicare: eſſeq́; in nobis ſitos, ac ſponte noſtra ſuſcipi,& ad recte rationis normam eſſe præſcriptos. Monendi tamen ſumus, non æque ſponte noſtra habitus & actiones ſuſcipi. actionum enim ab initio ad extremum domini ſumus: poſſumusq́ue, quamuis non parum in ipſis tractandis proceſſerimus,mutato conſilio referre pedem. intelligimus enim, diſpicimusq́ue partes omnes actionis, quæ,cum ſubiaceat ſenſui, fallere non poteſt. Habituum vero principium duntaxat eſt in noſtra poteſtate; eorum enim acceſſio nō ſentitur,vt in morbis corporis euenit. ſentimus enim actiones,quæ ſunt morborum cauſſæ,puta eas,quæ ab intemperantia proficiſcuntur; at augeri morbum non ita animaduertimus. quam ob cauſſam virtutum quoque additamenta,& progreſſiones latent. Habitus vero iam geniti dicuntur noſtra ſponte ſuſcepti; quoniam eramus primæui ortus ipſorum domini,licebatq́; nobis ita,vel aliter res tractare ſingulares.

Iam igitur, his explicatis, de ſingulis virtutibus diſputationem à capite repetitam ordiamur; & quæ illæ ſint,& qualibus in rebus verſentur;& quomodo, aperiamus; quæ,*ſcilicet quo ad ſubſtantiā*, qualibus in rebus verſentur, *ideſt,circa quales affectiones, & actiones occupentur*, quomodo, *hoc eſt,an medium, quod eligunt, magis recedat ab exuperantia,an à defectu.* Eodem vero negotio quot numero ſint,planum fiet. [10] ac primum de fortitudine.

SCHOLIA.

1 NEminem ſponte malum eſſe.] vſurparunt dictum hoc Epicharmus in Hercule furente: tum Timæus apud Platonem. additurque in 9.de leg.omnino malos omnes eſſe inuite malos.

2 Si modo non vi adacti.] Galenus, lib. quod mores animi ſequuntur corporis temperaturam, argumenta pro libertate hominis ab ea, quæ in facinoroſos homines exercetur, ſeueritate deſumpta nullius cenſet eſſe roboris; quaſi leges eos puniant,non quod à maleficio potuerint abſtinere: ſed quod ſint ſuapte natura praui. expedit enim eiuſmodi improbitatem è medio tolli: perinde ac viperas,& phalangia,quæ necamus: nec excuſamus,quamuis natura,& neceſſitate ſint,non electione praua,mortiferaque. Ceterum iſtud Galeni commentum euertitur facile hoc Ariſtote-

ſtotelis argumento. Legumlatores non animaduertunt in eos,qui per vim,aut per ignorantiam non ſua culpa contractam,delinquunt: ſed in eos, qui peccant volentes & lubentes; homines igitur nefarij non addicuntur morti quaſi natura mali; ſed quia, cum licuiſſet, noluerunt non eſſe mali. addo iſtos homines, ſi eſſent natura mali, ſine iniuria & iniquitate à Repub occidi non poſſe; cum non ſit domina vitæ,atque membrorum; nec aliud in eos ius habeat,quàm vtendi,fruendique. cernere hoc eſt in ijs,qui peſtilentia,vel morbo contagioſo ſunt infecti. quis enim neget hos eſſe Reipub. noxios? nihilominus non occiduntur, ſatisq. habemus eos in remota,abditaq; amandatos,conuictu integrorum,congreſſuq; arcere. at Reſpub.necat,punitue omnem morum improbitatem; ſponte igitur ea contrahitur,non à neceſſitate naturæ.

3 *Quare in ebrios.] Qui non ſua culpa in mentis incidit alienationem, ne dum in eo non peccat;verum, ſi quæ,de mente deiectus,admittit à ratione aliena, excuſatur. nam ea perturbatio non habet principium voluntarium; quæ igitur eam ſequuntur,non ſunt culpæ obnoxia. quamobrem Loth, ſi arte aliqua vel fraude temulentus factus eſt: neque per temulentiam peccauit,neque per ſtuprum conſequutū;vt diuus Eucherus,ſeu Beda,in Geneſ. teſtatur. ſin ſua culpa, dum indulget poculis,in ebrietatem incidit: peccauit intemperantiæ vitio: vt aſſerunt Origenes hom.4.in Geneſ. & D.Auguſtinus lib.22.contra Fauſtum; cap.44. Sed hoc poſito errato,num adhuc ſtupri per temulentiam patrati Loth damnari debeat,quæri poteſt; & in vniuerſum dubitare licet: an quis,dùm ſua culpa non eſt compos mentis, ſi quid perperam facit, ſit nouæ culpæ affinis,diſtinctæ à priori: ac noua pœna plectendus cenſeatur. Et quidem pro indubitato ſtatuendum,eiuſmodi hominem, ſi eo conſilio ſeſe temeto obruat, vt quaſi ab ea ignoratione iuſtam nanciſcatur defenſionē, ſi pro libidine improbe fecerit, duplici pœna multandum; ebrietatis videlicet, & delictorum in ebrietate patratorum; cum ſit culpa duplex: vel vna gerens vices duarum: & qui mente ſana de ſceleribus in temulentia committendis deliberauerit,re ſubſequuta,nihil ab eo differat,qui ſciens, & volens fecit. Sin à temeto nil præter ipſum temetum requirebat,eo caſu delicta bifariam erunt diſtinguenda. nam alia vt plurimū ſequuntur ebrietatem, & quamcumque mentis alienationem huius vel illius; & quiſque exiſtimare poteſt,ſe,ſi de mente deijciatur,vel ebrius fiat,ea patraturum. vt in Clerico diuinarum precum: in milite cuſtodiæ, ſtationis, vigiliarum omiſſio; in Iudice iniquitas ſententiæ: hæc enim eiuſmodi temulentis pro diuerſitate ſtatus, & conditionis ſunt familiaria,& affinia, & vltra ebrietatem punienda: quaſi in ſuo principio animaduerſa,& volita: atque adeo in illa compotatione recepta. hanc puto mentem fuiſſe Ariſtotelis, Pittaci ſententiam comprobantis. eiuſmodi vero multa,donec abeſt contemptus, mitior, leuiorq; infligenda,*

da, quam quæ in eadem crimina citra mentis alienationem admiſſa ſtatueretur: & , vt ſemel dicam, extraordinaria. nam à voluntate diminuta, & quo tempore peccabatur, minime libera profecta ſunt; fieriq́; poterat, vt non admitteret, ſi tunc ratione vti potuiſſet. Alia ſunt delicta, quæ alienationi mentis, & ebrietati non admodum frequenter comitantur: vt illatio ſtupri; cædes: & ſi quæ ſunt alia, ad quæ furioſi, ac temulenti laceſſiti magis, ac prouocati deſcendunt, quam per ſe ipſi. ob iſta vero nemo eſt noua pœna plectendus, quandoquidē qui ſic peccat, eſt vt patiens, ac proinde voluntarium excludit. augenda nihilominus eo rerum ſtatu ebrietatis pœna: vt & ipſa ebrietatis turpitudo à delictis conſequutis facta eſt deformior. eaque videtur fuiſſe D. Auguſtini ſententia, qui ait, Loth culpandum eſſe quantum ebrietas meretur, non quantū ſtuprum. Origenes quoque Loth à ſtupro excuſat, non ab ebrietate: demum Eucherus ſcribit, eundem, ſi quid peccauit, ebrietate tantum, non ſtupro peccaſſe.

4 *Qui vult cauſſam ex qua non ignorat.*] *porro qui eligit cauſſam, eligit quoque effectum illi neceſſario connexum: non ſimpliciter & per ſe, ſed propter aliud. nam qui deambulare vult ad ſolem, nollet colorari; ſed quia non poteſt id efficere, ni coloretur, eligit quoque colorari, quod per ſe non elegiſſet. quare vulgatæ illi regulæ,* Qui vult antecedens, vult etiam conſequens, *erit addendum,* vt habeat antecedens.

5 *Non ideo, ſi velit, deſinat illico eſſe iniuſtus.*] *hunc Ariſtotelis locum vel de ſumme difficili exponas, quod moraliter loquendo, impoſſibile dicitur: non metaphyſice. Eſt enim conſuetudo altera natura, quam deponere perarduum eſt.* Frangas citius, quam corrigas ea, quæ in prauum induruerunt, *ait Fabius. vel addas particulam, illico, vt nos fecimus. neque enim poteſt habitus prauus breuiſſimo tempore ab animo deteri. Quid ſi addiderim, veriſſimum eſſe dictum iſtud Ariſtotelis: ſi humanæ vires citra Dei fauorem, & opem, conſiderentur. ſed Ariſtotelis alius fuit ſenſus. Ceterum non paucos ab improbitate ad bonam redire frugem, quotidie videmus. Catulum, & Scipionem, vt Latinus Pacatus ait, aliquantiſper ſibi luxuria vindicauit: eosq́; licet in melius immutatos ad portum reuexerint flatus: diù tamen vitiorum turbo iactauit, & naufragos, atque fluctuantes ab illis, quibus merſabantur erroribus, ægre ætas recepit. Simile quiddam de Q. Fabio Maximo à pleriſq; traditur. Sed libet hoc loco argutijs agere, atque veritati apertiſſimæ nubes quaſdam offundere, quas nihilominus ipſa per ſeſe, ceu ſol ſplendidiſſimus, facile conficiat, & abſumat. Quod eſt imperfectum, non poteſt ſe ipſum ad formam perfectam reducere, nec quod corruptum eſt, ſeipſum integritati priſtinæ reſtituere; quemadmodum qui eſt in potentia, non poteſt vi ſua tranſire ad babitum, vt oculus à cæcitate ad vim videndi ſe ipſum traducere; at vitioſus eſt imperfectum quid, atq;*

corrruptum; qui ergo per ſe ad virtutem regredi, boniſq́; habitibus, prauis eiectis, indui poterit? Sed aduertendum, omne illud, in quo ineſt principium agendi, & patiendi, poſſe à ſe ipſo reduci de potentia ad actũ. quare ſi concedimus elementa lo:ali motu cieri per propriam formam, commode tuebimur eadem de ſua natura dimota, (aquam verbi gratia calefactam, vel aërem infrigidatum) ſe ipſis reſtitui ad primæuum, & connaturalem ſtatum. In homine porro ineſt agendi principium, puta mens, & appetitus ratione præditus: tum etiam principium patiendi, puta inferior appetitus aptus obedire rationi; ex his actio ſequitur, atque ſui in priſtinum reſtitutio. falſa igitur maior illa argumentationis propoſitio apparet; maxime cum ea nobis hoc adimat: ne quis ſe ipſo doctore vti poſſit, & magiſtro. atqui tranſitus ab ignorantia ad ſcientiam, quidquid ad illum conferat magiſter, nobis maxime debetur; ipſi enim nos de potentia, ſeu priuatione traducimus ad habitum; quod mens diſcentis gerat agentis vicem, vt natura: magiſter vero ſit, vt qui vulneri applicat medicamenta, & omnino extra actionem exiſtat.

6 Eos vero qui ſunt natura deformes.] hoc & Protagoras affirmauit apud Platonem. Et quamuis Homerus Deos inducat riſu excipientes Vulcanum claudicantem, riſus tamen ille non culpam teſtatur, ſed rem deformem ioco, non increpatione, dignam. Certe apud eundem Iuno, huic ipſi Vulcano blandiens, claudum appellat: κυλλοποδίωνα; nec veretur ne ſtomachum ei faciat; quaſi perſuaſum ſit omnibus neque bona, neque mala corporis ad laudem, vel vituperationem magni referre. idq́; perpetuo ferè cuſtoditum à Poëta; apud quem Vlyſſes Therſitæ neque caluitiũ exprobrat, neque gibbum, neque claudicationem, ſed immodicam & intempeſtiuam loquacitatem. Actius quoque in Philoctete, quem Vlyſſi aſſentantem inducit, qui nihilominus eum ſtaturæ breuis, paruaq́; preditum forma eſſe, diceret. Porro vitia corporis abſque culpa contracta de dignitate habentis nihil detrahunt. cui ſententiæ atteſtantur viri excellentes non pauci, maxime vero Ageſilaus altero pede claudus, & Philopoemen Achæus, vir toto corpore deformis: ſed antiquis ducibus omni virtute par: quẽ Græcia quaſi cordum in ſenectute editum, miro affectu amplexa, ſummis honoribus decorauit.

7 Vel ictu aliquo cæcus.] vt Lycurgus, cui à petulantiſſimo Lacone oculus fuſte excuſſus: nulla percuſſi culpa. Philippus in expugnatione Methones vrbis Magneſiæ oculum amiſit, ob quam deformitatem, ſupra omnes formas pulcherrimã & venuſtiſſimã magnifice aliquãdo ab acerbiſſimo hoſte Demoſthene Oratore laudatus eſt. his ex antiquitate Annibalẽ, & è proximo ſuperiore ſeculo Fridericũ Feltrium Vrbini Regulũ, licet adiungere. quorũ prior vi frigorũ, dum iter per paludes Etruriæ facit: poſterior in ſpectaculis equeſtribus ab ictu cuſpidis, altero amiſſo oculo, honeſtiſſimam ore maieſtatis pleno deformitatem prætulerunt.

9 Ve-

8 *Verum non eſſe viſionem.*] *Viſa, quæ in phantaſiam hominis incurrunt, non voluntatis ſunt, neque arbitrij, ſed vi quadam ſua ſe inferunt. aſſenſus vero, & dijudicationes, quibus eadem viſa diſcernuntur, voluntriè, ac pro hominis arbitratu fiunt. propterea Epictetus ait apud Gelliũ lib. 19. cap. 1. cum ſonus aliquis formidabilis factus eſt, vel quid terribile obijcitur, ſapientis quoque animus pauliſper commouetur: motibus illis rapidis & inconſultis officium mentis, atque rationis præuertentibus. mox tamen ea ſapiens non approbat, ſed abijcit, reſpuitque. hæc Epictetus. Vt igitur viſa non ſint in poteſtate hominis: at certe deliberatio & aſſenſus, ipſæque humanæ functiones à libera voluntate promanant.*

9 *Ita viſionis & phantaſiæ.*] *naſcitur aliquando phantaſia ex habitu: eaq; in poteſtate noſtra eſt, vt habitus: interdum oritur ex affectionibus naturæ neceſſarijs, morbis, & ſimilibus. tunc vero nullo modo eſt arbitrij noſtri eam repellere.*

10 *Ac primum de fortitudine.*] *de hac primum eſt agendum, quia verſatur circa maxime laudabile: amplectiturq; quod maxime virtutis eſt proprium: tolerantiam videlicet laborum, & moleſtiarum. Longe enim difficilius eſſe dixit Ariſtoteles, laborioſa & dura perferre, quam à voluptatibus abſtinere. adhuc in periculis maxime prodeſt reipublicæ, vt Sanctus Ambroſ. notat lib. 1. off. cap. 35. hac igitur ratione ceteris anteponenda. Ceterum prudentia præponitur, qua perficit mentem, & rationem, nobiliſſimam hominis partem. Eandem ſibi prærogatiuam iuſtitia vendicat, vt præeſt rebus humanis, & pacem tuetur. Ariſtot. 1. Rhet. cap. 9. ait, iuſtos & fortes maxime amari, quia in bello, & in pace ſunt vtiles.*

De fortitudine. quid ea ſit, & quæ illi ſubiecta materia. Cap. VI.

1 FOrtitudo eſt 2 mediocritas inter metum, & confidentiam: ſeu inter formidinem, & fiduciam. *in his enim vt in materia proxima occupatur. pericula vero, & labores, ceu materiam remotam, tractat. nam vir fortis timorem pellendo, cohibendo audaciam, attingit facta laboris, & periculi plena: atque in his ita ſe gerit, vt neque timeat, quæ non ſunt timenda: neque ea ſpernat, à quibus cauere oportet.* Sed, cum timor eorum ſit, quæ exterrent, quæque vno verbo mala ſunt, (3 quare metum definiunt mali exſpectationem) & proinde ea omnia metuamus, quæ ſunt mala, vt infamiam, paupertatem, morbum, vitam ſine amicis, mortem: porrò non in his omnibus contemnendis vir for-

vir fortis occupatur. *quare non omnis metus eſt ſubiecta materia fortitudinis*. Quædam enim timere honeſtum eſt: non timere turpe: vt infamiam; quam qui metuit, verecundus eſt & pudens: qui contemnit, inuerecundus, & impudens. *ex quo apparet infamiam non eſſe ex eo malorum genere, quæ ſubijciuntur fortitudini*. Sed inuerecundus à nonnullis, trans lato verbo, fortis appellatur, quòd habeat quiddã forti ſimile: *cum timoris vacuitatem præſeferat, & intrepido ſe ſimilem oſtendat*. à metu enim vacuus eſt etiam vir fortis; [4] *qui nihilominus infamiam, vel culpa ſua contractam, vel qua opinione mortalium iure aſpergeretur, pertimeſcet: nec paruifaciet; quia vir fortis non eſt inuerecundus*. [5] paupertatem vero fortaſſe metuere non oportet, neque morbum, neque demum ea omnia, quæ à vitio non exiſtunt: vel noſtra culpa non contrahuntur. Verum nec is, qui paupertate, morbo, alijſq; eius generis malis tolerandis magno ſe animo gerit, cõtinuo fortis eſt, niſi per ſimilitudinem; *quia ſcilicet in his metu caret*. id autem ex eo comprobatur; quod plerique in conflictu, ceteriſq; belli diſcriminibus pauidi & meticuloſi cum ſint, liberalitatem nihilominus retinent, & in pecunia effundenda fidenti, ac præſenti ſunt animo. *liberales hi dicantur: non fortes. neque enim vir fortis migrat è campo fortitudinis, à quo iſta magnopere diſtant*. Eandem ob cauſſam qui timet, ne contumelia in liberos, vel vxorem cadat: vel inuidiam, aliudq; huius generis malum pertimeſcit, non eſt timidus vel meticuloſus. Et qui, gnarus ſe mox flagellis cædendum, non timet, fortis non ideo dicetur: *vt ſerui faciunt, & fecit Liber pater apud Ariſtophanem in Ranis. hæc enim non ſunt adeo natura ſua terribilia, vt uiri fortis animũ explorare, ac probare poſſint. Quis igitur proprius eſt viri fortis campus?* maximum terribile. nemo enim ad ſuſtinendas res atroces eſt viro forti paratior. quare ad maxime aſpera, horribiliaq; feretur. [6] eiuſmodi mors eſt: omnium horribilium maximum: quia & extremum; *extremum inquam:* nam nihil reliquum eſſe mortuo videtur, neque bonum, neque malum. *quippe homo per mortem eſſe deſinit; idcirco mors omnia ſuperat terribilia: quia aufert quod homini eſt optatiſſimum: & in quo præſens voluptas omnis vertitur*. Verſatur ergo vir fortis in contemnenda morte: at non in omnis generis morte; vt ſi vel in mari naufragio pereat, vel morbo abſumatur. [7] *Stomachatur enim fluctibus opprimi, cum illi non liceat contra ventos, & procellas vti virtute ſua; & mors eiuſmodi iumenta non diſtinguat à viris fortibus. quare Thieſtes apud Ennium optat, vt Atreus frater naufragio pereat; quod talis interitus inglorius eſt, & magno doloris ſenſui coniunctus. idem fuit Vlyſſis mœror apud Homerum, mortem illam ſibi à tempeſtate imminentem, ignobilem appellantis, atque triſtem. Idem iudicij de morte à morbo, vel viliſſimo*

animali,

animali, vel omnino vbi fortitudinis explicandæ locus non datur, inducta facit vir fortis. quare homines bellicoſi, & innutriti armis ægreferunt, ſi lecto immoriuntur. quo Epaminundas nomine virum quendam ſtrenuum reprehendit: quem melius cenſuit in caſtris (tunc enim ad Leuctra pugnabatur) moriturũ. [8] *Ariſtides Locrenſis muſtellæ Tarteſiæ morſu ad mortem properans, dixit: acerbiſſimum caſum ſibi minus grauem futurum, ſi à leone, vel pardali obtigiſſet. Demum* [9] *Callicrates, cum Medorum, & Græcorum hinc inde ſtetiſſent acies, ſagitta ab hoſte temere emiſſa transfixus, queſtus eſt, non quod in conſpectu totius Græciæ moreretur: ſed quod ante mortem ſibi manu vti, non licuiſſet.*

Quod nam igitur mortis genus virum fortem explorat? nonne id, quod pulcherrimum eſt, & dignitatis plenum? tale illud eſt, quod in bello oppetitur. per maxima enim pericula pulchram, & honeſtam petunt mortẽ. [10] Nam duo illa habet: periculũ maximũ, & facti pulchritudinẽ, atq; dignitatem. His, quæ diximus, fidẽ faciunt honores ij, qui à liberis ciuitatibus, ac Regibus haberi ſolent ijs, qui in bello cecidere: [11] *imagines inquã, & ſtatuæ claris in locis erectæ: eorumdẽq; laudes à diſertis uiris oratione celebratæ.* Eſt igitur vir fortis, qui mortẽ honeſtã, & cuncta quę mortẽ minantur, ac vicina ſunt, ſuſtinet intrepidus: *nec ijs vitandis maculæ aliquid accipit.* mortẽ autẽ, & pericula eiuſmodi, & fortitudinis exercendæ occaſiones, frequenter in bellis nanciſcimur. In naufragio vero, & morbis impauidũ quidem ſe præbere debet, & à metu vacuum; *etſi non inde laudem fortitudinis, quæ maiora requirit, conſequatur. ſed non affectabit mortem ab vndis, vel à tabe inductam, niſi in illis ſufferendis honeſtas aliqua inſit: ſed euitabit potius, vti inutilem.* Vacuus etiam à metu erit: non vt nautæ, & qui in mari viuunt; hos enim tempeſtatum & nandi vſus ſecuros reddit, vel bene ſperare iubet. *quid igitur mirum ſi homines animi cetera abiectiſſimi in graui diſcrimine confidunt?* fortis vero, deſperata ſalute in naufragio, non tam morte dolet, quam quod illo mortis genere extinguatur; & ſpe omni ſalutis amiſſa, non timet: idq; ab animi celſitudine habet, non ab arte aliqua vel peritia, qua confidat, ex eo ſe periculo euaſurum. amat autem ſe intrepidum præſtare in ijs rebus, in quibus aut viribus opus eſt, & locus datur roboris effundendi: *vt in conflictu:* aut certe honeſtum eſt excedere de vita: & emori glorioſum: *vt à Tyranno ob libertatis, & patriæ defenſionem occidi.*

SCHOLIA.

1 FOrtitudo.] Triplex eſt fortitudinis acceptio: vel enim pro robore corporis ſumitur: qua ratione virtus corporis, non animi, dicitur: vt ſanitas: vel pro firmitate animi: qua ratione conditio eſt omnis virtutis. nam 2.eth.cap.4. ſcribitur, firmitatem in virtute requiri. vel demum pro firmitate animi vſurpatur grauibus periculis ſuſtinendis; at-

que ita

que ita virtus eſt particularis, de qua ſermonem inſtituimus. vtramque animi fortitudinem coniunxit D. Ambroſ. lib. 1. off. cap. 39. Non mediocris animi eſt fortitudo, quæ ſola defendit ornamenta virtutum omnium, & iudicia cuſtodit, & quæ inexpugnabili prælio contra vitia decertat: inuicta ad labores: fortis ad pericula: rigidior aduerſus voluptates: auaritiam fugat tanquam labem quandam, quæ virtutem effœminat. *Plato in Lachete fortitudinem ponit in voluptatibus frænandis: nimis large fortitudinis vocabulo vſus. Græce ἀνδρία dicitur, quia maſcula virtus eſt, & virorum propria.*

2 Mediocritas.] Si infiniti non eſt medium accipere: timor vero & audacia extendi poſſunt in infinitum; qua ratione fortitudo media erit inter illa? Sed & infiniti non dari medium, falſum eſt: nam infinitæ lineæ quamcumque partem ſumpſeris, medium tenes: &, (quod magis propoſitæ difficultati per propria ſatisfacit) virtus non metitur mediū à diſtantia extremorum, ſed à regula rationis; ad quam vna quæque virtus reſpiciens, medium inuenit certum, & definitum.

3 Quare metum definiunt.] Nempe Socrates in Protagora.

4 Qui nihilominus infamiam.] infamiam quæ ſine culpa aduenit, & facile dilui poteſt, timere, ſtulti hominis eſt. Quare Socrates in ſcæna taxatus ridebat: Polyagrus vero ſe ipſum ſtrangulabat, vt Aelianus refert, variæ hiſtor. lib. 5.

5 Paupertatem vero fortaſſe.] additum fortaſſe; *quia vitare paupertatem licet, non timere. nec igitur ſummo odio proſequenda; Deam licet nimis inuiſam Euripides appellet: cui nullum ſit in tanta ſacrarum ædium copia tectum excitatum: ne ſaltim ſub dio laboret. odium certe, atque timor paupertatis animum arguunt abiectum, ſordidumque: ac in omnem turpitudinem proiectum. cuius criminis nepotem Pollionis arguit Cornelius annalium lib. 13.* Paupertatem præcipuum malorum credebat. *& Ludouicus Arioſtus de Caupone, qui filiæ virginis pudicitiam uenalem habebat* E nemico mortal di pouertade.
Non poterat falſe, ac belle magis utriuſque animus, ad omnis turpitudinis patientiam promptus, deſcribi.

6 Eiuſmodi mors eſt.] Virtus non conſiſtit in extremo; at mors extremum quid eſt; non igitur eam eliget uir fortis. Ceterum admonuimus non ſemel: extremum in uirtute, ac uitio attendi iuxta receſſum à recta ratione: non à medio ipſius rei, circa quam uir fortis, ſe gerit. mortem uero ſubire ratione ſuadente, medium eſt inter audaciam temere ſe periculis obijcientem: & timorem ab honeſtis reuocantem.

7 Stomachabatur enim fluctibus opprimi.] quod & Achilles facit apud Homerum Iliad. 21.

caufa æquior eſſet,
Si fortis fortem interimat, nam mortis honeſtæ...

Impia

Impia fata adimunt ſolatia. ſcilicet iſthoc
Obruar in fluuio, ceu natus patre ſubulco,
Quem torrentis hyems ignota condat arena.

Et apud Virgilium Aeneas optat. in Iliacis campis Tydidis manu occubuiſſe, quàm mari mergi; quo loco Seruius ait, animam, quod ignea ſit, mortem in aquis, ceu in elemento contrario, horrere.

8 *Ariſtides.] refert Aelianus var. hiſtor. lib. 2. lt.*

9 *Callicrates.] Hiſtoriam ſcribit Herodot. lib. vlt.*

10 *Duo enim illa habet.] Plato in Mœnexeno.* mori in bello pulchrum. *Virgilius.*

Corpora bello
Obiectant, pulchramq́; petunt per vulnera mortem.

11 *Imagines inquam & ſtatuæ.] noſtrô æuo eiuſmodi honores à rebuspublicis frequenter habentur ijs, quorum egregia opera in bellis vſa ſunt: Monarchæ abſtinent: alijſq́; præmijs virtutem honorant.*

De terribilium diuerſitate, atque extremis fortitudinis. Cap. VII.

TErribilia vero non eadem ſunt omnibus; nec omnia ſingulis terrorem incutiunt; *ſed vt quiſque animo affectus eſt, ita timet: auarus iacturam, ambitioſus imminutionem fauoris popularis: voluptuoſus moleſtiam: viuendi cupidus mortem: amans rei amatæ damnũ, vel amiſſionem.* Eſt vero aliquid terribile, quod omnibus, qui ſanæ mentis ſunt, terrorem inijcit, & hominis conſtantiam ſuperat: vt fulmina, eluuiones, incendia, tectorum ruinæ, hiatus terræ. hæc etiam vir fortis timeat, vitetq́; ſine vlla labe exiſtimationis. Alia ſunt terribilia, quæ non excedunt vires humanas; differunt nihilominus inter ſe, tum magnitudine, *& paruitate*: tum quod *vicinitate atque longinquitate* magis vel minus continent periculi; quæ diſtinctio in ijs quoque locum habet, quæ animum nobis addunt, fidereq́; iubent aduentantibus malis. *alia enim magis faciunt animum, alia minus; præſenſq́; auxilium ſubleuat magis, quam longe poſitum.* Aduerſus hæc mala impauidum ſe vir fortis præſtabit: ſed vt homo: *quantum ſcilicet mortale ſuffert ingenium.* poterit ergo eadem timere, quantum decet, & ratio ſuadet, ac præſcribit honeſtas, quæ finis eſt virtutis. *in magno enim vitæ periculo, & horribili præſentis mortis aſpectu* [1] *tãtiſper commoueri, vel palleſcere; ſi tandem ea cum dignitate perferantur: non adimit laudem viri fortis.* Peccatur vero in hoc genere, ſi. quæ non ſunt formidoloſa, proinde ac ſi talia eſſent, formidentur: vel magis, aut minus, quam ratio dictet, formidentur. *à quo fonte multi*

promanant riui. nam metuendo peccamus primo, cum timemus, quæ timere non oportet; *vt Cleombrotus metuens inuidiam, & Ephororũ iudicium, cum Epaminonda temere conflixit, & ſuperatus eſt*. deinde, metuendo plus quam decet: *vt qui Ioue tonante ſub lectulo latebras quærebat*. tertio, metuendo quo tempore non oportet: *vt qui ante conflictum ferociſſimi cum eſſent, atque contra militarem diſciplinam cum hoſte confligendum obſtinatiſſime contenderent, poſtea præſente commoti periculo, meliusque re cognita, timent: ac manus conſerere recuſant. at vbi ventum fuerat ad manus, etiam ſi vitæ iactura faciunda fuiſſet, non erat timendum. cuius leuitatis innumera adduci poſſent exempla*. Iiſdem modis peccatur plus confidendo, quam decet. *Addo, peccari etiam metuendo cuius cauſſa non decet; vt ciuitates, quæ, ne vaſtentur agri, turpem faciunt deditionem; tum etiam nimis audendo cuius cauſſa non decet: vt Alexander: qui, quod leonem ſolus eſſet aggreſſus, a Spartanorum legatis carptus eſt: quaſi temerarius: cum nec pro dignitate, nec pro vtilitate aliqua periculoſam illam pugnam Rex maximus iniſſet.* Qui igitur ea, quæ oportet, & cuius rei cauſſa oportet, & vt oportet, *& quo tempore oportet*, perfert, ac metuit, itemque confidit, fortis eſt*: vna iſtarum conditionum ſi deſit, in vitio eſt; & ſe viri fortis appellatione ſpoliat*. nam pro rei dignitate, & quo tempore par eſt, & vt ratio poſtulat, ille patitur, & agit. quod inde apparet: quia omnis actionis finis eſt id, quod habitui conuenit: ſed habitui fortitudinis conuenit honeſtas; [a] ergo honeſtas eſt finis actionis, à fortitudine manantis. pro honeſtate igitur agit vir fortis. vnum quicque autem ſuo fine terminatur & perficitur. *Vitiatur itaque fortis viri actio, ſi deſit finis honeſtus. Idem vitij contrahitur, ſi nec tempus, nec ratio in periculis obeundis ſpectetur; ſed ea temere ſolo finis honeſti intuitu obeantur. omnis enim virtus in agendo rationem ſequitur ducem: quod ni fiat, migrat virtus in vitium*.

Generatim vero peccatur in hac rerum ſerie, vel modum ſuperando, vel deſerendo. Qui modum ſuperat audendo, vel id facit, quod vacuus eſt à timore: hic vero nomine caret: ſed appelletur inſanus, vel indolens, atque adeo incapax omnis doloris. eiuſmodi Gallos ferunt eſſe, qui neque terræmotus metuant, neque fluctus obuios vitare fas viro forti ducant; *hi porro malorum vim, quibus ſe obijciunt, non intelligunt; ideo non metuunt: Talis forte Salmoneus ille fuit, qui cadentibus fulminibus, æneũ excelſum pontem, adhunc vſum à ſe fabricatum, conſcendebat, & ipſe fulmina in Iouem emiſſurus; Tales etiam Thraces, qui Iouem tonantem ſagittis petebant:* Vel modum audendo quis ſuperat, non quod ſit ignarus diſcriminis: verum quod ei ſe ſuperiorem futurum ſperat. hic audax appelletur. audax vero adhuc arrogans, & glorioſus eſſe, ſibiq; fortis viri laudem ſumere videtur;

& qualis

& qualis ille eſt in terribilium perpeſſione, talem ſe affectat venditare; fortitudinis ſpeciem ſibi affigendo; & quibuſcumque rebus poteſt, illum imitando. ceterum timorem non ſemper hi exuunt: ac ipſorum plerique metum retinent cum audacia coniunctum; ſuntque θρασύδειλοι; hoc eſt, in audacia meticuloſi. nam cum periculis longe poſitis ſe glorioſe iactent, audaciamq; oſtentent: vbi ea ſubeunda ſunt, non audent ſuſcipere, neque poſſunt perpeti. *quod ſi ſuſcipiunt, & proſequuntur, à pudore id eſt, vel mentis leuitate. Paris cum Menelao temere congreſſus, mox, imbellis homo, terga dedit. Sapienter Archidamus filium, in hoſtes audacter nimis inuehentem, monuit: vt vel viribus adderet, vel animis adimeret. hactenus de exceſſu fortitudinis; nunc de defectu agamus.* Qui metuendo modum ſuperat, & in fidendo modum deſerit, ignauus timidusque nominatur; peccat vero, vel quod metuit, quæ non ſunt metuenda; *vt Nicias eclypſim lunæ:* vel quod metuit, quomodo non ſunt metuenda, *plus ſcilicet quam oportet, vel vbi, & quando non oportet.* ſed quāuis timidus deficiat in audendo: ſuperet in timendo; magis tamen ſe indicat, & prodit, qualis ſit, dum triſtia, moleſtaq; formidat: quam dum minus confidit in ijs, quæ faciunt animum. *exuperantia enim magis percipitur, quam defectus. timere vero, & non confidere diuerſa ſunt. Non confidit, qui non audet ſe periculis exponere; timet, qui animo deiecto eſt, doloreq; afficitur ab exſpectatione malorum. hoc magis timiditatem prodit, quia ſuperat diffidentiam ſui. ideo timidus dignoſcitur magis, dum in metu ſuperat, quam dum deficit in audacia. Diuerſa igitur de ingenio viri timidi ſtatuenda ſunt ab ingenio viri fortis.* timidus enim ab omni fere ſpe derelictus, vix boni quicquam ſperare poteſt, cum omnia pertimeſcat. *timor uero ſpem excludit: immo cauſſa eſt deſperationis.* contra vir fortis, *vt è regione opponitur timido*, ſic bene de ſe ſperat. confidit igitur. eſt enim hominis bene ſperantis, confidere. In ijſdem igitur rebus audax, fortis, timidusque verſantur. ſed fortis mediocritatem tuetur, ſeq; in ijs vt debet, gerit; ceteri modum tranſeunt, deſeruntque. Sciendum vero eſt, audaces eſſe præproperos, ac temere ſe in pericula dedere. &, cum ante pericula arderent cupiditate ſe in illa conijciendi: vbi tandem eadem obeunda ſunt, frigeſcere, atque mutare ſententiam: nec impendentium malorum ferre conſpectum. Contra viri fortes in factis ipſis acres, vehementesque ſe præbent, [3] cum ante facta ſedato, tranquilloq; animo eſſent. commoda igitur fortitudinis hæc erit definitio: mediocritas in ijs, quæ vel animum addunt, vel terrorem incutiūt, retenta, dignitatis tuendæ, vel turpitudinis vitandæ cauſſa. *quæ porro definitio fortitudinis materiam, formam, atque finem complectitur.* [4] Qui autem ad vitanda

incommoda, doloresq; vehementiores, vt paupertatem, amorem, morbum, ſe ipſos vita ſpoliant, 5 ignaui ſunt, non fortes. mollis enim animi eſt, res ærumnoſas, & laborioſas fugere. nec iſtius interemptionis finis honeſtas eſt: verum fuga mali. *Hercules cum interfecta uxore, atque natis: magnitudine doloris uictus, de uita deſerenda cogitaret: tandem ad ſe reuerſus, mutauit conſilium: ueritus, ne, ſi lucem ſponte deſeruiſſet, ignauiæ argueretur: quaſi impar dolori. ita enim ille apud Euripid. loquitur.*

Conſideraui autem quamquam in malis poſitus,
Ne ignauiæ cuiuſdam arguar, relinquens lucem.
Calamitatibus enim quiſquis non reſiſtit,
Ne uiri quidem telum poſſit ſuſtinere.
Vera igitur fortitudo eiuſmodi quædam res eſt.

S C H O L I A.

1 T*Antiſper commoueri uel pallescere.*] *obſeruauit hoc Iacobus Cardinalis Sadoletus, ubi de Curtio ad terræ diſceſſum horribilem conſtituto, ita canit.*

Ille autem, (nam fata premunt, longasq; recuſant
Ferre moras) coram vacuum progreſſus in æquor:
Vt ſtetit abrupto titubatæ in margine ripæ
Pallidus, inque atram deiecit lumina noctem,
Rettulit os rurſum cælo &c.

2 *Ergo honeſtas eſt finis &c.*] *aliud honeſtum eſt finis fortitudinis: aliud temperantiæ: aliud alius uirtutis. nemo igitur acquiret fortitudinis laudem, eo quod temperanter ſe gerat: nec temperantiæ nomine laudabitur, ſi fortiter faciat. omnis enim habitus à fine ſibi peculiari definitur, & perficitur.*

3 *Cum ante facta ſedato, tranquilloq; animo eſſent.*] *ab hac opinione mos fluxit Græcorum, ſilentio pugnam ineundi; de quibus Homerus Iliad. 10.*

Verum parte alia tacitis ingreſſibus ibat,
Viribus atque animis Danaorum inſtructa caterua.
Et alibi. dux hortabatur euntes
Quiſque ſuos. illi nullo clamore ſubibant;
Vt tantum populi numerum ſine voce ſequentis,
Voce carere putes. *Et infra.*
At Troiani, ſicut oues, quæ plena frequentes
Diuitis in ſtabulis mulgentibus vbera præbent,
Agnorum clamantque audita voce balantum,
Troica ſic magno reſonabant caſtra tumultu.
Et Iliados 3.
At Troiana Phalanx ingenti fuſa tumultu

Cum magno ſonitu ſimul & clamore ruebat;
Non ſecus ac volucres, quæ cum clangore per auras
Inſtantes fugiunt imbres; nam frigidus annus
Vrget, & Oceani tranſmittere cærula cogit
Aequora: Pygmæis cædes, ac bella ferentes.

ante tempus enim inclamare, leuis animi eſt. Sed in hiſtorijs reperire ſæpe eſt Romanos, manus conſerturos, clamorem tollere conſueſſe; ac Romanorum ſequutus morem Virgilius,

clamorem ad ſydera tollunt
Dardanidæ e muris.

Noſtræ quoque acies vociferatione vtuntur ſub pugnæ initium. Hiſpani ex antiqua gentis diſciplina S. Iacobum ingeminant: Galli Dionyſium, vel Ludouicum: Itali ſuum quique patronum. An igitur barbarum morem ſeruarunt Romani, ac ipſi retinemus? Verum Gellius lib. 1. cap. 11. ait, ſilentio atq; gradu clementi eſſe opus cum ad hoſtem itur inſpectu longinquo procul diſtantē. cum vero prope ad manus ventum eſt, tum iam è propinquo hoſtem propulſandum, & clamore terrendum. nec id ſine ratione cuſtoditum. valet enim modica vociferatio ad commouendum ſanguinem, tollendamq; triſtitiam ex conſpectu vicini diſcriminis contractam. inde augetur animus, & vires creſcunt. Aethyopes ad eadem præſtanda ſaltatione vſi ſunt. nam ſaltantes in aciem deſcendebant: nec eorum quiſquam ſagittam emiſiſſet, ni prius, vt in chorea, ſaltaſſet: rati eo ſe commento terrorem hoſtibus incuſſuros: etſi riſum hæc potius excitent, atque contemptum.

4 *Qui autem ad vitanda incommoda.*] *peruerſe mortem vitæ malorum cumulo preſſæ, anteponunt; ideo ſtatim pœnitentia ſequitur. de his Virgilius.*

Proxima deinde tenent mœſti loca, qui ſibi lethum
Inſontes peperere manu; lucemque peroſi
Proiecere animas. Quam vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem, & duros perferre labores.
Fata obſtant, triſtique palus innabilis vnda.

5 *Ignaui ſunt, non fortes.*] *pulchre Martialis,*

Rebus in aduerſis facile eſt contemnere vitam:
Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.

porrò vt non eſt viri temperantis, maiorum voluptatum ſpe minores ſpernere; ita non eſt viri fortis, maiorum malorum metu minora eligere. iure igitur D. Auguſt. lib. 1. de ciu. Dei, Catonem, ceteroſque, qui ſibi mortem conſciuere, eximit è numero virorum fortium: ac longius progreſſus demonſtrat, nullam ſapienti eſſe poſſe ἐξαγωγὴν, vt Stoici loquebantur, εὔλογον; hoc eſt, migrationem è vita rationi conſentaneam. ait Socrates in Phædone, ſtationem humanæ vitæ non eſſe magni Imperatoris

toris iniuſſu deſerendam. ad quod alludebat Philolaus Pythagoricus, inquiens, Ne diuidas in via lignum. *cædes igitur ſibi à ſe illata non habet finem honeſtum; præſertim cum qui iumentum, vel ſeruum alienum ſurripit, vel necat, certis pœnis obnoxium ſe reddat. multo igitur magis qui Dei ſeruum trucidat.*

De quinque generibus adumbratæ fortitudinis. Cap. VIII.

HActenus *de vera, germanaq; fortitudine. Sed non ſemel contingit, vt ea vitietur fuco: tranſeatq; in adulterinam.* Huius fucatæ, vel adumbratæ fortitudinis quinque ſunt ſpecies. Prima ciuilis fortitudo dicitur, *quod ciues ad pericula promptos reddat*. cuius tres quoq; ſunt gradus. Primus, quando quis ad ignominiam lege inductam, eui tandam, vel honorem ex lege conſequendum, ſe armat, audetq; in periculis. hæc fortitudo ad veram illam & genuinam proxime videtur accedere: atque quam minimum ab ea diſtat. quare viri fortiſſimi apud eos, maxime reperiuntur, apud quos & infamia notantur ignaui: & honore afficiuntur viri fortes; *tum quia hi parum diſtant à viris vere fortibus, quales ſunt, qui honeſti tantum gratia pericula ferunt: tum quia nullo negotio ex adumbrata ad veram virtutem tranſeunt ob ſummam vicinitatem*. ac talis ab Homero deſcribitur Hector, qui metu infamiæ pugnam proſequitur, etſi extremum ſibi ab Achille imminere diem veretur; tum Diomedes, qui Neſtori ſuadēti regreſſum, ingruentibus Troianis, & manifeſte Iouis iracundia in Græcos ſæuiente, ſic reſpondet;

Recte quidem dicis Nelide; ſed mea magnus
Turbat corda dolor, vexatque infamia. namque
Sic aliquando inter Troas iactabitur Hector,
Tydides metuens à me eſt in caſtra fugatus.
Dicet ita inſultans. ſed tunc mihi terra dehiſcat.

Simillima vero hæc fortitudo eſt ei, quam primo loco poſuimus, & genuinam fecimus. eſt enim à pudore, ſeu verecundia, quæ, *late ſumpto virtutis nomine, virtus dici poteſt*: & à pulchri, *appellatione lata ſumpti*, appetitione: honoris ſcilicet conſequendi, & dedecoris depellendi. *Sed re vera declinat hæc fortitudo à limatiſſima virtute. quoniam fortiter facere, vt honore afficiaris, vel ne ignominia noteris, non pulchri & honeſti gratia: non eſt actio germanæ, ac puræ virtutis. vir enim verè fortis omnia aget, feretq; honeſti gratia; etſi nihil inde ſe honoris, atque commodi conſequuturum: vel ſi non ferat, nullam ad ſe infamiam rediturum, ſciat.* Huc referre alterum adumbratæ fortitudinis

tudinis gradum licet eorum , qui ab ijs , ſub quorum imperio ſunt comminata pœna,fortes eſſe coguntur . *vt enim illi, de quibus proxime diximus,à lege compelluntur ad fortiter faciendum: Ita & hi à principe , atque rectore .* ſed hi eo ſunt illis deteriores , quod non pudore adducti : ſed metu coacti, ac imminentis mali formidine impelluntur . *ſtant enim contra hoſtes, non vt maculam vel turpitudinem declinent , ſed ne dolores, verbera , mortem ſubeant . ex neceſſitate igitur, non ex virtute agunt .* [2] hac via Agamemnon ſuos ad fortitudinem cogere nititur apud Homerum .

Si vero pugnam quem detrectare videbo ,
Is certe nulla poterit ratione cauere,
Quin auibus,canibuſq; obiectus preda voretur .

Poſtremus ciuilis fortitudinis gradus in ijs cernitur,qui non comminatione pœnæ,ſed præſenti ſupplicio territi , vel vim paſſi, ad præclara compelluntur. vt qui in prima acie locati, ſi pedem referant, illico verberantur à poſtremo agmine . *iſtis enim vel pugnandum eſt,vel moriendum .* Huc eos quoque referas , qui ante foſſas,vel munitiones diſpoſiti,rem ita gerunt, vt à poſterioribus anteriores propellantur , trudanturque in munitiones . *capiunt enim eas tandem , nulla fortitudinis laude: ſed magis vi compulſi,& quodammodo ab alijs delati : qua via Thermopylarum ſaltum à Perſis expugnatum , apertumque , ſcribit Herodotus .* Sed par eſt honeſto & pulchro excitatos fortiter agere : non vi,aut neceſſitate coactos . Hæc igitur prima ſit ſpecies adumbratæ fortitudinis . .

Altera ea eſt, quam parit diſcriminum vſus . *qui enim ipſorum ſæpe periculum fecere,fortes apparent,dum ea contemnunt . id vero faciũt, quia experimento docti , eorum pleraq; inania eſſe ſciunt .* [3] quapropter Socrates in eam venit mentem,vt opinaretur, fortitudinem eſſe ſcientiam . Sed cum vſu periti,& exercitati alij quidem ſint in alijs rebus ; veluti in morbis, tempeſtatibus , & periculis ciuilibus , *quod & Plato tradidit in Lachete:* tum maxime in bellicis diſcriminibus Stratiotæ tales apparent ; ſunt vero hi milites mercede conducti . cum enim perſpectum habeant,& ipſi experti ſint , [4] multos belli terrores inanes eſſe : dum in illis audent , fortes reputantur à tyronibus, alijſque,qui,quales eiuſmodi terrores ſint,non intelligunt. Huc accedit , quod cum iſti milites vſu & conſuetudine aduerſarios damnis afficere , ſeſeq; tutari didicerint ; tum ictus inferre,& vitare , armis expeditiſſime vti , & eiuſmodi arma habere poſſint , quæ ad feriendum hoſtem,ſe vero tuendos, valent : *ac proinde inſtent , cedant, decipiant , eludant, inſidiaſq; ſtruant :* ac demum armis & diſciplina tyrones adeo ſuperent, ac ſi armati cum inermibus , & Athletæ cum luctandi imperitis concurrant : [5] dum ſine pauore confligunt , nullã

ſibi veræ fortitudinis laudem quærunt. nam in eiuſmodi certaminibus non fortiſſimus quiſque maxime idoneus pugnæ eſt, *aut vincit:* [6] ſed qui corpore, atque viribus ſunt valentiſſimi· *diximus autem initio huius diſputationis, à virtute fortitudinis, quæ animi eſt, longe distare robur corporis. Vtiliores igitur in conflictu hi ſunt milites exercitati. ferunt enim labores, ſitim, æſtum, frigora: ſciunt aggredi, vincere: quod corpora habeant robuſta, & incommodis ferendis aſſueta: teneantq; rei bene gerendæ diſciplinam. virorum vero fortium alius eſt melior vſus: poſſitq; eorum opera alijs reipublicæ temporibus, maiore cum laude, atque commodo reſeruari.* Milites vero iſtos, qui militiam quæſtui habent, non eſſe fortitudinis laude ornandos, inde liquet maxime, quod vbi periculum creſcit, ſeque vident copiis, apparatu bellico, iniquitate locorum inferiores, (vident autem facile ob longum vſum, atque peritiam) timidi fiunt, ac primi terga vertunt. acies vero è ciuibus conſtantes, in loco manent, pugnāt, occumbunt. quod in Hermæo contigit, *Coroneæ Bœotiæ vrbis campeſtri loco. Cum enim Coronei, acceptis à Bœotijs auxiliaribus militibus, cum Onomarcho, qui eorum arcem occupauerat, confligerent: ipſi quidem fortiter pro patria decertarunt, ibiq; omnes interfecti ſunt: auxiliares autem ab initio pugnæ, vbi Charonem, ex ducibus ſuis vnum, in prælio cecidiſſe acceperūt, fugam arripuerunt.* Porro ciuibus fuga turpis eſt: ac parta per fugam ſalute mors optabilior. mercenarij vero, etſi audacter ſe primo periculis offerebant, tanquam ceteris præſtantiores, *ſeu periculis futuri ſuperiores:* vbi tamen periculum animaduertere, ſalutem à fuga petierunt: plus mortem pertimeſcentes, quam turpitudinem. hæc vir fortis facere non ſolet.

Tertiam fortitudinis adumbratæ ſpeciem ponimus eam, quæ ab iracundia exiſtit. fortes enim videntur eſſe etiam hi, qui ab impetu animi, tamquam belluæ, in eos irruunt, à quibus vulnus acceperunt. ſubeſt autem ratio aliqua iſtos reputandi viros fortes; [6] quoniam fortes ſunt etiam iracundi; [7] *videturq; iracundia nata ad pericula obeunda. ob quam naturæ coniunctionem hæc, adulterina cum ſit, videtur vera fortitudo.* maximum enim ad diſcrimina ſubeunda calcar admouet ira. quare Homerus *de Glauco*, Vires inijcit ira; & animos iramque ciebat. *& de Vlyſſe*, Acris per nares ſubiit furor. *& demum de alio quodam,* Toto feruebat corpore ſanguis. quæ omnia iracundiæ ortum, celeritatem atque impetum animi concitati, commotionemque, cum fortitudine opus eſt, vehementiorem oſtendunt. Sed ferina quædam iſta eſt fortitudo. fortes vero honeſti cauſſa res omnes gerunt; ſed iuuantur ira: beſtiæ autem dolore affectæ inſiliunt: quod ſcilicet vel ictum acceperunt, vel timent, ne accipiant. quare ſi in ſylua, vel palude ſint, aut aliquo alio tuto loco, nemini ſunt moleſtæ.

leſtæ. non ſunt igitur fortes, cum doloris, & iræ inſtinctu periculum adeant, non præuiſo periculo. [8] Nam iſto quidem modo aſinos, cum eſuriunt, fortes dicere licebit: quoniam ne verberibus quidem contuſi, diſcedunt à pabulo. quin & adulteros, amatoresue fortes dicere opus eſſet: cum, vt libidinem expleant, multa audacius faciant. *at carent fine honeſto: ſuntq; vt plurimum molliſſimi; non ergo fortes.* Eſto igitur, ſit ea maxime connaturalis homini fortitudo, quam ira excitauit; vera tamen non eſt, niſi conſilium aſſumat, & finem honeſtum. Tandem, cum iraſcimur, dolore afficimur: cum iniurias vlciſcimur, voluptatem percipimus; at, qui eiuſmodi cauſſis impulſi, adeunt pericula, pugnaces quidem ſunt, & in prælio vtiles; fortes vero appellari non poſſunt. nam nec agunt ob honeſtum, nec vt ratio monet: ſed perturbatione concitati feruntur. verum ſimile quiddam habent cum viro forti, vt dictum eſt antea.

Quartam fortitudinis adumbratę ſpeciem videre in ijs eſt, qui bona ſpe freti, fidunt in periculis. fidunt autem, quod ſæpe vicerunt, multosq; ſuperarunt. hi porro ſunt ſimiles viris fortibus; quia vtrique ſunt animi & fiduciæ pleni. ſed diuerſas habent fidendi cauſſas; fortes propoſitam honeſtatem, atque conſilium de dignitate ipſi vitæ anteponenda: illi opinionem excellentiæ propriarum virium, & quod nihil ſint incõmodi ex eo diſcrimine accepturi. [9] quod & ebrij faciunt, qui ſenſibus à temeto ligatis, pericula, quæ imminent, non proſpiciunt. Horum neutri ſunt fortes. eriguntur enim bona ſpe. [10] cum vero aliter, quam ſperabant, res cedit, diffugiunt; quod vir fortis non committeret. nam hic terribilia ſuſtinet, non quia confidit ſe ab ijs eluctaturum: ſed quia ferre honeſtum eſt: non ferre indecorum. *interim non eſt de vita ſollicitus; & ſublata viuendi ſpe, nihilominus ab incœpto non recedit; & vitam lubens profundit, ne fugiendo profundat dignitatem.* Ex dictis eiuſmodi corollarium inferri poteſt; virum fortem ſpectari magis in ſubitis terroribus, atque repentinis, quam in prouiſis, ac præmeditatis. [11] ſi enim ad eorum improuiſum aſpectum non pauet, dat ſignum virtutis habitus, in animo obfirmati, *& quodammodo in naturam conuerſi. natura enim ſponte, ac ſtatim operatur.* quæ vero ante perſpecta ſunt, & animaduerſa, quis forte conſilio habito ſuſtinenda ſibi decerneret, ad eaq; prępararet animum, *qui rationis dictata ſequutus, poteſt reſiſtere omnibus vel vehementiſſimis perturbationibus.* At in repentinis non eſt locus deliberationi: quare in ijs homo habitu ſolum, non animi agitatione, aut deliberatione, conſilium capit.

Quintam, & poſtremam adumbratæ fortitudinis ſpeciem eam ſtatuimus, quæ ab ignoratione malorum imminentium excitatur in ijs, qui quantũ ea incõmodi afferant, nõ didicerũt. *De quibus prouerbiũ.*

Dulcis inexperto belli veſana cupido.

hi non ſunt valde remoti ab ijs, qui bene ſperant: quoſque fiducia in periculis armat, inſtruitque. ſed hi ſunt illis deteriores, quod ſpeciẽ nullam præferunt dignitatis; nihilq; habent ſplendoris. in illis vero hæc plurimum elucent. quare aliquantum temporis ſtant ijdem cõtra hoſtes, permanentq; in incœpto. hi vero, quod ob inſcitiam aduerſariorum in victoriæ opinionem venerant, ſtatim ac errorem ſuũ intelligunt, diffugiunt, ac dilabuntur: *à magna ſpe ad ſummam deſperationem traducti.* quod Argiuis accidit. qui cum incidiſſent in Lacedæmonios, *Sycioniorum clypeos deferentes*, eos Sycionios rati, deſpiciebant: *quaſi gentem paullo ante à ſe victam, atque fugatam. at vbi viciniores facti, cum Lacedæmonibus, quorum ſumma erat bellicæ virtutis laus, ſibi negotium eſſe cognouerunt, ſtatim fugerunt.*

SCHOLIA.

1 *ET à pulchri appellatione lata ſumpti.*] τὸ καλὸν, *quo vocabulo hic Ariſtoteles vtitur, ne dum honeſtum, & pulchrum ſignificat: verum etiam bonum. honos igitur ab alijs exhibitus, etſi proprie ſit è numero bonorum, non autem ex ordine rerum honeſtarum: nihilominus propter affinitatem inter pulchra large ſumpta numeratur. at honos, qui ſplendor eſt à virtute promanans, honeſtum quid eſt, atque pulcherrimum. qua de re in commentario de Honore, fuſius agemus.*

2 *Hac via Agamemnon.*] *Hectorem ſcribit Ariſtoteles memoriæ lapſu. (vide Iliados lib. 2.) deceptus mea ſententia ſimilitudine alterius loci Iliados 15. vbi Hector eadem alijs verbis comminatur Troianis,*

Si quemquam hic alio tendentem à nauibus, inquit,
Repperero: ille loco mox extinguetur eodem
Hac dextera &c. *ſed errorẽ hunc Ariſtoteles correxit lib. 3. poli.*

3 *Quapropter Socrates.*] *banc fortitudinis definitionem Chriſippus, & Stoici amplexi ſunt, vt Cicero teſtatur in Tuſchul.*

4 *Multos belli terrores inanes eſſe.*] *Curtius lib. 7.* Ea res, ſicuti pleraq; bel i vana, & inania, barbaros ad deditionem traxit, *ſcilicet, quia barbari, paucis conſpectis, qui petræ ſummitatem inermes occuparant, eos & armatos, & multo plures eſſe opinati ſunt. Defectus lunæ ad Perſei Macedonis interitum cum traheretur, animum Romanis addidit: Macedonas conſternauit: vt Polybius ſcribit. Apud Tacitum quoq; lib. annal. 1. luna, clariore pene cælo viſa langueſcere, Pannonicas legiones perculit. ſæpe in caſtris, nulla conſpicua cauſſa, viri pariter, atque equi perturbantur. Hi terrores panici dicuntur, quorum Hector apud Euripidem in Rheſo facit mentionẽ, dum cuſtodibus, nouum in caſtris tumultum exoriri, nunciantibus, motum illum eſſe panicum reſpondet. ijdem terrores mentem interdum auferunt. quare ſcribit Pindarus in Nemeis, ſi in eo rerum ſtatu viri fortes fugæ ſe mandent, non ignauiæ*

tribuen-

tribuendum. nam In diuinis terroribus fugiunt & filij deorum.

5 *Dum ſine pauore confligunt.*] *de militari hac fortitudine ſcribit Vegetius;* Nemo facere metuit, quod ſe bene didiciſſe confidit.

6 *Sed qui corpore.*] *eiuſmodi ſunt gladiatores; & habitudinem hanc in M. Antonio gladiatoriam totius corporis firmitatem Cicero appellauit. quæ nihilominus à fortitudine admodum differt.*

6 *Quoniam fortes ſunt etiam iracundi.*] *quod de Romanis, & occidentalibus populis tradit hic interpres Græcus. talis ab Homero fingitur Achilles, qui innatæ iracundiæ ſibi conſcius, Priamum, cadauer filij repetentem, monet, ne ſe dicto, vel facto offendat; ſcilicet ad vitandas iraſcendi occaſiones. vere Plutarchus ait, ſolam inter virtutes fortitudinem furentes aliquando impetus habere; iuuatur enim fortitudo iracundia: ſed modica. nam ſi nimia ſit, corrumpit maculatue fortitudinem, perinde ac barbarorum ſagittas venenum inficit. hoc vitio cum laborare ſe Spartani intelligerent, ad tibiarum modulos certamen inibant: Dorica vſi harmonia, quæ ſedaret nimium impetum, in conflictu pernicioſum; vt ſcribit Aelianus lib. 1. Ergo qui nimia excandeſcentia correpti audent in periculis, etſi videntur fortes, nihilominus tales non ſunt dicendi. imitantur enim feras, de quibus Virgilius.*

Vt fera, quæ denſa venantum ſepta corona,
Contra tela furit, ſeſeque, haud neſcia, morti
Inijcit, & ſaltu ſupra venabula fertur:
Haud aliter iuuenis medios moriturus in hoſtes
Irruit, &, qua tela videt denſiſſima, tendit.

7 *Videturq; iracundia.*] *Plato 2. de Reipub.* Num fortis eſſe poteſt, ſi non ſit iracundus equus, vel canis, an aliud quoduis animal? an aduertiſti quam ſit inexpugnabilis ira, & inuicta? qua præſente animus hominis ad omnia intrepitus eſt, & inuictus?

8 *Nam iſto quidem modo aſinos.*] *hoc ſimili ab aſellis ducto Homerus quoque vtitur Iliados lib. 2.*

9 *Quod & ebrij faciunt.*] *aucto calore creſcit ſpes & audacia. vinum quoque*

Spes iubet eſſe ratas, In prælia trudit inermem.

10 *Cum vero aliter.*] *Hos enim ſpes adduxit ad pericula ſubeunda: fortes vero honeſti amor. ſpes ſæpe cadit: quare & ipſi concidunt viribus. honeſtas facti ſemper manet: ideo fortes perferunt, & obdurant.*

11 *Si enim ad eorum improuiſum aſpectum.*] *Lucanus in 7.*

Fortiſsimus ille eſt,
Qui promptus metuenda pati, ſi cominus inſtent.
Et differre poteſt. *talem ſe Pelopidas oſtendit, cum militi nuncianti,* incidimus in hoſtes, *reſpondit,* Cur non potius in nos illi?

An fuga in acie ſit ſemper turpis.

SEd eum Ariſtoteles hic ſæpe fugam in acie ignauis hominibus adſcribat, vt merito adſcribi debet: Quærendum videtur, An id perpetuo ſit verum: ita ut neque acie inclinata, neque rebus profligatis, liceat fuga ſaluti ſuæ conſulere. Iudas enim ut lib. 1. Machab. cap. 9. conſtat, rebus Hebræorum deſperatis, dehortatus eſt à fuga ſuos, ne parta iam gloriæ crimen inferrent: ſed potius pro legibus patrijs, proq; aris, & focis fortiter occumberent hoſtili manu. Sed peculiari numinis inſtinctu hanc illi mentem inſpiratam crediderim; quod uerba illa indicant. Si appropiauit tempus noſtrum, moriamur. *Nam eo rerum ſtatu, fuga ſalutem ſuam à uiro forti committi poſſe, pro certo habeo; cuius ſententiæ Aiax fuit apud Homerum.*

At Thelamone ſatus ſaxis iaculisq; petitus,
Amplius haud manſit; nam inſtabat Iuppiter, atque
Troum denſa phalanx ſine fine ſpicula iactans.

Ceſſit igitur ingruenti procellæ, nec fortitudinis laudem imminuit: quod cuique inſitum ſit naturale deſiderium ſeruandi ſui; & eo tempore mors oppetita nulli eſt uſui Reipub. *Quare Terentio Varroni, è Cannenſi clade fuga elapſo, gratiæ ſunt actæ à Senatu, quòd non deſperaſſet de* Repub. *Nec collega Paullus equum ad ſalutem oblatum repudiauit, quaſi ullum eſſet in fuga flagitiũ: Sed* tu me, *inquit,* in hac ſtrage militum meorum patere exſpirare; ne, vt reus, inteream; cauſſaue conſulatus, accuſator collegæ exiſtam, vt alieno crimine innocentiam meam protegam. *Qui uero fugæ initium faciunt, uel confertim ſeſe in eam, dum reſiſtere licet, effundunt, ignominia notantur. quæ fuit cauſſa, cur Senatus Marcello petenti, ut ex ijs militibus, qui è Cannenſi prælio profugi, in Siciliam fuerant deportati, legiones ſupplere ſibi liceret, negaret id ſe permiſſurum:* Quod militibus ignauis Reſpub. non eſſet committenda; *ut Plutarchus in Marcello ſcribit.*

An turpe ſit in bello capi.

SVperiori dubitationi affinis hæc eſt. Nam φιλοψυχίας *argumentum pleriſque id uidetur, cenſentibus, fortium eſſe in prælio uincere, aut mori. quod & Philocrates apud Plautum conceſſiſſe uidetur, ubi ait,* Non igitur ſoli nos ignaui fuimus. *Aratus, Imperator alioqui egregius, ducem uituperauit, qui uiuus in hoſtium uenerat poteſtatem. quod dictum, uti nimis inuidum, eodem calamitatis genere breui compenſatum eſt. ille enim poſtea captus ab hoſtibus, ſeipſum temeritatis damnauit. Hanc uero ignauiæ notam, inique irrogari ſolitam, urbane Laco*

quidam

quidam à ſe amolitus eſt. captus enim in Pylo ab Athenienſibus cum aliys non paucis, dicente ſibi quodam, ex veſtris optimi, & fortiſſimi quique ceciderunt: *reſpondit;* magni faciendus eſſet fuſus, ſi viros fortes ab ignauis diſcernere poſſet. *fuſum vocabat ſagittam, Laconum more: & ſignificabat, non fortiſſimos quoſq; occubuiſſe: ſed eos, qui caſu ſagittis icti fuiſſent: ac propterea illos, qui in hoſtiũ venerant poteſtatẽ, non eſſe minus fortes habẽdos, quã qui cecidiſſent. Sed vt fugere ex acie, cũ dedecore contingit, ita & capi. qui enim fortiter pugnando capitur, nullam facit honoris iacturam. at qui, cum ignaue ſe gerat, hoſtium fieri mancipium non erubeſcit, turpis cenſetur. vbi ergo magna militum multitudo ſe vinciri patitur, non fugit ignauiæ notam. licebat enim vel reſiſtere, vel honeſte mori. ea de cauſſa Romani milites ſuos, Cannenſi prælio captos, redimendos non eſſe, Senatuſconſulto ſanxere, ſententiã dicente T. Manlio Torquato: Septena armatorum millia potuiſſe, vt P. Sempronius ſuadebat, per noctem erumpere: dum paucitas hoſtium circa caſtra, dum quies, ac ſilentium eſſet: & ante lucem in tuta loca peruenire: nunc vero cum per ſummam ignauiam hoſtibus turpiter ſe dedere, quam modico periculo eruptionem tentare maluerint, hoſtibus eſſe relinquendos.*

De proprietatibus fortitudinis. *Cap. IX.*

FOrtitudo in timoribus depellendis verſatur, atque cernitur magis, quam in audacia minuenda. verior igitur, & familiarior virtutis campus timor eſt, quam fiducia; etſi vtrumque illa decurrat. & qui in terroribus non trepidat, & animo, vt debet, affectus eſt, is magis fortis eſt, quam qui in rebus, quæ fiduciam afferunt, animum retinet: [1] *pericula enim augent natura ſua timorem, audacia minuit. quare audacia facilius ad medium ab exuperantia reducitur, quam à defectu timor: periculum enim in audacia iuuat: in timore obeſt ad exuperantiæ, atque defectus correctionem. Aggredi quoque facilius eſt, quam impetum ſuſtinere. eſt enim ſuperior quodammodo is, qui aggreditur. at qui audet, eſt vt qui aggreditur: qui timore corripitur, vt qui inſultum ſuſtinet. cum igitur circa maxime ardua virtus laboret, magis erit fortitudinis timorem eÿcere, quam audaciam minuere.* Ideo fortes appellantur, quod res moleſtas, & aſperas fortiter ferant, *non quod plus æquo non audeant; etſi re vera & hoc quoque ſit viri fortis:* vt ſupra dictum eſt. Itaque doloris & moleſtiæ plena eſt fortitudo; ac iure laudatur, magnoſq; conſequitur honores. difficilius enim eſt, res aſperas toleranter ſuſtinere, quam abſtinere à iucundis. *quo nomine fortitudo temperantiæ præferri forte queat.* [2] ſed non omni iu-

cundi-

cunditate vacua eſt: cum finis eius poſſit videri ſuauis *ob adiunctam honeſtatem*, quæ nihilominus iucunditas à rebus, quæ circumſtant, obſcuretur, ac pene deleatur. eiuſmodi quiddam in ludis gymnicis contingit. Pugilibus enim finis, cuius cauſſa depugnant, ſuauis eſt: vt coronæ, & honores; at plagæ, verberaque, ac omnis labor his, qui carne conſtant, moleſtiam doloremq; afferunt: & magnitudine ſua exiguam illam, quæ fini adiuncta eſt, voluptatem adeo premunt, obruuntque, vt *in certamine* non appareat. Quod ſi talis eſt fortitudinis ratio, & natura: mors & vulnera forti viro, etiam inuito, moleſta ſunt futura. ea tamen ille ſubibit, ac perferet, quia perferre honeſtum eſt: non perferre indecorum. 2 Idem, quo virtutibus omnibus cumulatior fuerit, atque beatior: eo moleſtius mortem feret. ſentit enim ſe, vita digniſſimus cum ſit, maximis bonis priuari; quod ſine moleſtia mente voluere non poteſt. Virum nihilominus ſe præſtabit: eoq; magis, quod ijs omnibus decus bello partum, anteponit. Quod igitur antea dictum à nobis eſt, omnibus virtutibus commune eſſe, vt cum voluptate agant, ſuaq; munera iucundè obeant, verum cenſeri debet, qua finem reſpiciunt, & attingunt. Hinc fit, vt ij; qui ſunt minus fortes, ſed viribus, lacertiſque pollent, ſint præſtantiſſimi milites, *ob vtilitatem quam afferunt in bellis*. cum enim alieni à virtute, infeliciter viuant, nec magni faciant vitam: ſed cum paruo quæſtu commutent: ſunt ad pericula obeunda, mortemq; oppetendam, paratiores. *paruam enim ſe iacturam facere arbitrantur, dum vitam à virtute vacuam profundunt*. Hactenus de fortitudine: quæ, quid ſit, non eſt difficile rudi quadam deſcripta, & adumbrata forma cognoſcere. *eſt enim habitus, quo nec in aduerſis metu deprimimur: nec audacia efferimur in ſecundis, vel etiam aduerſis*.

SCHOLIA.

1 *Pericula enim augent natura ſua timorem.*] *rationem hanc D. Tho. affert. 2 2. q. 123. art. 6.*

2 *Sed non omni iucunditate vacua eſt fortitudo.*] *duplicem habet fortitudo functionem. nam primò decernimus fortiter agere, nec rebus terrificis ſuccumbere: poſt eadem horribilia ſubimus, ac patimur dolores. prior actus à mente eſt, & elicitus appellatur: poſterior per ſenſus corporis exercetur, ac imperatus dicitur. Delectatio quoq; ac triſtitia tum corporis ſunt, & ſentiendi organis percipiuntur: tum inſunt in animo, & à phantaſia iucundi, vel horribilis ad partem æſtimante, & rationem peruadunt. His in hunc modum enucleatis, qua ratione vir fortis, dum horribilia ſubit, dolore vel voluptate afficiatur, tribus dictis abſoluo.*

Primum, vir fortis in actu imperato ne dum voluptatem corpore nullam percipit: quin, vt communiter natura fert hominum, magnopere dolet. neque enim ſenſus hominis vim ſuam amittunt ob rationis impe-

rium : ac neceſſe eſt eum, cui nerui inciduntur, ſentire, & dolere : ſi homo eſt ; ſi carne cretus. quid igitur in Phalaridis taurum ſe deſcenſuros, beatosq; futuros Stoico nonnulli iactant ſupercilio ? quid in tormentis ſe, quam hoc delectat, exclamaturos, Epicurea vanitate gloriantur alij ? ridicula hæc ſunt : nec digna, in quæ diutius incumbamus.

Secundum, voluptatem vir fortis mente percipit in vtroque actu : elicito videlicet, & imperato : & magnam quidem in elicito : quid enim prohibeat eum, dum fortiter facere, ac pro honeſtate pulcherrimam oppetere mortem, deliberat, non ſumma voluptate perfundi ? ſed ab imperato actu percipit admodum leuem, adeoq; tenuem, vt eam penitus non ſentiat. ſenſus enim ſunt in agendo vehementiores. Deinde quoniam dolores, qui corpore percipiuntur, re ipſa inſunt : voluptas mentis in apprehenſione tantum exiſtit. magni vero intereſt, inſit re uera quid in nobis, an arbitremur futurum. Demum, quia in perpeſſione malorum adhuc ipſa cogitatione magnam capit vir fortis triſtitiam : tum quia ſe grauibus intelligit conflictari malis : tum quia, ni alterius vita anhelet deſiderio, intelligit amiſſurum ſe maxima bona : vitam beatam : functiones virtutis ; cognatos, amicos.

Tertiam. Quoniam viro forti ex duplici fonte triſtitia prouenit : ex perpeſſione ſcilicet dolorum corporis : & reputatione malorum inſtantium, atque bonorum amittendorum ; ſequitur, paruulam illam voluptatem, quæ mente ob honeſtum in actu imperato concipitur, ita obrui, vt non ſentiatur : poſſitq; ſimpliciter affirmari, virum fortem, dum tolerat dolores, nullam ſentire voluptatem. Quod ſi obijcias : mentis delectationem eſſe fortiorem dolore corporis : cum ad eiuſmodi dolores ſpernendos amore honeſti adducamur, & ab ea, quam inde ſperamus, voluptate ; Reſpondeo, fortiorem eſſe, ac magis percipi, valde differre. delectatio mentis firmior eſt, & valentior : ſed corporis dolor percipitur magis. ſenſus enim natura fecit valde vehementes, vt rerum cognitioni certius deſeruirent. omnis enim noſtra cognitio à ſenſu ortum ducit.

3 *Idem, quo virtutibus.*] *Diogenes, apud Aelianum lib. 10. aiebat, ijs qui ſcirent, quid agendum, curandum eſſe, vt viuerent : non ijs, qui honeſtum, rectumq; ignorarent. Ariſtippus in mari, cum oborta tempeſtate vehemẽter expalluiſſet, ac reprehenderetur à uectoribus, quaſi non gereret philoſophi animum : reſpondit, ſibi laborem eſſe de vita beata ; idcirco mortem non videri ſuauem : contra illis non eße dolendum, ſi naufragio perirent, quod à virtute alieni, vitam ducerent infelicem.*

De tem-

De temperantia. Quid ea ſit, & quæ illi ſubiecta materia. Cap. X.

A Fortitudine ad temperantiam recta tendendum. ambæ enim earum animi partiũ ſunt, quæ ratione vacant. *Fortitudo quippe iraſcenti parti moderatur: temperantia concupiſcenti; quod & Plato magnopere probauit. quare in ijs, quæ ipſarum ſunt, etiam feræ occupantur: puta in timore, audacia, delectationibusq́; ciborum, atque Venereorum. at liberalitati, ceterisq́; virtutibus ſubijciuntur ea, quæ ſunt hominis propria: vt honores, atque diuitiæ: quæ bruta neque agnoſcũt, neque curant.* Temperantia igitur mediocritas eſt, quæ præcipue verſatur in voluptatibus *frænandis*: aliquanto minus, nec eodem modo in doloribus, *qui à voluptatum abſentia proueniunt, minuendis. nam temperantis munus magis proprium videtur non capi voluptatibus, quam non dolere ob illarum abſentiam. magisq́; in illo, quam in hoc, vis huius cernitur virtutis. illud enim difficilius eſt: hoc minus operoſum.* idem prorſus iudicium de intemperantia faciendum. in vtriſque enim & ipſa vertitur eodem modo. Sed cum voluptates non ſint vnius generis, operæpretium eſt, facta earum diuiſione, in quibus tẽperantia, & intemperantia locum habeant, explicare. Ac primum conſtituatur, voluptates alias eſſe animi, alias corporis. animi ſunt honoris cupiditas, quam ambitionem dicimus: diſcendi ſtudium, & ſimiles. quiſque enim eo delectatur, quod amat & cupit. quare voluptates ad illa conſequentes non afficiunt corpus, ſed potius vim cogitandi. *Hæ voluptates animi non ſunt propria materia temperantiæ, atque intemperantiæ*: &, qui eis dediti ſunt, nec temperantes, nec intemperantes nominantur: quemadmodum nec illi, qui in alijs, quæ non ſpectant ad corpus, occupantur: vt qui fabularum, atque rerum narrandarum ſtudio, & cupiditate tenentur; quique ſemper geſtiunt de rebus, quas obtulerit caſus, garrire: ac totos in eo dies inſumunt. hos loquaces, atque garrulos dixeris, non intemperantes. ſed, *quod ſpectat ad temperandum dolorem*, ne eos quidem, qui ex pecuniarũ iactura, vel amicorũ funeribus nimio dolore conflictantur, intemperantes recte ob eandẽ rationẽ appellaueris. firmũ igitur ſit, temperantiã, & intemperantiã in corporis voluptatibus verti: at nõ in omnibus. nam qui delectantur ijs rebus, quæ aſpectu ſentiuntur, vt coloribus, figuris, pictura, nec temperantes; dicuntur, nec intẽperantes: quamuis fieri poſſit, vt in his rebus per exuperantiam vel defectũ peccetur. *ſed alia quædam inter hæc extrema ſtatuenda eſt mediocritas.* Idem de ijs, quæ ad auditum pertinent, ſentiendum. neque enim

eos,

eos,qui ſupra modum cantilenas amant, vel hiſtrionum geſtibus delectantur, ſtudium hoc intemperantiæ damnat: nec eos, qui intra modum eadem ſectantur, temperantiæ nomine commendat. Voluptates quoque in olfactu poſitæ, non ſunt commoda virtutis huius, atque vitij materia; nec ab ijs temperantes, aut intemperantes nominantur,niſi ex euentu; ſcilicet, ſi forte vnguenta & obſonia odorando,aliquid in mentē veniat,quod quis valde cupit. tunc enim ea voluptas poſſet apte huic virtuti,vel vitio accommodari,ob cupiditatem guſtatus, vel rerum venerearum ab vnguentorum, vel obſoniorum odoribus excitatam, & cum ea, quæ ab olfactu eſt, coniunctam. [2] Quare non dicimus eos intemperantes, qui malorum, roſarum,ſuffimentorum capiuntur odoribus; (*his enim neque venter,neque inguen excitatur*) ſed tales potius appellamus eos, qui obſonijs, vnguentiſq, olfactis,ad illas alias voluptates commouentur: rerum, quas concupiſcere ſolent, refricata memoria. [3] *nam tranſeunte muliere odoribus,& vnguentis delibuta,(quod tota Aſia meretricibus familiare fuit) ſi quis excitetur cupidine coeundi,vt ſæpe accidit, intēperans iure optimo dicetur.* [4] *& ſi ad nidorem carnium, in voluptatis illius,quæ guſtatu percipitur,nimiam venerit cupidinem, eidem vitio ſe ſubijciet.* talibus enim rebus delectari, hominis eſt intemperantis. [5] Tribus vero ſenſibus iſtis, quos enumerauimus, cetera quidem animalia non percipiunt voluptatem,niſi ex euentu. nam neque leporum odore delectantur canes: ſed ſapore,ad quem ſenſus per odorem excitatur: neque leo bouis voce gaudet: ſed eſca, quam à voce propinquam eſſe ſentit. *at intemperantiæ, atque temperantiæ materiam cum belluis communem nobis antea ſecimus; non igitur in voluptatibus trium illorum ſenſuum ea vertuntur.* Sunt ergo in ijs, quas cum ceteris quoque animantibus communes habemus. ex quo voluptates iſtas ſeruiles ac belluinas eſſe, iudicare licet: *ac eos, qui ſe illis dedunt,in mancipia, & belluas euadere. Id Homerus innuit, cum Vlyſſis quoſdam ſocios, in ventrem pronos,à Circe in ſues commutatos, finxit; quod ad homines ab intemperantia deterrendos plurimum valere debet.* [6] Hæ autem voluptates nobis & ceteris animantibus communes,ac temperantiæ,atque intemperantiæ ſubiectæ, in tactu & guſtatu inſunt; magis vero in tactu. nam guſtatu parum admodum, aut prorſus nihil intemperantes vtuntur. de ſaporibus enim proprie, ac iure ſuo ſenſus ille iudicat: quod faciunt ij, qui vina explorant, & obſonia condiunt, *guſtatu enim admodū vtuntur exquiſito: nec ideo dicuntur temperantes, vel intemperantes; cum guſtent, vt exiſtiment de ſaporibus,non vt voluptatem capiant.* [7] Intemperantes vero parum, aut nihil ſaporum perceptione delectantur, ſed voluptatum, quas profecto tactus efficit, tum in eſculentis, & poculentis:

S tum

tum iis, quæ ad Venerem pertinent [1]. Quapropter *Philoxenus* ille obſoniorum helluo, atq; gurges, collum dari ſibi optauit, collo gruis longius, vt qui ſummam è cibo percipiebat voluptatem, *dum per collum in ventrem demitteret. quare longius deſcenſionem eam in longiore tubo produci, optabat, vt voluptas eſſet diuturnior. at qui lingua pertentant ſapores, iudicant quidem de ſaporibus: ſed voluptatem inde non quærunt; nec niſi leuiſſimam, percipiunt.* Omnium itaque ſenſuum communiſſimus ille eſt, in quo ſita eſt intemperantia: meritoq; ea, vti turpis, & flagitioſa, maledicti loco poſſe obijci, videatur: propterea quod in nobis, non quà homines, at quà animalia ſumus, inſit. In eo igitur ſenſu delectari, eiuſque voluptates vehementius amare, belluarum eſt. quaſdam tamen excipio, quæ etſi in contactu ſunt poſitæ, liberales ſunt nihilominus: vt quæ frictione in gymnaſijs, aut calefactione gignuntur. in his locus intemperantiæ non eſt. neque enim in omnibus corporis partibus intemperans agit: nec eius contactus per totum corpus diffunditur: ſed quibuſdam partibus circumſcribitur: *ventre ſcilicet, & inguine.*

S C H O L I A.

1 *Temperantia igitur mediocritas eſt &c.*] *temperantia hic definitur, quæ virtus eſt particularis. nam aliquando ſumitur pro omni virtute morali; quam Euripides tangit cum ait,* Eſt omniũ mortalium ſe noſſe, temperantiam modumq; ſeruare. *hanc Plato in Charmide,* Actionem rerum bonarum *definiuit; cuius maximum vſum in obtemperando magiſtratibus poſitum eſſe, dixit 3. de Repub. Demum 4. de leg. temperantiam per omnem ciuitatem diffundi, omnemq; harmoniam, & diapaſon, complecti, tradit. Inde temperandi verbum ad varia traductum. vt temperare curſum nauis, & temperare iræ, maledictis, donationibus; & ſimiles non paucæ ſunt loquendi formulæ. de hac vniuerſali temperantia non eſt nobis ad præſens ſermo.*

2 *Quare non dicimus eos intemperantes.*] *florum odores per ſe delectant: alij ex euentu: ſcilicet deducendo ad ſapores: vt in pulmentis, obſonijs, & omnibus eſculentis; vt Ariſtoteles lib. de ſenſu & ſenſili tradit. odor igitur in quibuſdam tendit ad ſaporem, & ex euentu fit materia intemperantiæ. non ſic in alijs. quam diſtinctionem ſpectaſſe videtur Stratonicus, cum odores florum formoſos eſſe dixit: obſoniorum vero iucundos. vt Auctor ad Eudemum refert lib. 3.*

3 *Nam tranſeunte muliere.*] *Plinius lib. 13. de odoribus quibuſdam.* Summa eorum commendatio eſt, vt tranſeunte fœmina, odor inuitet etiam aliud agentes.

4 *Et ſi ad nidorem carnium.*] *Claudius Cæſar, cum ius in curia diceret, victus nidore carnis, inde ſe confeſtim proripuit, vt ventrem expleret. hic erat ei propoſitus finis. neque enim in ea delectatione per-*

ne perſtitit, quæ olfactu percipiebatur.

§ *Tribus vero ſenſibus iſtis.*] *ſæpe immanes beſtias cantus flexit, vt Cicero teſtatur in orat. pro Archia. Delphin Arionis cithara fertur delectatus. apes odore retinentur. ſerenitatis aſpectu animalia recreantur, vt canit 1. Georgicorum Virgilius. & quis neget philomenam à cantu aliquam percipere voluptatem? ſed rara hæc ſunt: & modica in ijs uoluptas. at Ariſtoteles de feris & iumentis loquitur, quæ paſtu magnopere delectantur; ceteris exiliter.*

De cupiditatum, & intemperantium hominum differentijs. Cap. XI.

CVpiditatum aliæ ſunt *naturales*, & communes: aliæ adſcitæ, ac propriæ. naturales atque communes ſunt, vt cibi cupiditas: omnes enim cum indigent, alimentum appetunt vel ſiccum, vel humidum, vel vtrumque: lectumq; iugalem adoleſcens, & qui ætate floret, appetit; vt apud Homerum *Thetis Achilli ſuggerit, quo de ſodalis illum interitu conſoletur*. propriæ vero cupiditates eæ ſunt, quæ non ab omnibus, verum ab his, illisue, pro ingenij diuerſitate, aſciſcuntur: vt appetitio alimenti huius, vel illius. hoc enim alimentum non iam omnes, nec idem omnes deſiderant. veruntamen etſi cupiditates hæ propriæ ſint huius vel illius, habent nihilominus quiddam inſitum à natura, *nec omnino aſcititium*. alij enim aliis delectantur natura ſua: *pro diuerſitate ſcilicet temperamenti: vel etiam odio quædam habent, vt nonnullis vinum ab incunabulis eſt inſuaue:* ac demũ nonnulla ſunt, quæ magis, quam res temere oblatæ, quoſdam homines delectant. *Propoſita igitur eiuſmodi cupiditatum diuiſione, quomodo in ijs peccetur, vt inde intemperantum differentiæ colligantur, videamus.*

In cupiditatibus naturalibus pauci offendunt; & hi in eo, quod plus peccant, non in eo, quod eſt minus. *peccant pauci, quoniam homines vt plurimum comedunt & bibunt, quoad naturæ appetitionem expleuerint:* peccant nihilominus, dum eſſe volunt, aut bibere caſu oblata, quo ad pleniores ſint, quam naturæ neceſſitas poſtulat. id enim modum naturæ conuenientem ſuperare eſt; natura vero cupit tantum, quod deeſt, accipere, & explere. *In eo vero, quod minus eſt, vt plurimum non peccant. nemo enim, ni vitam odio habeat, alimenta corpori negat ad ſuſtentationem neceſſaria.* Ceterum qui plus, quam opus habent, comedunt, γαστρίμαργοι, hoc eſt ventrẽ ſupra modũ implẽtes: vel rabie ventris correpti, appellantur. ac tales quidẽ euadunt, qui ſeruili admodũ ſunt ingenio. *parum.n.inter hos & mãcipia diſtat.*

At vero in propriis cupiditatibus complures, & hi multis modis, peccāt. Nam [1] φιλοτοιοῦτοι, hoc eſt talium rerum amici, vel ex eo dicuntur, quod ijs rebus delectētur quibus non oportet, *vt cadibus, & rapina:* vel quod nimiū delectentur, [2] *vt qui merum impenſius amant:* vel quod delectentur, vt vulgus facit, *ſordide ſcilicet, aut petulanter, vt qui pecuniam indecore (etſi non iniuſte) colligunt, atque conficiunt, aut qui Circenſia ſpectant procacius,* vel quod non ita delectentur, vt oportet, *vt qui compotationibus in publico incumbunt,* etſi raro id faciant: vel demum delectentur, qua parte non oportet. cum igitur huius aut illius rei amatores ex dictis cauſis appellentur: intemperantes omnibus in rebus modū ſuperant. gaudent enim ijs, quibus nō oportet, quæque ſunt odio digna, *vt alieno thoro:* permiſſis quoque voluptatibus delectantur pluſquam oportet, *vt qui vxoribus hærent libidinoſius, eaſque nimium admirantur: qualem Lydiæ Regem Candaulem depinxit Herodotus:* demum more vulgi ſe voluptatibus *indecore* dedunt, *ac ſine dignitate.* His modis circa voluptates per exceſſum peccatur ab intemperantibus. quos vituperabiles eſſe, ex dictis conſtat. Peccant ijdem circa dolores: aliter tamen ac ij, qui recedunt à fortitudine. Fortis enim ille dicitur, qui dolores ſuſtinet: *non fortis qui non ſuſtinet;* at intemperans non ex eo dicitur, quod dolorem non perferat: *(poteſt enim quis à carentia voluptatum ſenſu dolorem percipere; nec erit intemperans, ſi moderate ferat, ſed potius continens)* ſed quod moleſtius, quam debet, ferat, ſe omni corporis voluptate carere: ipſaq; voluptas *deſiderata, nec percepta* illi dolorē parit, *adeo iniqua eſt intemperantis conditio, vt de longinqua voluptate ne cogitare quidem poſſit, dolore vacuus.* Temperans vero dicitur tum, quod voluptatum carentiam haud ægre ferat: tum quod *præſentem* voluptatem aſpernetur, & prætermittat. *dolorem itaque lubens tolerat vir fortis: ignauus fugit: nec, niſi nolens, patitur. temperans non perfert, quia non ſentit ex voluptatum carentia dolorem. intemperans ex earumdem abſentia ſentit, & perfert nolens.* Omnia igitur, quæ iucunda, vel certe quę iucundiſſima ſunt, concupiſcit intemperans: atque à cupiditate trahitur, vt hæc ceteris habeat potiora. quapropter ſi illis potiri non poteſt, dolore angitur. ſemper enim enim cum dolore cupiditas coniuncta eſt: tametſi abſurdum videatur propter voluptatem dolore affici, *& à contrarijs contraria produci. Temperans vero delectatur quidem rebus iucundis: quod ſi non faceret, declinaret ad extremum intemperantiæ oppoſitum: ſed non permittit ſe ab illis rapi, & abduci. quin, vt Democritus aiebat, temperantia ſuauiora reddit ea, quæ iucunda ſunt; quoniam excludit ſatietatem.* In altero temperantiæ extremo ij ſunt, qui modum deſerunt, [3] minuſq; quam oportet, delectantur: homines ſtupidi, agreſtes, feri. ſed

hi raro

hi raro exiſtunt. non eſt enim humanus eiuſmodi ſtupor, omni pæne ſenſu hominem ſpolians; ipſisq; iumentis ineptiorem reddens. nam illa pabulum à pabulo diſcernunt: hisq; delectantur, illis non item. hominibus vero iſtis nihil eſt iucundũ, nihil inter hoc, & illud intereſt, quaſi ab omni ſenſu, & humanitate remotiſſimis; qui quoniam raro exiſtunt, nomine carent. Temperans vero inter hæc extrema moderationem tuetur. nam neque ijs delectatur, quibus maximopere intemperans: ſed offenditur potius: neque omnino quibus ex rebus capienda voluptas non eſt, ex ijs capit voluptatem: neque vlla eiuſmodi re vehementer delectatur; neque ſi res iucundæ abſint, diſcruciatur: neque eas concupiſcit: aut certe moderate: neque magis quam debet: neque quo tempore non debet: neque demum tale aliquid appetit. Quæ vero ita ſunt iucunda, vt ad bonam quoque valetudinem, vel ad optimum corporis habitum faciant, [4] ea modice concupiſcit: & modo, quo debet: tum reliqua, quæ tuendæ valetudini non officiunt, vel ab honeſto non abhorrent, aut quibus res familiaris non exhauritur. *nibil enim in hoc genere ſupra vires patrimonij, atque cenſus moliendum: nec valetudinis cauſſa, pari pretio plebeius homo, ac nobilis, atque diues, voluptatem emet; nec eodem ſumptu menſam inſtruet:* qui enim ſupra vires & conditionem ea perſequitur, ſe prodit vehementius, quam deceat, in eiuſmodi voluptates pronum. At temperans talis non eſt, ſed rectæ rationi obtemperat.

S C H O L I A.

1 Φιλοτοιᾶται, hoc eſt talium rerum amici.] Græci in coniungendis vocabulis feliciſſimi ſunt. quare ex eo idiomate plura huius rei adduci queant exempla; ſed non eadem felicitate poſſint Latine exprimi. Græcus interpres hic nonnulla affert eiuſmodi vocabula, ex duobus compoſita, quibus huius, vel illius rei nimium ſtudium exprimitur. Latine dicere licet coturnicolas, equicolas, vinicolas eos, qui coturnicibus, equis, vino nimium ſtudent. nos ficedulam appellamus auem, quæ ficubus pingueſcit, quibus illa magnopere delectatur: vt & carduelem ab eſu ſeminis cardui apte nominamus.

2 Vt qui merum impenſius amant.] à nimio potandi ſtudio Tiberius Claudius Nero dictus eſt Biberius, Caldius Mero.

3 Minusque quam oportet delectantur.] ingrati ſunt hi benignitati naturæ, quæ voluptatem dolori ſuccedere voluit, vt diem nox excipit, ſerenitas tempeſtatem. homo enim labori deſtinatus, erat voluptate aliqua recreandus, ne cito deficeret.

4 Ea modice concupiſcit.] Pompeius noluit Luculli turdis veſci: etſi cibus ille ſibi eſſet à medicis imperatus, nec ob anni tempus aliter, quam è caueis Lucullianis haberi poſſent, quibus incluſi ſeruabantur: addens, indignum eſſe, ni Lucullus luxuriaretur, Pompeium viuere non poſſe.

adeo

adeo valetudinem ipſam, ne dum cibi ad ſanitatem neceſſarij volupta-tem, paruifecit.

Confertur intemperantia cum timiditate. *Cap. XII.*

INtemperantes ſponte ac voluntate magis agunt, quam timidi. illi enim propter voluptatem agunt, ab ea inuitati; hi à re terribili perculſi, *vt dolorem fugiant*, ſuccumbunt, *& quodammodo à vi maiore ſuperantur*. optabilis vero eſt voluptas: dolor fugiendus. Dolor etiam eius, qui angitur, naturam de ſuo ſtatu deturbat; & interimit: mentem ſcilicet eripiendo, vel obruendo; at voluptas nil tale facit; immo quiddam eſt, quod *auide conſectamur, ne dum* ſponte noſtra perſequimur. Itaque probroſiorem & flagitioſiorem intemperantia facit, quam timiditas, *cum facilius illa euitari poſſit*. Facilius enim eſt rerum iucundarum mediocritati ſeruandæ aſſuefieri: (multa quippe huiuſmodi in vita occurrũt ob quotidianũ vſum: *eaq; incus tunditur perpetuo:* & hæc ad temperantiæ virtutem exercitatio periculo vacat. *Quin deſiderijs ad intemperantiam vergentibus poſſumus cum voluptate ſuccurrere, ac temperare. Nam ſi eſculento aliquo delecteris, potes eo mediocriter vti: ſi es in Venerem pronus, potes habere vxorem: & naturæ cupiditatem explere. At fortitudo per aſpera exercetur, & comparatur: per vulnera ſcilicet, cruciatus, mortem, quæ quidem aſſuetudo cum difficilis eſt, quod omnia ſæua, nihil iucundum in ſuo actu reperiat: tum non vacat periculo, ne dum per actus ſtrenuos ad fortitudinis habitum aſpirat, in ipſo conatu concidat. Alia quoque inter intemperantiam, atque timiditatem tum in vniuerſum, & quo ad habitum: tum in particularibus, ipſiſq; actionibus cernitur diuerſitas*. aliter quoque timiditatis habitus quo ad ſpontaneum conflatur: aliter facta illius ſingularia ſponte noſtra extimeſcimus. habitus.n.timiditatis ſponte cõtrhaitur, quia dolore vacat: ſed res particulares ei ſubiectæ adeo doloris magnitudine homines percellunt, vt illi non ſint apud ſe: arma abijciãt: aliaq; indecore admittant. idcirco violentæ apparẽt, *& inuitæ*. In intẽperantia cõtra fit. res enim ſingulares *cũ ſint iucundæ* ab eo ſponte ſuſcipiuntur: nempe à cõcupiſcente, & appetente: in vniuerſum vero intemperantiæ habitus non appetitur, nemo enim eſt, qui intemperans eſſe, eoq; ſe flagitio inquinare, cupiat: *minuſque cenſeatur indecorum fugere terribilia, quam voluptatibus mancipari. quare voluntaria magis quodammodo timiditas ex hac parte quoad habitum appareat, quam intemperantia, etſi re uera nemo timidus eſſe velit:* Nomen autem intemperantiæ ad

errata

ſtrata quoq; puerilia traducitur. dicitur enim ἀκολασία gręce: quę vox incaſtigationē ſonat. ἀκόλαστος enim eſt non caſtigatus, non cohibitus; quales pueri ſunt non obtemperantes pædagogis. ineſt enim inter intemperantes, & pueros iſtos quædam ſimilitudo; cum vtrique ob cupiditates caſtigatione egeant. [2] Vtrum vero à pueris ad intemperantes, an ab intemperantibus ad pueros eiuſmodi ſit appellatio translata, ad inſtitutum noſtrum nihil refert. perſpicuum illud eſt, alterum prius eſſe oportere, alterum poſterius: & à priore poſterius nominatum. Nec ineptè ſane tranſlatio hæc facta videtur. Id enim caſtigandum, & coërcendum eſt, quod turpia concupiſcit, & impunitate amplificatur: eiuſmodi ſunt cupiditates *intemperantum*, & pueri. nam etiam pueri cupiditatem, quaſi vitæ ducem ſequuntur: maximeq; in illis rerum iucundarum appetitio dominatur. itaque ni pareat rationi, eiuſque ſubſit imperio, ſerpet & manabit latius: multamque habebit vitij acceſſionem. [3] nam cum rerum iucundarum appetitio ſit inexplebilis, maxime in ſtulto, & amente: tum cupiditatis vſus, & voluptatum indulgentia vires eius, quod cognatum eſt, amplificat, *& incrementum affert cupiditati per ſe inexplebili*: quæ vbi maior effecta fuerit, mentem & rationem de ſede ſua detrudere, ac deturbare poſſit. Caſtigandæ igitur voluptates: dandaq; opera, vt modicæ ſint, nihilq; rationi aduerſentur. hoc enim eſt obedientem, & caſtigatum eſſe, quod communi ſermone vſurpamus: ſi puer ad cuſtodis, & magiſtri præſcriptum viuat: & concupiſcendi vis obtemperet rationi, & cum ea concinat. idque in viro temperante fiet, in quo vtrique animi parti, rationi ſcilicet, & cupiditati, honeſtum propoſitum eſt. ac de temperantia quidem hactenus.

SCHOLIA.

1 *Itaque probroſiore.] ideò Xenophon ex doctrina Socratis, hanc μανίας appellauit, quaſi furor & inſania foret, in eo crimine volutari.*

2 *Vtrum vero à pueris.] auctor librorum ad Eudemum in 3. ait, à pueris ad intemperantes traductum.*

3 *Nam cum rerum iucundarum.] Xerſes in Cyri ſolio nouam quæſiuit voluptatem: eaq; inuenta, non extinxit, ſed auxit ſitim, vt aliam & aliam architectaretur de nouo: ijs, qui inueniſſent, præmio propoſito. Libidinoſi non faciunt finem rebus Venereis, donec fractis viribus, corpore effœto concidant. Ea de cauſſa Cupidinem pingunt macie confectũ. Titius amator Latonæ, vulturem iecinore, ſubinde renaſcente, paſcit.*

Nec fibris requies datur vlla renatis.

Iecur ſedes eſt cupiditatis, quæ lancinat hominem: & ad modicum temporis expleta, non multo poſt rabie exſurgit vehementiore.

DE MO-

DE MORIBVS LIBER QVARTVS.

De liberalitate. Quæ ſit ei ſubiecta materia: quæ extremorum ratio: & quales functiones. Cap. I.

DEinceps de liberalitate dicamus, quæ, *ſi materiã remotam ſpectes*, mediocritas eſt in pecuniis occupata. *nam proxima illius materia eſt cupiditas pecuniarum, cui moderandæ primo & per ſe liberalitas incumbit.* neque enim in rebus bellicis, vel voluptatibus aſpernandis, vel in iudiciis laudem inuenit homo liberalis: ſed in donatione, & acceptione pecuniæ: magis vero in donatione. [1] Pecuniarum vero nomine complectimur ea omnia, quorum æſtimationem nummus metitur. & in donatione ſumptum omnẽ locamus, eoque nomine hunc volumus contineri. Eius extrema ſunt [2] ἀσωτία, quam profuſionem, vel prodigalitatem vertere poſſumus: [3] tum illiberalitas, græce ἀνελευθερία. prior illa exuperantiam ſpectat: hæc defectum. illiberalitas quoque vnius vitij notam ſubiectam habet, ac vnis illis adſcribitur, qui pecuniarum ſtudio tenentur. [4] aſotia vero multa ſecum aliquando affert vitia. interdum enim hominibus eam intemperantibus, magnosq́; ſumptus in voluptates corporis facientibus, attribuimus; eosq́; aſotos vocamus; profuſione atque libidine in vnum coniunctis. hac enim appellatione Græci eos ornant, qui in libidinem, atque intemperantiam patrimonia effundunt: quos latine prodigos, vel profuſos, ſimulq́; luxurioſos dicimus. *nam aſotia latine vix exprimi poteſt, niſi plura in vnum complicentur.* Improbiſſimi ſunt igitur aſoti, hac ſignificatione ſumpti. multis enim vitijs laborant. ſed improprie aſoti nomen ad ea translatum. Aſotus enim videtur propriè is eſſe, qui vno vitio affectus eſt: nimirum eo, quod rem familiarem perdat & conſumat. nam qui per ſe, ſuaque opera perit, is eſt nobis prodigus, Græcis Aſotus. perire autem, atque ſibi exitium creare videtur is, qui facultates diſſipiat: quaſi ex his tota viuendi ratio pendeat; *vnde ſubſtantiæ ſunt appellatæ.* [5] aſotiam igitur ſeu profuſionem pro ſimplici vitio, in pecuniis profundendis poſito, nõ pro vt ad alia ſe vitia extẽdit, vſurpamus. Huius vero virtutis, quæ liberalitas dicitur, opus, atque fructus eſt, optime diuitiis vti, quibus abuti poteramus. [6] quarum enim rerum vſus aliquis

quis eſt, ijs & recte & perperam vti ſolutum eſt, atque liberum. at diuitiæ in bonis vtilibus, *quæ ſcilicet vſui ſunt ad aliquem finem*, numerãtur. eſt igitur diuitiarũ & bonus, & malus vſus. Iam qui propria rei cuiuſq; virtute præditus eſt, is ea re optime vtitur: *vt citbara bonus citbarœdus; & equo, qui artẽ tenet equitandi.* optime igitur diuitijs vtetur is, qui virtutẽ eam, quæ ad pecuniarũ vſum pertinet, cõſequutus erit. hic eſt liberalis. Sed cum liberalis tum in largiendo ijs, quibus largiendũ eſt: tum in accipiendo ab ijs, à quibus eſt accipiẽdũ, verſetur: magis largiri quibus oportet, eius videtur propriũ, quã accipere à quibus oportet: nõ accipere à quibus non oportet. Nam pecuniæ vſus in donatione, atq; ſumptibus, & effuſione cõſiſtit. acceptio vero, & cuſtodia quærentis eſt potius, & ſeruantis, quam vtentis. *porro qui pecuniam cogit, quodammodo gignit: qui promit, vtitur. gignere vero, & vti ſunt admodum diuerſa.* Huc accedit, quod 7 virtutis proprium eſt magis, beneficium conferre, quam accipere: & res honeſtas, atque præclaras gerere, quam turpiter non facere. porro qui donat, beneficium confert, reſq; honeſtas agit: qui accipit, beneficio afficitur, & à turpitudine abſtinet. liberalis igitur in donando magis dignoſcitur, quam in accipiendo. Præterea ei, qui donat, habetur gratia, vti benefactori: non ei qui non accipit: potiuſque laus illi, quam huic tribuitur. *magis igitur in illo, quam in boc virtus occupatur.* Adhuc facilius eſt non accipere, quam donodare. ſuum enim quiſque mauult non profundere, quam alienum accipere; *nec tanta ſit, quod non babes, lucrandi cura: quanta ſeruandi, & apud te habendi, quæ poſſides. boc enim tuum eſt: illud alienum. virtus autem in difficilibus magis occupatur.* Communis quoque loquendi vſus id ipſum ſuadet. liberales enim ij dicuntur, qui largiuntur; at qui non accipiunt, vnde non oportet accipere, iuſti potius appellantur. Et qui largiuntur, laudem conſequuntur; qui vero accipiunt, vnde poſſunt accipere, non admodum laudantur. *virtus autem laudem poſt ſe trabit.* Denique omnium hominum, qui virtutis nomine cari ſunt, 8 maxime diligimus liberales; nam proſunt alijs: *& vtilitas in ceteros collata ipſis amorem conciliat.* hæc vero vtilitas à donatione, ac largitione eſt. apparet igitur liberalitatem magis in dando, quam in accipiendo, vel non accipiendo verti. Sed cum virtutis, eiuſq; functionum omnium finis honeſtas ſit: dabit liberalis honeſti cauſſa, & recte dabit. Nam & quibus dandum eſt, & quantum, & quo tempore inſpiciet: ac cetera omnia adhibebit, quæ rectæ donodandi rationi coniuncta ſunt. Et quæ largitur, libenter, & iucunde, aut certe non grauate largietur. Nam quod ex virtute geritur, aut iucundum eſt, aut à moleſtia vacuum: moleſtum vero minime, *vt in ſuperioribus diximus.* At qui dat quibus non eſt dandum, *vt lenonibus:* vel non ho-

neſti graria, ſed aliqua alia cauſſa impulſus, [9] *vt qui effundit ad vulgi fauorem aucupandum*, hic non eſt liberalis: ſed aliquo alio nomine appellabitur. *ille ſcilicet libidinoſus: hic ambitioſus*. Sed nec is, qui grauate donat eſt liberalis. anteponit enim pecuniã honeſtis actionibus: quod non faceret vir liberalis. Neque vero vnde non oportet, accipiet. nam hoc accipiendi genus non eſt eius, qui pecuniam non magni facit. *liberalis vero non eſt de pecunia ſollicitus, nec magnam eius habet rationem*. Nec erit in poſcendo procax, vel promptus ad petendum. non enim hominis eſt benefici facile beneficium accipere: videaturq́; id valde alienum ab eo, qui ceteros iuuare ſtudet, factusq́; quodammodo eſt ad benemerendum. Accipiet nihilominus vnde iure poteſt accipere: verbi gratia, de ſuis bonis, & fructibus: non quod eiuſmodi acceptioni *magna aliqua* honeſtas inſit: ſed quod neceſſe illi ſit, ita facere, vt habeat dandi facultatem. Quare non negliget rem ſuam familiarem, *vt Pelopidas fecit*; [10] ex ea enim aliis, quæ deſiderant, commodare, atque ſuppeditare poterit. *ea ſublata, perit benemerendi facultas*. Sed non quibusuis temere, ac ſine delectu largietur. inde enim fieret, vt illum ad largiendum quibus, quo tempore, ac loco largiri oporteret, atque honeſtas ſuaderet, pecuniæ aliquando deficerent. Magnopere vero liberalis hominis proprium eſt, ita in dando modum ſuperare, vt ſibi pauciora relinquat: *videlicet in ijs, quæ ſunt ſuperflua*. [11] nam ſui rationem *in ſuperfluis*, non habere, liberalis eſt. Iam vero à facultatibus liberalitas penditur, & appellatur; ijsq́; menſuratur. non enim in multitudine *ac pretio* eorum, quæ dantur, ſed in habitu, *& animo* eius, qui dat, ſita eſt vis liberalitatis. Dandum igitur eſt pro facultatibus; quod liberalis facit. quare nihil prohibet eum eſſe liberaliorem, qui pauciora donet: ſi modo ex paucioribus, *ac in fortuna tenuiore conſtitutus*, donet. Liberaliores autem videntur eſſe, qui ſuas facultates non comparàrunt ipſi: ſed ab alijs partas acceperunt. primum, quia egeſtatis incommodum non ſunt experti. deinde, quoniam quiſque partus ſuos habet cariores: vt parentes filios, poetæ verſus ſuos diligũt vehementius. qui ergo facultates pararunt, eas quaſi partus proprios amant, tuentur, & apud ſe habere ſtudent.

Poteſt addi tertia ratio. Nam felicius illi viuunt, quibus bona ſine labore contingũt. [12] *Et vt cucurbitam, omnium terræ fructuum inſulſiſſimam, dixit quidam, fore ſapidiſſimam, ſi æs non ſaperet: ſic de bonis hæreditarijs ſine labore partis ſentiendum. qui vero feliciter, & iucunde viuit, liberaliter facile ſe gerit.*

Difficile vero contingat, vt liberalis diuitijs abundet: quippe qui nec ad accipiendũ ſit attentus, nec ad cuſtodiendum pertinax: immo vero facilis, & paratus ad profundendũ; nec pecuniam, *quæ abundat,*

ſua

ſua cauſſa magni faciat: verũ vt aliis benefaciat: nec vltra eã æſtimet. immerito igitur vulgus fortunã criminatur, quod liberales minime omnium ſint diuites, qui tamen diuitijs, & rei familiaris copia ſint digniſſimi. hoc enim non temere, vel caſu contingit. Neque enim pecunioſus eſſe poteſt is, qui cogendæ, vel ſeruandæ pecuniæ nullam diligentiam adhibet; *quin collectam prompte effundit:* quemadmodum neque quicquam aliud ſine ſtudio, aut diligentia comparatur. In dando nihilominus honeſti formulas non negliget: non enim liberalitati conuenienter ageret, ſi quibus, quantum, quo tempore, loco, modo non eſt dandum, daret. & ſi ſumptum in hæc faceret, exhauriret cenſum: nec vnde impenderet in ea, quæ ſumptum deſiderant, & honeſtas poſtulat, haberet. Qui in hoc genere modum tranſit, *& profuſe ac ſupra vires donat,* prodigus eſt. [13] itaque Reges prodigos dicere non ſolemus. regiarum enim fortunarum vim, & copiam non videtur facile largitionibus exhauriri, ac ſuperari, poſſe. Largietur itaque vir liberalis quantum & quibus debet; & in eas res impendet, in quas debet: non aliter in paruis, quam in magnis: *nam & in modicis ingenium hominis deprehenditur:* Præterea vnde; & quantum accipere debet, accipiet. nam cum hæc virtus ſit mediocritas ad vtrumque pertinens: vtrumque, vt debet, adminiſtrabit. bonam vero donationem ſimilis acceptio conſequitur; *nec qui moderate largitur, in alienas fortunas impetum facere compellitur.* acceptio autem, quæ non eſt bonæ donationi ſimilis, contraria ei *quodammodo* eſt. *cum enim illa decens ſit, hæc indecens; à contrarijs cauſſis proficiſcuntur.* Non igitur bonam donationem vitioſa conſequetur acceptio: nec in eodem inerunnt. contraria enim ſimul eſſe nõ poſſunt. quæ autem mutuo ſe conſequuntur, *cum neque contraria, neque diſſimilia ſint,* non prohibentur in vno & eodem coniungi. bene igitur accipit, qui bene dat. Quod ſi contingat, vt contra, atque oporteat, ac præter honeſti formulas, vir liberalis ſumptum faciat: à populo forte ludos dare, vel ſpectacula edere, aut congiarium, viſcerationemue præbere compulſus: ægre feret ille quidem: ſed modice, & quemadmodum debet. *nec immoderate feret iacturam illam.* Virtutis enim eſt, quibus rebus, quo modo lætandum, & dolendum eſt, lætari ac dolere. *cauebitque liberalis, ne potius rei familiaris incommoda, quam honeſti violationem dolere videatur.* In ſocietate autem rei pecuniariæ, atque omni pecuniæ commutatione facilem ſe atque commodum præbet, *nec in rationibus ſubducendis, perſequendoq; iure ſuo, minutus apparebit, vel nimis attentus.* nam cum pecuniam contemnat, ad accipiendam iniuriam, *hoc eſt, detrimentum in bonis contra iuſtitiam tolerandum,* expoſitus eſt, nec ſe contra eiuſmodi armat iniurias: potiusq; grauatur ſe, cum res po-

ſtularet, ſumptum non feciſſe quam cum facere nō oporteret, feciſſe. neque laudat Simonidem, *poetam auarum & mercenarium: qui binas ſibi arcas domi eſſe dicebat: alteram gratiarum, alteram pecuniarum, quas pro pretio ſuorum carminum, acceperat. pecuniarum arcam plenam reperire ſe aiebat, quandocumq; aperiret: gratiarum vero ſemper inanem. Quin vir liberalis nummorum arcam plenam eſſe non patietur, neque gaudebit: gratiarum vero magno theſauro grauem perpetuo eſſe cenſebit: eaq́; cogitatione ſumma voluptate afficietur.*

Prodigus vero etiam in his offendit. nam neque gaudet, neque dolet, quibus, aut quomodo debet: vt infra planum fiet. ac donando quidem, & non accipiendo, modum ſuperat: *donat enim immoderate; & oblatis reÿciendis nimius eſt:* accipiendo vero modum deſerit, quia minus accipit, quam debet. Illiberalis vero donando modum deſerit: accipiendo ſuperat, præter quam in paruis. *quæ enim nullius momenti ſunt, illiberalis quoque dat, nec curat accipere; quæ ſumma eſt, & præcipua inter virum liberalem, & illiberalem differentia.* Quæ igitur profuſionis propria ſunt, non facile copulari, neque vna cohærere poſſunt. *contra vero ea, quæ ſunt illiberalitatis. ſtat enim accipere plus, quam oportet: donare minus, quam oportet.* At non facile eſt eum, qui à nemine accipiat, omnibus donare. [14] nam eos, qui cum ſint priuati, plus æquo largiuntur, [15] celeriter facultates deficiunt: hi vero prodigi ſunt: mali quidem ipſi: ſed auaris meliores; cum facile poſſint ad ſanitatem reuerti; [16] tum corrigente, vbi maturuerit, ætate: [17] tum cogente, vbi patrimonium fuerit exhauſtum, inopia. his enim ad mediocritatem facile prodigus redigitur. Facilis vero tranſitus iſte redditur. in prodigo enim inſunt omnia, quæ conueniunt liberali. nam & donat, & non accipit. ſed modum in his ſuperat. *quare paucis ablatis, ſeu reciſis, ad medium pertingit; nec opus habet quicquam aliunde quærere, aut in animum comportare.* quod ſi aſſueſcat ſuperflua amputare, aut aliqua alia ratione, *ſcilicet per ætatis aut fortunæ mutationem* immutetur, iam ſit liberalis. Nam correctus, & quibus erit dandum dabit: & à quibus accipiendum accipiet: non vnde accipere nefas fuerit. [18] Itaque vir prodigus non tam videtur eſſe mali moris, [19] quam maleſanæ mentis. modum enim largiendo, & non accipiendo ſuperare, nec improbi, nec humilis animi eſſe videtur. *ac eiuſmodi vitium in ratione magis quam in moribus inſit; quòd rationem potius vir prodigus labefactatam præſeferat, quam appetitionem, quæ morum ſedes eſt, corruptam.* [20] Auaro igitur melior eſt, cum propter cauſſas, quas diximus, tum quod prodigus iuuat multos, dum ſua largitur: ille nemini prodeſt, dum rebus partis non vtitur, ac ne ipſi ſibi quidem. Sed hoc tandem incommodi prodigalitatem ſequitur, quòd ea interdum tranſit in illiberalitatem *ſi hominem*

nacta fuerit in profundendo obſtinatiorem. accipiunt enim vnde non debent; fiuntq; ad accipiendum faciles, vt habeāt, vnde ſumptus facere poſſint. prodigos enim cito deficiunt rei familiaris copiæ; *cum omne finitum abſumatur ablatione finiti; vt in phyſicis dictum eſt.* ad aliena igitur animum conuertere coguntur: &, vt nullam honeſti rationem ducunt, ac ſine religione viuunt, ita ſine diſcrimine pecuniam vndique corradunt. volunt enim largiri: at quomodo, aut vnde largiantur, non magnifaciunt. Quare ne liberales quidem ſunt eorum donationes: cum nec honeſtæ ſint, nec honeſtè fiant, *ſed ſint cum rapina coniuncta: careantq; iudicio, & bono fine.* nam interdum homines perpetua dignos inopia, locupletant: & cum ijs, qui moribus honeſtiſſimis præditi ſunt, nihil donent, [21] in aſſentatores, aliarumue voluptatum miniſtros multa largiter effundunt. [22] Itaque eorum plerique ſunt intemperantes, *quod alterum eſt crimen prodigalitati adiunctum.* nam cum ſint ad ſumptus faciendos procliues, etiam in res obſcœnas, & ab intemperantia natas ſumptuoſi ſunt: & cum vitam honeſti regula non dirigant, ad voluptates prolabuntur. In hæc igitur vitia impingit prodigus, ſi cuſtode careat, & magiſtro: alicuius vero curæ commendatus, ad mediocritatem perueniat. ſanabilis igitur: Illiberalis vero, & auarus inſanabilis. ſenectus enim & omnis imbecillitas prodigis conferunt ad ſanitatem: auaritiæ morbum augent, & hominem illiberalem efficiunt. huc accedit, quod hominibus illiberalitas magis innaſcitur, quā profuſio. potius enim pecuniæ ſtudio ducimur, quam ad largiendum prompti ſimus: *natura ipſa ſuadente, vt noſtri potius, quam aliorum curam geramus. frequentior igitur atque tenacior auaritiæ labes eſt, quam prodigalitatis, ac proinde difficilioris curationis.* [23] Demum illiberalitas latiſſime manat, & eſt multiplex. Cum enim in duobus vertatur: in dando infra modum, & minus quam decet: & in accipiendo ſupra modum, & magis quam decet: diuellitur interdū, & ſeiungitur, nec integra eſt in omnibus. Alij enim accipiendo modum ſuperant, alij deſerunt. Qui dando modum deſerunt, parci, tenaces, ſordidi appellantur. *idque vnum eſt auaritiæ genus.* hi nec aliena appetunt, nec accipiunt: diuerſas tamen ob cauſſas. alij enim bonitate quadam naturæ, ac rerum turpium cauendarū ſtudio ducuntur, *vel ſe duci ſimulant.* (aiunt enim nonnulli, ſe idcirco ſua ſeruare, ac tenere, vt ne inopia coacti aliquid turpe admittere cogantur: quorum è numero eſt cumini ſector, *taxatus in comœdia, vel publico ſermone diſſertus,* & quiſquis ex eo nomen traxit, quod ſupra modum tenax ſit:) alij vero, metu deterriti, ſe à rebus alienis abſtinent, *ne eodem exemplo à ceteris diripiantur, vel de beneficio conferendo poſtulentur:* quaſi non ſit facile eum, qui aliena tollat, ab aliis tueri ſua. *vel quod referenda gratia rei*

fami-

familiaris iacturam pertimeſcant, aut, non referenda, ingrati animi notam. eligunt igitur neque ab alijs accipere, neque aliis dare. *Vnius itaque illiberalitatis generis duas habemus partes. Alterum vero genus in ijs cernitur*, qui in accipiendo ſunt nimij, cum quidlibet vndique accipiant. quales ſunt ij, qui operas illiberales præſtant, *à bonis inquam, moribus abhorrentes*: vt lenones, ceterique eius notæ homines: fœneratores, & ij, quibus exiguum lucrum magna mercede, *infamia ſcilicet, ac turpitudinis, conſtat, quales ſcurræ ſunt, & ganeones*: ſeu qui ex rebus paruis magnos quæſtus *per fraudem vel doloſe* faciunt; *vt caupones*. Hi enim omnes à quibus non debent, & quantum non debent auferunt; *à quibus non debent lenones: quantum non debent fœneratores, & caupones*. ſed illud commune habent, vt cum turpitudine lucrentur; cum propter exiguum quæſtum, turpitudinem ſubire non deſiſtant. Ex horum nuniero Tyrannos eximas, qui vrbes euertunt, templa expilant, & omnino multa & magna à quibus, & quæ non debēt, auferunt. eos non auaros, ſed improbos potius, & impios, atque iniquos appellaueris. [14] Aleatores vero, & graſſatores, qui obuios ſpoliant, atque latrones in illiberalibus habendi. nam turpem quæſtum conſectantur. éius enim cauſſa vtrique, tum hi, tum ſuperiores in negotio verſantur, & dedecora, ignominiasq; perferunt: ſed hi poſteriores cum maximo periculo *vel iacturæ rei familiaris, vel capitis* lucrum quærunt. illi *in tuto collocati* ab amicis, quibus donare debebant, pecuniam emungunt, Ʒ quæſtum faciunt. *qua ratione ſunt illi, quam hi magis odioſi*. omnes tamen in turpitudine vitam degunt. Merito autem illiberalitas liberalitati contraria eſſe dicitur: *etſi eidem ex aduerſo extremo prodigalitas opponatur*. illiberalitas enim malum eſt profuſione maius, ac deterius: ac facilius & ſæpius in hac, quam in illa, mortales offendunt. *Supra vero docuimus, hanc eſſe firmam dignoſcendi, ex duobus extremis quod nam maxime repugnet medio, regulam: ſi deterius ſit: ſi magis homini familiare*: Ac de liberalitate quidem, atque vitiis, quæ cum ea pugnant, hactenus.

S C H O L I A.

1 PEcuniarum vero nomine.] Vlpian. l. pecuniæ ff. de verb. ſignif. pecuniæ appellatione omnia corpora venire docuit. addo & iura, & actiones, & quæcumque pretio æſtimantur in eandem appellationem concedere. qua ratione M. Cicero hæreditatem definiuit pecuniam defuncti. quare pecuniæ nomine res ſacras comprehendi negant Iuriſconſulti, quod non ſubiacent pretio.

2 Ἀσωτία & ἄσωτος *dicuntur* παρὰ τοῦ σώζειν *quod eſt ſeruare: & particula priuante* α *ideſt ab eo, quod ſe quis ſeruare non poſſit. ſibi. n. interitum parare videtur, qui ſuas facultates diſſipat: vt in hoc cap.*

docet Ariſtoteles. vnde Comicus: Non hoc argentum perdis, ſed vitam tuam.

3 *Tum illiberalitas.*] *appellatio a ſordibus ducta. illiberalis enim eſt, & ſordidus, qui contra dignitatem nimis in re familiari paranda, tuendaq. eſt occupatus.*

4 *Aſotia vero.*] *tribuitur enim ijs qui luxurioſe viuendo, patrimonia deuorant. ſic Gellius aſotian interpretatur luxum, & popinationem. Budæus quoque aſotos ait vno verbo Latine homines nequam ſignificantiſſime dici poſſe: hoc eſt, luxu & ganeæ ſtudio perditos. M. etiã Cicero 2. de Finibus aſotos appellat eos, qui gulæ & ventri dediti, patrimonia conſumunt. denique Theophilus inſtit. de action. §. in duplum, luxurioſe viuere vertit, ἀσώτως ζῆν, vt notat Anton. Auguſt. l. 3. cap. 2. his quadrant illa Martialis lib. 4.*

Sotæ filia Clinici Fabulla
Deſerto ſequeris Clitum marito.
Et donas, & amas. ἔχεις ἀσώτως.

5 *Aſotiam igitur.*] *Thetphil. §. furioſi. Inſtit. de Curator. & §. item prodigus. inſtit. quib. non eſt permiſſ. fac. teſt. prodigum proprie ſumptum vertit ἄσωτον; eum ſcilicet, qui neque finem, neque modum expenſarum habet: ſed bona ſua dilapidando profundit; quæ eſt prodigi definitio, tradita l. 1. ff. de Curat. fur. Hunc eundẽ euerſorem appellat Caius lib. 1. inſtit. de tutelis.*

6 *Quarum enim rerum vſus aliquis eſt.*] *vſus earum rerum propriẽ eſt, quæ ſunt de genere vtilium, & propter aliud, vt inſtrumenta. his bene vel male vti poſſumus. quare & diuitijs vtimur, atque abutimur. virtutis vero non eſt vſus, nec abuſus, quia non eſt propter aliud: ſed inter honeſta, & honore digna numeratur. Omnis vero habitus, cuius beneſitio re aliqua, cum abuti potuiſſemus, bene vtimur, eſt virtus. Ariſtot. hic & lib. 2. eth. & D. Auguſt. 2. de lib. arb. cap. 19. virtus ergo eſt liberalitas.*

7 *Virtutis proprium.*] *Ideo 2. Rhet. definiuit virtutem eſſe vim, & poteſtatem conferendi beneſitia multa, & magna in mortales.*

8 *Maxime diligimus liberales.*] *Boetius lib. 2. de Conſolat. Largitas maxime caros facit. D. Ambroſius lib. 1. offic. cap. 28. Iuſtitia excellentior videtur: liberalitas vero gratior. Sed intellige liberales maxime diligi amore, qui eſt in bonum vtile: non in honeſtum. Alioqui liberalitas eſſet nobiliſſima omnium virtutum.*

9 *Vt qui effundit ad vulgi fauorem.*] *talis in C. Cæſare fuit liberalitas, quam merito ſiniſtram dixit Catullus.*

10 *Ex ea enim alijs, quæ deſiderant.*] *liberalis hominis eſt amicis benefacere. quare Alexander, à Xenophonte pecunia remiſſa, quod iactaret ſe illa non egere, dixit, mirum eſſe, ſi ille nullum ſaltem haberet amicum,*

eum, qui egeret: ſibi certe vix Darij opes in amicos ſuffeciſſe. Dionyſius negauit in filio regium eſſe animum: qui vaſis aureis innumeris à ſe acceptis, illa potius apud ſe habere, quam donando demereri hominum animos, ac ſibi deuincire ſtuduerit.

11 Nam ſui rationem in ſuperfluis habere.] *liberalis naturam imitatur, quæ ſuperfluum alimentum in ſemen conuertit, ad ſe alijs communicandam: neceſſarium vero ſibi retinet. at prodigus naturam egreditur: & quæ ſibi neceſſaria ſunt, eijcit.*

12 Et vt cucurbitam.] *Inter ea, quæ vitam beatam faciunt, à Martiale primum ponitur,* Res non parta labore.

13 Itaque reges prodigos.] *raro enim id de regibus vſurpamus. Caligula nihilominus, vt ſcribit Suetonius,* immenſas opes, totumq; illud Tyberij Cæſaris vicies ac ſepties millies HS. non toto vertente anno abſumpſit. Exhauſtus igitur atque egens, ad rapinas conuertit animum: vario & exquiſitiſsimo calumniarum, & acuſationum, & vectigalium genere.

13 Nam eos, qui cum ſint priuati.] *his enim videtur proprie hoc vitium competere, non tyrannis: qui omnium fortunis imminent: à quo tamen Alphonſus Rex longe abſuit. Nam equiti prodigo ſubinde aliquid petenti,* Si pergam, *inquit,* tibi dare, quæ petis: citius me pauperem, quam te diuitem reddidero. qui enim tibi donat, aquam cribro, vel pertuſo dolio infert. *vox ſummæ moderationis index in Principe, qui exiſtimaret, non ſibi omnia in omnium fortunas licere.*

15 Celeriter facultates deficiunt.] *acute igitur Diogenes, à ceteris obolum petere ſolitus, à prodigo flagitabat minam;* quoniam, *aiebat,* ab alijs iterum me accepturum ſpero: ab hoc vero, an vnquam poſt hac ſim habiturus, in genibus Deorum ſitum eſt. *Idem cum ædibus prodigi eſſet inſcriptum.* Venales; facile, *inquit,* diuinabam fore, vt præ crapula immodica domum euomeres.

16 Tum corrigente.] *debilitatis per ætatem viribus, fiducia deficit: cura pecuniæ, tanquam vitæ ſubſidio aliquando neceſſariæ futuræ, creſcit. quare Themiſtocles adoleſcens ob prodigalitatem exhæres à Neocle patre factus eſt. Fabius quoque maximus & ipſe in adoleſcentia vitam corruptiſſimam per profuſionem traduxit. vterque tamen in ætate perfecta mores ita immutauit, vt nihil ad præſtantiſſimi viri laudem in illis deſideraretur.*

17 Tum cogente, vbi patrimonium &c.] *inopiam ſemel expertus, cauet ne amplius in eum ſtatum labatur: & attentiſſime cauet. docet experientia, eos, qui ab ampliſſimis excidere fortunis, & ad paupertatem deuenere, ſi quando ſubleuentur, eſſe omnium auariſſimos.*

18 Itaque vir prodigus.] *Ariſtoteles conſiderat prodigum non in ſe: ita enim non poteſt, non dici male moratus: ſed qua reſpicit alios, quibus*

damno non eſt. in ſe vero vitioſus eſt, quia caret ordine, ac regula rationis.

19 *Quam maleſanæ mentis.*] *Idcirco ſtulti appellantur. Rex ille Aegypti ne dum Epiphanes eſt appellatus: ſed & Epimanes, tanquam enormi profuſione inſaniret. Hinc legibus cautum, vt prodigo detur curator ad inſtar furioſi. Vlpian. l. 1. de curat. furioſ. & alijs dand. Tyberius Cæſar Senatori luxurioſe viuenti curatorem impoſuit, vt Dion ſcribit lib. 57. Lucio Lucullo, domitori Tygranis & Mithridatis, ex cauſſa alienatæ mentis, M. Lucullum Curatorem datum, teſtatur Plinius lib. de vir. illuſt. ac merito id conſtitutum. Prodigi enim, etſi ſermone oſtendunt ſe eſſe mentis compotes, tamen, quod ad ipſorum pertinet bona, furioſum faciunt exitum, vt Vlpianus ex reſcripto Diui Pij refert l. 12. de tutor. & curat.*

20 *Auaro igitur melior eſt.*] *Sed cum auarus in alium delinquat, prodigus in ſe ipſum: an non hic illo grauius delinquet? Sed aduertendum eſt, illiberalem, & auarum peccare quoque in ſeipſum. primum quia bonis partis non vtitur, ac eorum fructu ſeipſum priuat. nam*

Quærit, & inuentis miſer abſtinet, ac timet vti.

Et Semper auarus eget.

Iuuenalis Sat. 12.

Non propter vitam faciunt patrimonia quidam:
Sed cæci vitio, propter patrimonia viuunt.

Et Sat. 14.

Sed quo diuitias hæc per tormenta coactas;
Cum furor haud dubius, cum ſit manifeſta phræneſis,
Vt locuples moriaris, egenti viuere fato?

Heliogabalus, homo prodigus, votum habuit omnino huic oppoſitũ. monitus. n. in priuata fortuna, ne profuſus adeo eſſet, quod facile in egeſtatẽ incidere poſſet. Quid, *inquit,* melius, quã vt mihi, & vxori meæ ſim hæres? *Deinde, illiberalis graue ſibi damnum infert per contemptũ honeſti. quare ſe ſcelere aſtringit, eſtq; prodigo nequior. Sed hic obiter notandum, neminem dici liberalem erga ſeipſum. nam liberalitas eſt ad alium. Seneca 5. de Beneficijs. cap. 3.* Non eſt liberalis quis ex hoc, quod ſibi donat.

21 *In aſſentatores.*] *recte Crates Thebanus horum diuitias dixit eſſe ſimiles arboribus frugiferis, in locis præruptis inter præcipitia naſcentibus: quarum fructus homo, locorum difficultate impeditus, non guſtet: ſed coruis tantum, & volucribus vſui ſint.*

22 *Itaque eorum plerique ſunt intemperantes.*] *merito igitur leges aduertunt in prodigos aliquanto ſeuerius, quam in homines non male moratos aduerti poſſe videatur. ab hoc enim vitio, non admodum in ſpeciem malo, ad alia grauiora fit gradus. Lex erat Solonis, referente*

Laërtio: Qui patrimonij verſuram fecerit, infamis eſto. Eoſdem grauí multa à Corinthijs puniri ſolitos tradit Athenæus lib. 6. Mileſiorum inſtitutis, qui patrimoniū conſumpſiſſent, priuabantur patrio ſepulchro. Democritus, diſſipato patrimonio, ne in ſimiles pœnas incideret, magnū illum Diacoſmum ciuibus ſuis legiſſe fertur. quo nomine magna pecunia donatus eſt, & publico poſtea funere elatus. vt auctor eſt Laërtius. Sed & Athenæus lib. 4. ſcribit, illum ab Abderitis ea de cauſſa damnatum eſſe: poſtea vero multam eidem remiſſam, vbi mundi, & inferorum arcana ſenex explicaſſet: affirmaſſetq́; iureiurando, ſe ſua bona illis indagandis, conſumpſiſſe.

23 Demum illiberalitas latiſſime manat.] hoc eſt, multis in ſe ipſa modis complicata, multaq́; genera complectens, ad varia traducitur.

24 Aleatores.] aleæ nomine continentur ludi omnes à caſu pendentes: vt cartularum pictarum, teſſerarum, talorum, aſtragalorum.

Aleatorum pœna Aedilium curæ fuit. Martialis.

Aedilem rogat vdus aleator. Et

Nec timet ædilem moto ſpectare fritillo.

Seneca loca ædilem metuentia, popinas, in quibus frequenter alea luditur, & proſtibula dicit. Cur autem aleæ ludo mortales prohibendi ſint, docet multis Io. Salisburgen. lib. 1. Polycratici cap. 5.

Notandum eſt vltimo loco, Ad perfectam liberalitatem hæc requiri. primum, vt largitio fiat iuxta facultates dantis. deinde, vt ne detur improbis. tertio, quod datur, ſit à dante iure poſſeſſum. quarto, vt adſit loci, ac temporis opportunitas. neque enim omnia publice, omniq́; tempore danda. quinto, vt cito detur. Nam vt ait Seneca, ingratum eſt beneficium, quod diu inter manus dantis adhæſit. ſexto, vt detur ſine triſtitia. vltimo, vt detur ob honeſtum finem; non ob vtile.

Eius extrema ſunt prodigalitas, & auaritia. prodigalitati ſæpeſæpius alienorum iniuſtam acceptionem comitari docet hic Ariſtoteles. eadem auaritiæ, non ex rei natura, ſed ex hominis improbitate, adiuncta eſt. neque enim minus dare ex ſe ducit ad id, quod eſt magis accipere. ſed magis dare poſt ſe trahere videtur magis accipere. neque enim profuſæ largitioni ſufficit, qui non aliunde accipit, pluſquam iure accipere poteſt. vbi vero auaritia, quæ illiberalitas eſt, & in minus dando conſiſtit, alienorum ſurreptionem aſſumit, iam non opponitur liberalitati, ſed iuſtitiæ; vt infra lib. 5. cap. 1. & 2. habetur. Simplex tamen illiberalitas peccatum eſt, quia diuitias reſpicit quaſi finem: cum eæ non ſint de genere honeſtorum: ſed vtilium: nec proinde finis ſint: ſed tendant natura ſua ad finem. malum vero finem multi ſequuntur actus praui; cum finis ſit actuum humanorum principium. multorum igitur criminum fons eſt auaritia. Hæc eadem auaritia, vt iuſtitiæ opponitur, ſumpta, non habet extremum contrarium vitioſum: vt

loco citato tradit Ariſtoteles. Illi enim ſic ſumptæ opponitur in aduerſo extremo, minus habere, quam ius poſtulet. id vero damnoſum eſt, non vitioſum.

De magnificentia. Quis ſit magnificentiæ campus: qui fines: quæ extrema: & vt ſe vir magnificus gerat. Cap. II.

MAgnificentia, quam μεγαλοπρέπειαν Græci dicũt, Latine verbum verbo reddendo, magni decentiam appellare licet, virtus eſt in pecuniis occupata. ideo poſt liberalitatem de hac proxime agendum. Verum non ad omnes pecuniarias actiones pertinet, vt liberalitas: ſed ad ſumptuoſas tantum, & magnas. nam, vt nomen ipſum indicat, ſumptus eſt in rebus magnis, & amplis decorus. [1] liberalitatem igitur magnitudine ſuperat. Magnitudo vero ad aliquid refertur. *neque enim dicitur, quid magnum, niſi cum altero conferatur.* decorum igitur perſonæ, & loci, & temporis, & rerum, in quas pecunia pronitur, ſpectandum. neque enim ſumptus idem trierarchum decet, & theoridis præfectum: [2] *grandis videlicet, ſacriq; nauigij illius, quod ab Athenienſibus Delphos mittebatur ad rem diuinam faciendam. hunc enim ſumptus longe maior decere videtur, quam trierarchum.* Sed præter perſonam locus etiam ſpectandus. *In hoc genere peccant illi, qui nimiam in villa ſectantur elegantiam.* tum tempus & occaſio: *ne ſine fructu, alieno tempore ſtudioſe quæſita potius videantur, quam forte fortuna oblata.* demum res, in quas impenditur, *ne ſint inanes, diligenter ſpectandum. neque enim ſine riſu omnium, qui aderant, Xerſes per Lydiam faciens iter, Platani ramos veneratus eſt: torquibus aureis, & armillis inditis, & curatore relicto, qui cuſtodiret.* Qui autem ſumptus facit in res paruas, vel mediocres, etſi pro rei dignitate faciat, magnificus non eſt: vt qui *apud Homerum* dicebat, Mendicoque vago dare ſæpe ſolebam. ex quo ſequitur eum, qui magnificus eſt, eſſe quoque liberalem: ſed eum, qui liberalis eſt, non continuo eſſe magnificum. *vt quod bipedale eſt, pedis menſuram in ſe continet: pedale vero non complectitur duos pedes.*

Magnificentiæ duo ſunt extrema: alterum quod deficit, & indecora parſimonia appellatur: Græcè μικροπρέπεια: *quaſi paruidecentia*: alterum quod excedit, & [3] βαναυσία, hoc eſt fabrilis quædam in ſumptu faciendo inſolentia: tum etiam ἀπειροκαλία, ideſt, elegantiæ inſcitia, & honeſtatis vacuitas dicitur. *talem dixerim Aeſopi tragœdi filiũ, qui aues cantu nobiles, immani emptas pretio, pro ficedulis appoſuit conuiuis. magna opiparæ cœnæ ruditas. quid enim cantui cum palato?*

Hæc vero extrema ſunt,& modum ſuperant, non magnitudine rerũ, (magna enim virtus hæc perſequitur, eaq; tangit quaſi medium) ſed eo quod in ijs rebus honorem oſtentant, in quibus non oportet, & quomodo non oportet. rudes enim ſunt vanauſi, & apirocali. At magnificus homini ſcienti, ac bene perito ſimilis eſt. quod enim decorum eſt,animo cernit, [4] & ſumptus magnos concinne, atque decore facit: cum, vt ſupra lib.2.diximus,omnis habitus actionibus, & ijs rebus,quarum eſt habitus,terminetur, & definiatur. *magnificentia vero in rebus magnis & decoris, vt in proprio campo, vagatur.* Sumptus igitur viri magnifici cum & magni ſint,& decori; talia eius quoque exiſtent opera. ita enim ſumptum magnum, & ad opus accommodatum,& decorum dicemus. Et cum opus ſmptu dignum eſſe debet, tum operi debet reſpondere ſumptus, aut etiam eo eſſe ſuperior. *Si enim liberalis non magni facit,vt opus ſumptui ad commenſum reſpondeat; multo minus id magnificus curabit.* Verum hæc omnia magnificus faciet honeſti gratia, (quod ceteris virtutibus commune eſt) & iucunde faciet,copioſe,prolixe,atque adeo effuſe. nam ſubtilius rationes ſubducere, ac omnia minutatim conſectari, hominis eſt parſimoniam indecoram ſectantis. [5] Inſpiciet etiam curioſius, quomodo opus pulcherrimum, & quam maxime decorum efficiat, quam quanti,& qua ratione minimo efficiat. *hoc enim propoſitum habet: operis ſplendorem.* [6] Neceſſario igitur vir magnificus erit liberalis, *hoc eſt, quæ ſunt viri liberalis,modo quodam eminentiore,in illis tamen rebus, in quibus magnificus eſt, complectitur;* nam hic impendit,quæ oportet,& vt oportet: quod & magnificus facit. [7] Sed in his quicquid magni eſt, viri magnifici proprium eſt: magnitudo ſcilicet.& amplitudo. Sed cum liberalis,atque magnificus in ſumptibus faciendis verſentur,hic tamen pari impenſa opus,quam ille, magnificentius efficiet. Non enim ab eodem rei familiaris poſſeſſio,& opus laudantur. Nam quod poſſidemus in rebus domeſticis, maius putatur, ſi maximi eſt pretij,vt aurũ: [8] opus vero illud laudatur magis,& carius habetur,quod magnitudine,ac pulchritudine excellit. eiuſmo di.n.operis ſpectatio admiratione afficit: admiratio vero rebus magnificis adiuncta eſt. quod.n.magnificũ eſt,id admirabile eſt: operiſq; virtus ac preſtãtia in magnificentia ſita eſt :magnificẽtia vero in magnitudine cõſiſtit. *ab æquali ergo ſumptu viro magnifico,& liberali aliquid moliturus: liberalis rei pretium ſpectabit magis: magnificus vero pulchritudinem & maieſtatem operis: vir enim magnificus ad magna fertur: liberalis vero vtilitatem magis ſpectat aliorum.* Sumptus autem magnifici viri proprij ſunt ampli, honorati, ac dignitatis pleni, verbi gratia dona, quæ ſuſpenduntur in templis, Dijsque dicantur, conſtructiones templorum, ſacrificia: & quæcumque in diuinos ho-

nores

nores impenduntur: vel in rempublicam honeſtæ laudis ſtudio conferuntur: vt ſplendidi ludi populo dati, cantorumq; gregibus inſtructi: de ſuo adminiſtrata triremium præfectura: epulum ciuitati quam largiſſime præbitum. Sed in omnibus ratio præcipue habenda eſt eius, qui agit, & magnifice ſe gerere vult: quis inquam ſit: quæ eius facultates. ſumptus enim facultatibus reſpondere, & aptari debent: neque ſolum operi conuenire quod geritur, ſed etiam perſonę, quæ gerit. [9] quo circa nemo pauper magnificus eſſe queat; quia nõ habet vnde ſumptus conuenientes, & decore faciat: quod ſi facere conetur, ſtultus videatur: cum præter dignitatem, & præter id quod fieri oporteat, conetur. Quicquid autem recte fit, id omne ex virtute fit. *non ergo ad magnificentiæ virtutem conatus iſti tenuium hominum ſpectant: quia non recte fiunt.* Decet autem magnifice facere cum eos, qui facultates labore, atque virtute ſibi pepererunt, aut à maioribus, vel neceſſitudine aliqua coniunctis acceperunt: [10] tum honeſto loco natos, claroſq; viros, ſeu tali aliqua laude inſignes: *magiſtratu, ſcilicet, vel ſummo aliquo in Republica munere, atque gradu conſpicuos.* Ineſt enim in huiuſmodi hominibus amplitudo quædam, atque dignitas, *eosque magnifica decent: ceteros dedecent: vt ſutorem illum prædiuitem, qui ludos Populo Romano exhibere auſus eſt.* tales igitur ſunt viri magnifici: maximi ſcilicet, & honore digniſſimi: & in huius generis ſumptibus magnificentia elucet, *publicis, inquam, in Dei cultum, vel Reipub. ornamenta ſuſceptis.* Sed & in priuatis ſumptibus ijs, qui ſemel fiunt: *vel eo ſuſcipiuntur voto, vt ſemel fiant,* locum habet magnificentia: quales ſunt nuptiæ, & ſi quid eius eſt generis: & ſi qua eſt res, in qua tota ciuitas, vel ij, qui dignitate præſtant, ſtudioſe occupantur; *vt in equorum, armorum, triremium fabricandarum ſtudio.* Hoſpitibus quoque recipiendis ac dimittendis: in donis, *quæ magnis viris dantur,* & remunerationibus hæc virtus locum habet: *hæc enim commune bonum, ciuitatiſq; dignitatem ſpectant.* atque magnificus non eſt in ſeipſum ſumptuoſus, ſed in rem communem, & publicam. Dona vero priuatim facta ſimile quiddam ijs rebus habent, quæ Dijs conſecrantur, & in eorum templis collocantur. *vtraque enim dantur honoris ergo: quare etſi priuatim fiant, augent nihilominus ſplendorem ciuitatis: ſuntq; viri magnifici propria.* Eſt etiam viri magnifici domum ædificare ſpecie ac magnitudine diuitiis reſpondentem: (aliquid enim inde ornamenti comparatur) & pecuniam potius impendere in illa opera, quæ diuturnitatem, atque ſtabilitatem ſunt habitura. ſunt enim hæc pulcherrima, *quæ formæ adiungunt firmitatem: Perperam itaque Siculos reprehendit olim quidam, quod domos extruerent quaſi ſemper victuri. neque enim ſibi tantum conſtruenda domus, verum & poſteritati magis: ac*

vbique ſplendori vrbis proſpiciendum. In omui autem opere atque ſumptu decorum ſeruare oportet. non enim eadem Dijs & hominibus conueniunt: nec eodem ſumptu templum, & ſepulchrum ædificandum eſt: *quo nomine Artemiſiæ Mauſoleum iure queat à Cenſore notari*. Sumptus vero magni, etſi in ſe magni ſint: nihilominus non ſunt magnificentiſſimi, niſi in opere magno ſiant. & in quacumque re peculiari ſumptus hic ſplendidiſſimus eſt, qui in his rebus magnus eſt: *etſi in alias res maiores collatus non eſſet magnus. decorum enim ſectatur magnificus*. Intereſt autem inter id quod eſt in opere magnum, & id quod eſt in ſumptu. [11] Ita pila, ſeu ad ludendum parua comparata ſphæra, tum ampulla, ſeu lecythus, affabre facta, auro ornata, vel diſtincta, magnifica in ſe ſunt, vti ad puerile donum fabrefacta, ſed pretij exigui, ac forte illiberalis. ſunt igitur opere magnifica ex genere ſuo: atſi ſumptum ſpectes, non ſunt magna. ſed magnificus cuiuscumque generis opera efficiat, ea magnifica eſſe vult. neque enim vult in opere ſuperari: & ſumptum vult magnitudini reſpondere. quare in paruis quoque, atque adeo puerilibus magnificentiam retinere ſtudet; Talis igitur eſt vir magnificus. Qui vero modum ſuperat, quod fabrilem in ſumptu faciendo inſolentiam, vt diximus, imitatur, eo ſuperat, *& in vitio eſt*, quod ſecus, ac debet impendit, *à decoro alienus*. In res enim paruas, & quæ paruum ſumptum deſiderant, multam pecuniam inſumit; ac ſplendorem, atque magnificentiam inconcinne, ac inuenuſte oſtentat: vt qui ſodales, accepta ſymbola, nuptiali apparatu excipit ad cænam: vel qui comœdis dux chori præpoſitus, prodituris in ſcænam hyſtrionibus purpuram ſubſternit, quemadmodum Megarenſes, [12] *vt ſe comœdiarum inuentores perpetuo teſtarentur*, inani faſtu faciebant. atque huiuſmodi omnia facit non honeſti, ſed oſtentandarum cauſſa diuitiarum: & ſe his rebus homines in ſui admirationem ſperat adducturum. in eas vero res, in quas multa impendere debet, ſumptum exiguum faciet: vbi parua impenſa deſideratur, ibi largus erit, & profuſus: *ab inſcitia ſcilicet eius, quod decet; magnanimum vero ſcienti ſimilem fecimus*. & quidem eiuſmodi eſtis, qui modū ſuperat. Alter vero, quem Græci μικροπρεπῆ, nos indecore parcum dicimus, in omni re modum deſerit. nam etſi aliquando magnos ſumptus fecerit, in parua tamen pecunia, cui parcere vult, honeſtum omne perdet; ac laudem ſuam corrumpet, & extinguet; & qua ratione quam minimo ſumptu opus conficere poſſit, apud ſe attentiſſime conſiderabit, procraſtinans, & cunctabundus: [13] ac in his lamentabitur, & ingemiſcet: [14] ac ſe omnia, quam oporteat, efficere maiora arbitrabitur. Hi porro habitus vitioſi ſunt: nullā tamen turpitudinis, ac dedecoris notā inuunt; quia nec alteri damnum inferunt: nec ſunt admodū deformes.

SCHOLIA.

1 Liberalitatem igitur magnitudine ſuperat.] nec ideo vitium eſt, quaſi medium excedens. recedit enim à medio liberalitatis: non ab eo, quod illi ratio conſtituit; verſaturque in rebus magnis, vt liberalitas in minoribus. at in magnis medium tenet à ratione definitum.

2 Grandis videlicet, ſacriq; nauigij illius.] de quo multa hic erudite ſcribit P. Victorius.

3 Βαναυσία.] dicta ab αὔειν, quod eſt incendere, & βαῦνος, quod eſt caminus. vnde βαναύσους Græci appellant ſordidos, vileſq; opifices, qui ſedentarias artes exercent; proprie vero illos, qui caminum incendũt: qui quoniam plerumque præter dignitatem efferuntur, ſuiſq; opificijs, quaſi magnis atque præclaris gloriari conſueuerunt, ſuam appellationem ad eos traduxerunt, qui maiora, quam ipſis conueniat, indecore aggrediuntur. Hæc ex Græco interprete.

4 Et ſumptus magnos concinne, atque decore facit.] operis itaque magnifici laudem non conſequetur vaſta illa, inconcinna, & magna ex parte inutilis Neroniana domus.

5 Inſpiciet etiam curioſius.] Veſpaſianus, cum Amphiteatrum extrueret miræ magnitudinis, architecto pollicenti, ſe molares lapides ad ſummitatem ædificij minima impenſa euecturum, Sine, inquit, me meam paſcere plebeculam: & inuentum repudiauit.

6 Neceſſario igitur.] itaque Germanicus Caligulæ triumphus, cetera ſplendidiſſimus, magnificentiæ laudem non tulit, vti illiberaliter, ac ſordide inſtructus. ſcripſerat enim ille Romam procuratoribus ſuis, vt triumphum ſibi appararent, quam minima ſumma: ſed quantus numquam alius fuiſſet, quando in omnium hominum bona ius haberent.

7 Sed in his quicquid magni eſt.] liberalitas igitur, & magnificentia paruo, & magno differre videntur. magnum vero, atque paruum non conſtituunt ſpecies diuerſas. eſſent igitur vnius ſpeciei. Sed notandum per maius & minus in eodem ordine, non conſtitui ſpecies diuerſas; quare maior, & minor liberalitas ſunt eiuſdem ſpeciei; vt homo maior & minor. at magnum atque paruum natura ſua, huic vel illi adiunctum, & inditum, indicant diuerſitatem ſpecierum. nam animantia natura magna differunt ſpecie à natura paruis. Addo magnificentiam à liberalitate ſine diſtingui. nam illa commoditatem ſpectat amicorum: magnificentia vero ſplendorem & ornamentum ciuitatis, & familiæ: cultum Dei, & ſi qua ſunt eius generis. illa in priuata magis tendit, hæc in publica. quæ vero differunt ſine, differunt forma; cum finis & forma ſint vnũ & idem. 2. phyſ. tex. 70. Demum magnificentia in dando ſolum occupata eſt: liberalitas adhuc in accipiendo.

8 Opus vero illud laudatur magis.] opus non eſt magnificum, niſi pulchritudini adiunctam habeat magnitudinem, quod Pericles intelli-

gens Iouem Olympium maiorem efficere voluit, quam auro gemmiſque pulchriorem: etſi iiſdem ſumptibus ab ornamentis pretioſiorem, & aliquanto minorem efficere potuiſſet. ſed opus magnificum adeo, magnitudine imminuta, non fuiſſet.

9 *Quo circa nemo pauper magnificus eſſe queat.] magnificentia itaque non eſſet virtus moralis, cum omnes virtutes ob prudentiæ connexionem ſimul ſint, ne dum eſſe poſſint. quis vero neget, pauperes à virtute non excludi? ergo nec à magnificentiæ laude. id ſi minus concedatur, ſequitur eam non eſſe virtutem. Ceterum quo ad functionem magnificentia non eſt in tenuis fortunæ hominibus: vt neque liberalitas in iis, qui egeſtate premuntur. habitum vero vtriuſque virtutis, per functiones voluntatis acquiſitum, in egentiſſimis quibusque eſſe poſſe, nihil impedit.*

10 *Tum honeſto loco natos.] ſcribit Auctor ad Eudemum lib.3. Cum Themiſtocles ad Iouem Olympium ab Athenienſibus mitteretur legatus, qui rem illic diuinam faceret, exiſtimatum fuiſſe, munus illud, quod ſummam requireret magnificentiam, non tam Themiſtocli, qui humiliore adhuc fortuna eſſet, conuenire, quam Cimoni.*

11 *Ita pila, ſeu ad ludendum.] puerile donum, Anagallis Cercyrææ puellæ inuentum, ac regiis liberis dono datum. quare appoſite Apollonius lib.3. Argonaut. Venerem inducit pollicentem Cupidini ſphæram ἀτάχαλον, Vulcani manibus fabricatam, ſi Iaſonem amore inflammaret. In eiuſmodi paruis rebus magnificentia relucet non primo, & per ſe: ſed ſi tandem in magnis & amplis talem ſe quis præſtiterit. nam vir magnificus adhuc in paruis ſeipſum prodit.*

12 *Vt ſe comœdiarum inuentores.] ea de re multa hic interpres Græcus ex antiquis, qui non extant, ſcriptoribus.*

13 *Ac in his lamentabitur & ingemiſcet.] Suetonius de Galba.* illa quoque vere ne, an falſo per ludibrium iactabantur: appoſita lautiore cena, ingemiſſe eum.

14 *Ac ſe omnia quam oporteat.] Idem Suetonius de Caligula:* Pronunciatoque militi donatiuo, centenis viritim denariis, quaſi omne exemplum liberalitatis prætergreſſus, Abite, inquit, læti, abite locupletes.

De magnanimitate. Quid ea ſit: quibus in rebus occupetur: & quæ ſint viri magnanimi propria. Cap. III.

MAgnanimitas quoque, vt nomen ipſum declarat, in rebus magnis elucet, *quemadmodum & magnificentia, de qua nobis proxime dictum eſt.* Sed primum quæ, qualesue ſint hæ res magnæ,

gnæ, in quibus vertitur hæc virtus, videamus. quo in ſermone nihil refert, vtrum ipſum animi habitum, an illum, qui ſit eo præditus, cōſideremus. *in iiſdem enim habitus, & qui ex habitu agit, occupantur: vt fortitudo, & fortis; cum habitus forma ſit agentis, per quam agit.* [a] Magno igitur animo is videtur habendus, qui magna ſe ſuo merito mereri, exiſtimat. nam qui *ſui admiratione captus*, præter meritum & dignitatem ſeipſum magnifacit, ſtolidus eſt. at eorum, qui virtutem colunt, nemo ſtolidus: nemo mentecaptus. non eſt igitur ille magno animo, *ſed vano*. Reputatio autem illa, ſe magnis eſſe rebus dignum, cum reuera ſit dignus, adeo neceſſaria eſt huic virtuti, vt ſi quis ſe ipſum, cum paruis rebus, & honoribus dignus ſit, paruis quoque dignum iudicet, *etſi vere de ſe ſentiat, nihilominus* non magnanimus, ſed modeſtus habendus ſit. Animi enim magnitudo in magnitudine, *meritorum ſcilicet, & opinionis* ſita eſt: quemadmodum & in magno corpore pulchritudo. nam breuis ſtaturæ homines venuſti, lepidi, elegantes, concinni dici poſſunt ab apta membrorum conuenientia, & compoſitione: pulchri vero & formoſi non item. Qui vero ſe magna memeri immerito putat, elatus, ac ſuperbus eſt: Græce χαῦνος, quaſi inflatus, vaſtus, laxus, ſeu lentus: *qua ratione pelles dicimus lentas, & Poeta ſalicem lentam cecinit, hoc eſt viribus deſtitutam ad reſiſtendum flectere volenti. hoc enim maxime cernitur in glorioſis iſtis, tumidiſque, qui nihil ad honores conſequendos afferunt, præter egregiam exiſtimationem ſui*. Verum non quiſquis ita eſt animo cōparatus, vt maiora ſibi deberi cenſeat, quam pro meritis vere debeātur, cōtinuo ſuperbus eſt, vel elatus, & inflatus: *tum quod ex inſcitia in eo peccare poſſit: vt qui, cū opibus Rempub. ſubleuarit, ſummo ſe honore dignum exiſtimat: quaſi virtutum ſummam & ampliſſimam fuerit conſequutus: qui nihilominus veritatem edoctus facile corrigatur: nec proinde χαῦνος, ſeu ventoſus dici debeat; tum quod aliquatenus amor ſui ſit excuſandus, quo quis, natura impellente, tenetur. neque enim à faſtu & ſuperbia eſſe videtur, ſeipſum paulo maioribus bonis dignum cenſere, quam merita ferant*. At qui ſe minoribus dignum, quam mereatur, exiſtimat, is anguſto humilique eſt animo, ſiue magnis, ſiue mediocribus, ſiue paruis dignus, adhuc minora ſibi tribui putet oportere. ſed quanto maiora meretur, tanto humiliore animo videatur, ſi ſe magnis putat indignum. quid enim eum facturum putemus, *quoue deſcenſurum, vel quantum animo abiiciendum*, ſi tam magnis dignus non ſit: *cum fretus licet magno meritorum cumulo, ſpiritus adeo gerat humiles, atque depreſſos? Neque vero, quod magnanimus ſumma petat, quaſi extrema ſectetur, in vitio eſt.* nam magnitudine quidem ille eſt ſummus, *cum perpetuo magna tractet*: ſed eo quod vt oportet, & ratio ſuadet, de ſuis meritis iudicat, medium tangit, & in medio

ſiſtit. Ijs enim, quæ ipſius dignitati, meritiſq; reſpondent, ſe ipſum
dignum iudicat: *quod medium eſt.* alij vero modum ſuperant, & de-
ſerunt, atque in extrema prolabuntur. Vir itaque magnanimus ſi ſe
tum magnis dignum merito iudicat, tum etiam maximis, in vna re
potiſſimum verſabitur. *maximum enim quod ſupra omnia alia dici-
tur, vnum eſt.* Quæ nam igitur eiuſmodi res ſit, in qua verſatur ma-
gnanimus, ex dignitate ipſa intelligemus. Iam vero dignitatis no-
men ad externa bona refertur. *nam vel diuitijs, vel honore quem di-
gnum dicimus, totaq; ea res in aliorum æſtimatione poſita videtur.* In-
ter externa vero id maximum eſt, quod Dijs tribuimus; quodq́ue ij
omnes, qui dignitatem in Repub. conſequuti ſunt, expetunt: quod de-
mum eſt rerum pulcherrime geſtarum præmium: tale quiddam eſt
honos; omnium externorum bonorum maximum. In honore igitur,
&, *quæ illi opponitur,* infamia vir magnanimus occupatur, in iiſq́ue,
vt oportet, ſe gerit; quod pluribus perſuadere, non eſt opus. Quod
autem ad eius extrema ſpectat, qui demiſſo & humili eſt animo, mo-
dum deſerit: ſiue ipſius perſona, ſiue magnanimi ſpectetur dignitas.
*nam & ſe minus facit, quam facere deberet: & humilius ſe gerit, quam
viri magnanimi dignitas poſtulet.* Superbus autem, ſi eius perſonam
ſpectes, *ſeipſum* ſuperat: *elatius enim ſentit de ſe, quam pro meritis:* ſin
cum cum viro magnanimo conferas, nõ ſuperat magnanimum. *vter-
que enim ad magna, ſubliminq; aſpirat.* Ex eo, quod magnanimum ho-
noribus maximis eſſe dignum poſuimus, ſequitur, eundem eſſe virũ
optimum, & præſtantiſſimum. nam quo quiſque melior eſt, eo maio-
re premio, & honore dignus eſt: & quidem optimus maximo. vere
igitur magnanimus, *vti omni honore dignus*, vir bonus erit neceſſa-
riò. Quod etiam in quaque virtute magnum, & amplum eſt, viri ma-
gnanimi eſſe videtur. *hæc enim virtus cæteris adiuncta, eas ad magna
impellit. fortitudinis quippe eſt, fortiter facere: ſed eadem à magnitu-
dine animi ad res magnas impellitur, vt fortiter agendo, res magnas at-
que præclaras operetur.* Magnanimus igitur *nihil faciet indecorum*
non fugiet manibus dimiſſis, *quod ſignũ eſt magni pauoris, & feſti-
natæ fugæ.* neque iniuriam cuiquam faciet, *aut alio ſe crimine fœda-
bit.* Quid eſt enim cur turpe aliquid admittat is, cui nihil ſit magnũ?
*qui omnia infra ſe ducat? qui ob celſitudinem animi nulla re vel mole-
ſta, vel iucunda dimoueri de ſententia poſſit?* Atque illi quidem, qui
res ſingillatim ſcrutetur, ridiculus eſſe videatur magnanimus, *vel
qui talis videri ſtudet,* ſi non ſit idem vir bonus. quin ne honore qui-
dem dignus ſit, ſi ſe malum præbeat. Honos enim virtutis eſt præ-
mium, nec niſi viris bonis tribuitur. Quocirca videtur animi ma-
gnitudo, quaſi virtutum omnium ornamentum. nam & maiores eas
ampliores que facit; *dum efficit, vt in vnaquaque virtute altum quiſ-*

que gerat animum: & ſine illis *admodũ perfectis & abſolutis* conſtare nullo modo poteſt. Atq; ob hanc cauſſam hominẽ, qui reipſa magno ſit animo, non temere reperias: quippe qui ſine eximia quadam bonitate, atque concurſu honeſtarum, bonarumq́ue rerum talis eſſe nõ poſſit. Cernitur itaque magnanimus in honoribus maxime, atque ignominiis. ac magnis quidem honoribus, & ijs, qui à viris bonis deferuntur, modice delectabitur, tanquam ſuos, ſibiq; accommodatos, aut etiam virtute ſua inferiores conſequutus. Virtuti enim omnibus numeris abſolutæ non facile par vllus honos reperiri queat. Verum tamen eos, etſi inferiores, non recuſabit: quin æquo animo accipiet vel ob hanc cauſſam, quod nihil honore maius virtuti tribui poſſit. Honores autem, qui & à quibuslibet, & ob res paruas tribui ſolent, prorſus aſpernabitur, *(vult enim excellere) magnanimi Achillis exemplo, qui Phœnici conanti perſuadere, vt oblatos ab Agamemnone honores, ac præmia reciperet, reſpondit, ab Ioue ſe maiora cupere, & exſpectare.*

O Phœnix veneránde ſenex, non eſt mihi cordi
Talis honor, magno ſed honores ab Ioue quæro,
Qui me inter naues, atque hæc tentoria Graium
Reddit honoratum, ac reddet.

Ageſilaus noluit ſibi ſtatuas poni à clariſſimis Græciæ ciuitatibus: vulgatis, opinor honoribus neglectis: an quod arbitraretur conſcientiam ſufficere rectè factorum? id minus dixerim de homine gloriæ cauſſa omnia agente: ſed ſplendorem rerum ſuarum, qui per orbem fulgebat, illuſtriorem, ac diuturniorem futurum cenſuit ſtatuis aureis, æneisue; maluitq́ue quæri, cur Ageſilao in tanta rerum geſtarum gloria ſtatuæ non fuerint poſitæ, quam per honores minoribus communicari ſolitos, quaſi in ordinem redigi. Hos enim non meretur magnanimus, *ſed multo maiores.* [3] Probra item, conuiciaq; in ſe iactata contemnet, quaſi in eum iure cadere non poſſint, nec aliorum maledictis inclita virtus maculari, vel obſcurari queat. Potiſſimum igitur in honoribus verſatur vir magnanimus; iſque illius proprius eſt campus: è quo nihilominus migrat interdum ad vicina, quaſi per excurſum: ad principatum videlicet, diuitias, omnemq́; ſecundam & aduerſam fortunam; à qua quicquid acciderit, feret moderate: neque in ſecundis lætitia elatus: neque in aduerſis mœrore deiectus. [4] Nam ſi erga honorem, qui bonorum omnium externorum eſt maximum, ita eſt animatus, vt nec illum, *nec ei aduerſantem ignominiam magni faciat,* quanti & diuitias, & principatus, res non tam gratia ſui, quam honoris ergo optabiles, æſtimaturus cenſetur? hæc autem ad honorem referri liquet inde: quod qui ea conſequuti ſunt, non quieſcunt: ſed per hæc ipſa honorem ſibi haberi volunt. Si igitur honore colla-

to non inſoleſcit: nec ablato, frangitur animo: multo magis in magiſtratuum, atque diuitiarum adeptione vel amiſſione, eundem animum retinebit. cui namque honos in rebus paruis numeratur, huic nec cetera quidem magna erunt. *ſola enim animi bona vir magnanimus magnifacit*. Quocirca contemptor aliorum, & ſuperbus eſſe videtur, *adeo iſta, quæ non ſunt vera bona, parui facit*. Iam vero res ſecundæ ad magnitudinem animi comparandam adiuuare videntur. Nam & honeſto, ſummoq; loco nati, honore digni cenſentur: tum ij, qui principatum obtinent, aut opibus abundant; quoniam eiuſmodi bonis ceteros antecellunt. nam quo magis bono aliquo quis excellit, eo eſt honoratior. *honoramus enim propter bona, quæ inſunt illi, quem honore affectum volumus*. His itaque bonis freti mortales, animi maioris efficiuntur, cum ob ea honorem à nonnullis conſequantur. Sed ſi veritatem ſectemur, ſolus vir bonus honore afficiendus eſt; non diues, vel illuſtri loco natus. Ceterum ſi cuiuſpiam virtuti fortuna coniuncta ſit, is honore dignior habetur. *auget enim ea virtutis ſplendorem, efficitq; vt luceat magis.* at quibus virtute vacuis talia bona contigerunt, hi neque ſeipſos magnis honoribus merito dignos exiſtimant, neque recte magnanimi appellantur. Itaque, qui talibus copiis abundāt, & virtute carent, aliorum contemptores ac ſuperbi, & contumelioſi euadunt. Difficile enim eſt ſine virtute res ſecundas compoſite ferre, ijſque non efferri, & inſoleſcere. quare cum impetum ſecundorum flatuum ferre non poſſint, ac ſe ceteris antecellere exiſtiment, fit, vt & eos contemnant, &, quicquid ſors obtulerit, ipſi temere agāt: *ſintq; vti nauis, quæ caret anchora, & clauo, ſiue rectore. Firmat porro virtus animum, eumq; cuiusuis fortunæ, quantumuis magnæ capacem reddit; qua cum iſti careant, in ea mala dilabuntur*, virumq; magnanimum imitantur, cum ſint ei diſſimiles. exiſtimant enim ſe magnanimis ſimiles futuros, ſi ceteros deſpiciant: & quibuſcumque in rebus poſſunt, hoc gerunt. Ita nec ea, quæ virtuti conſentanea ſunt, faciunt, & alios faſtidioſe deſpiciunt. Magnanimus vero non iniuria deſpicit: *nec proinde virtutem deſerit, aut ſuperbus vel contumelioſus euadit*. de rebus enim vere iudicat: *& quos deſpicit, iure, ac illorum merito deſpicit*. vulgus autem, quomodocumque ſors tulerit, opinatur. Nec ſeſe magnanimus offert ad caſus paruorum periculorum, neque crebro diſcrimini obiicit: quoniam pauca ſunt, quæ magnifaciat: & honore digna putet: *imitaturq; leonem, qui maiores beſtias laceſſit bello: cum viliſſimis minimisq; ludit. Achilles, in quo omnes magnanimi partes expreſſit Poeta, Calchanti, opem ab ſe petenti, vt & dictis, & factis Agamemnoni reſiſteret, reſpondit, ſe factis opem laturum. quoniam, ſcilicet, verbis defendere præter Achilis erat dignitatem*. Magnis vero periculis prompte ſe obijcit; *quia*

multum inde gloriæ ſe ſperat conſequuturum: nec in diſcrimine ſemel obito vitæ parcit: quin adeo contemnit, ac ſi plane vita non eſſet optabilis, vel nullam haberet dignitatem. Adhuc cum animatus perpetuo ſit ad beneficium dandum, ſi accipiat, erubeſcit. dare enim excellentis hominis eſt: accipere inferioris. *Ideo Solon, ob patris liberalitatem inops, renuit oblatam accipere pecuniam, quod magnanimis ortũ maioribus deceret alijs opitulari, non vti externa ope.* [5] Idem beneficium reddit menſura cumulatiore, quam accepit. ita enim conſequitur, *quod maxime cupit,* vt qui de eo prius benemeritus eſt, adhuc illi debeat, & benefitio maiore deuinctus, in debitoris locum cedat. [6] Præterea videntur magnanimi eorum, quibus beneficia fecerint, meminiſſe: non eorum, à quibus acceperint. volunt enim excellere. at qui beneficium accepit, eo, qui dedit, inferior eſt. quapropter collatorum à ſe in alios beneficiorum commemoratio iucunda illis eſt: acceptorũ vero grauis, & moleſta; *non quod ingrato ſint animo: vel omnino ſuæ obligationis memoriã delere ſtudeant; ſed quod, donec diſſoluant, dolent ſe vinculo illo teneri. cuius moleſtiæ remedium ad breue tempus ab obliuione petunt. Illi igitur, qui à viro generoſo beneficium petit, vel alium quempiam cum eo miſcet ſermonem, cauendum, ne memoriam beneficij, ſi quid tale in eum præſtiterit, oratione refricet;* [7] quod in Thetide Homerus cuſtodiuit. Illa enim, *vt Achilles fieret honoratior à Ioue impetratura,* ſua in Iouem beneficia: *adductum ad Deorum patris tutelam Briareum: exemptumq́; vinculis nebulonē* haud commemorat. Lacedæmonij quoque, *populante Laconicam Epaminunda, Athenienſes rogaturi, vt ſibi opem ferrent,* [8] dimiſſa mentione beneficiorum, quæ multa, & magna in Athenienſes ipſi cõtulerant, potius quæ ab Athenienſibus acceperant, magnifice commemorarunt: *gnari, generoſos animos hac ratione ab benefaciendum commoneri: exprobratione beneficiorum reddi à gratia referenda alieniores.* Eſt etiam magnanimi, neminem, aut vix quemquam rogare: *(ægre enim id facit)* aliorum vero commodis prompte inſeruire. ſatis enim in ſe ipſo præſidij collocatum putat ad ſuam fortunam amplificandam. In viros quoque magnos, & dignitate aliqua præditos, rebusq́; ſecundis affluentes, magnum ſe, atque excelſum præſtat: in mediocris vero fortunæ homines modeſtum, ac moderatum. illis enim antecellere arduum eſt, & dignitatis plenum: his vero præſtare, facile. ac inter illos dignitatem ſuam tueri, [9] atque adeo gloriari, generoſi eſt hominis: iner humiles autem, & infimos nolle tantillum de dignitate ſua decedere, ac de ſe magnifice loqui, ridiculũ, ineptum, odioſum: quemadmodum in imbecillos periculum facere virium corporis, atque robur oſtentare. Eiuſdem eſt, ad ea loca non accedere, in quibus de honore contenditur: vel vbi principem locum

alij

alij tenent; [10] *ne ſcilicet ſe exponat repulſæ periculo: vel quod eiuſmodi contentiones leues reputet, ſua virtute, partoq; honore contentus:* tum præterea ceſſatorem,& cunctatorẽ eſſe, atque procraſtinari *in agendo:* niſi vbi aut magnus honor proponatur: aut magna res agatur. Eſt etiam factus ad res paucas gerendas, ſed magnas, omniumq; ſermone,atque fama celebrandas. Apertas quoque gerit inimicitias, & aperte amat. [11] nam fronte occultare ſententiam, aut ſtudere, vt fallat, metuentis eſt. Maiorem etiam veritatis, quam exiſtimationis curam habet: mauultq; eſſe,quam videri,bonus. Tum aperte & dicit, & agit omnia. *neque enim timet offenſionem,* ſed orationis libertatem amat, cum ad ceteros contemnendos ſit natura propenſus. Hanc autem in loquendo libertatem, & veritatem retinet, niſi vbi ironia vtitur, loquiturq; diſſimulanter. eſt autem diſſimulator in vulgus: *extenuatq; cum eo genere hominum res ſuas: quippe qui illos deſpiciat. apud ſui vero ſimiles vere de ſe ipſo, nec diſſimulanter loquetur. id enim nec putidum fuerit, nec ineptum.* Idem non poteſt alterius arbitratu viuere,niſi amici. ſeruile namque hoc eſt. cuius rei argumentum eſt, quod omnes aſſentatores ad alterius nutum viuunt, ſuntq; ſimiles mancipiis: omneſq; humiles, & demiſſi homines ſunt aſſentatores. *ad amici vero arbitrium non incommode vitæ ſuæ rationem inſtituat: hic enim non ſit, niſi ei ſimilis, ac proinde vir bonus, celſoq; animo præditus.* Nec facile vir magnanimus admiratione capitur: quod nihil ei magnum videatur: *vel quod ſit ſcienti ſimilis, in quem non cadit admiratio.* Neque meminit iniurias, ſeu mala olim illata. viri enim magnanimi non eſt memorem eſſe, præſertim iniuriarum,& malorum; ſed ea potius ſua nil intereſſe putare. *ſi enim accepta beneficia ægre recordatur, multo magis iniurias obliuione conterendas cenſebit.* [12] Nec de alijs cupide loquitur,cum nec de ſe ipſo libenter prædicet. nam neque vt laudetur, *fretus conſcientia meritorum,* ſollicitus eſt: neque vt alij vituperentur, ipſi cura. Nec rurſum aliorum laudator eſt, nec detractor ob eandem cauſſam: ne in inimicos quidem maledicus,niſi accepta contumelia. *tunc enim poterit ſine conuicio inimicis remaledicere, vt eorum eleuet fidem.* In ijs autem damnis, quæ vel neceſſario contingunt, vel exigua ſunt, non erit quæribundus,vel ſupplex,*aut alienarũ auriũ fatigator.* ita enim comparatum eſſe, hominis eſt nimium affectum, nimiamq; curam in res humanas conferentis: *animi quoque anguſti abiectique.* Mauult adhuc pulchra,licet infructuoſa poſſidere prædia: quam fructuoſa & vtilia. hoc enim magis eſt propium hominis ſe ipſo, boniſq; ſuis cõtenti. Eiuſdem motum tardum futurum credibile eſt, vocem grauem, orationem ſtabilem, ac ſedatam. vox enim acuta, atque celer greſſus ab rei gerendæ ſollicitudine, vel opinione magnitudinis negotij,

gotij, quod præ manibus habemus, naſcuntur. at magnanimus de paucis rebus ſollicitus eſt; *ac plus in ſe reponere ſpei videtur: putatq; ſe omnibus ſuffecturum in tempore:* nec etiam vehementer contendit, cum nihil eius animo magnum ſit. *non feſtinat igitur, nec vocem altius intendit.* Hactenus de magnanimo. Quoad extrema vero, is, qui modum deſerit, anguſto paruoq; animo dicitur: is, qui ſuperat, inflatus, elatus, ſuperbus. hi non videntur improbi, quia nihil maleficij in quemquam admittunt; veruntamen peccant. ille enim cum ſit bonis dignus, ipſe ſeipſum bonis, quæ meretur, fraudat. atque aliquid in eo mali ineſſe videtur ex eo, quod ſe bonis indignum arbitratur, cum ſit vere dignus; ac proinde ſe ipſum ignorat. nam ni ſui ignoratione teneretur, ea expeteret, quibus dignus eſt: cum bona ſint, & optabilia. Tales autem homines fatui non videntur eſſe, ſed ὀκνηροί, hoc eſt, pigri, atque ſegnes, ac torpore quodam detenti. Inde hæc illis opinio inditur, quæ deteriores eos efficit, quam elatos. Ea enim quæ meretur, quiſque expetere conſueuit. *non expetent igitur iſti bona, quibus ſe indignos arbitrantur. at ſublato honoris appetitu, corruunt bonæ artes.* tum præterea ab honeſtis actionibus, & ſtudijs, proinde quaſi ea tractare indigni ſint, itemq; à bonis externis longe refugiunt: *animo fracti, & de ſe ipſis deſperantes.* Cõtra vero ſuperbi, & elati cum ſtulti ſunt, tum ſe ipſos non obſcure ignorant. nam magnam gerunt de ſe ipſis opinionem, & quaſi digni ſint, res amplas & honoratas conantur, atque ſuſcipiunt. mox ſe ipſos produnt, & in aliorum reprehenſionem incurrunt. quærunt ornatum ex veſtitu, ac toto corporis habitu, *vt male fundatæ dignitati opitulentur rebus externis:* ſuasq; res ſecundas, omnemq; fortunæ ſuæ ſtrepitum omnibus innoteſcere volunt: ac de ſe ipſi prædicant, quaſi ex his honorem conſequuturi, *ſupra modum importuni, atque odioſi.* [13] Magis autem animi magnitudini aduerſatur humilitas, & demiſſio, quam elatio, ac ſuperbia. nam & crebrior atque frequentior eſt, & deterius malum. *Sunt igitur inflati magis proximi magnanimis, quam abiecti & humiles. moliuntur enim difficilia, vt magnanimi. facilius ergo reducuntur ad medium.* Diximus itaque animi magnitudinem in magno honore verſari.

SCHOLIA.

1 *MAgno igitur animo.] Magnanimum vulgo dicimus eum, qui nec proſpera effertur fortuna, nec aduerſa concidit; magis tamen ei, qui ſe rebus aſperis deijci non permittit, hæc appellatio tribuitur; quod animum bene conſtitutum, & ad omnia, quæ incurrunt, firmatũ, malorum perpeſſione certius indicari, quã moderatione in rebus ſecundis oſtendi, vulgus opinetur. porrò vt corpora valentia, & ſana nec æſtibus affliguntur, nec frigoribus: ſic magnanimus nullæ fortunæ*

tunæ.

tuna mutatione quaſſatus, æquabilem vbique retinet tranquillitatem: quippe qui omnibus rebus humanis ſe ducat ſuperiorem. Sed Ariſtoteles hic paulo aliter ſumit magnanimum: eum videlicet, qui eum magnis dignus ſit, magnis quoque ſe dignum putat, & ad magna aſpirat, cuius demum ſit, nec ſecundis, nec aduerſis efferri, deprimique.

2 Non fugiet manibus dimiſſis.] ſed exemplo leonis, adhuc in fuga generoſitatem præſeferet. de quo Ariſtot. lib. 9. de hiſtor. animal. cap. 44.

3 Probra item conuiciaque.] Horat. ad Quintium.

Falſus honor iuuat, & mendax infamia terret:
Quem, niſi mendoſum, & mendacem?

4 Nam ſi erga honorem.] Demetrius Phalereus magnanimiter ſe admodum geſſit, cum, ſtatuis, quas illi Athenienſes poſuerant, per eoſdem euerſis, At virtutem, *inquit*, non euerterunt, cuius gratia illas poſuerant. Ariſtoteles nihilominus ceſſit iniuriæ, nec celſitudinem animi retinuiſſe viſus eſt, cum ad Antipatrum ſcripſit, honores ſibi ab Athenienſibus olim decretos, poſt ablatos, non mediocriter animum ſuum commouere, quos alioqui non oblatos paruifeciſſet.

5 Idem beneficium reddit.] pari enim menſura reddere, iuſti potius eſt hominis, quam liberalis: multo itaque minus magnanimi.

6 Præterea videntur magnanimi.] ideo cariores magnanimo ſunt ij, quibus ipſe contulit beneficium, quam ij, à quibus accepit. Scribit Plutarchus T. Q. Flamminiū gratiores habuiſſe eos, qui operam ſuam quærerent, quam qui propriam præſtarent: quod hos velut ad gloriam aduerſarios, illos ceu ſegetem laudis, exiſtimaret.

7 Quod in Thetide Homerus cuſtodiuit.] Attamen beneficia in Iouem collata tetigit, ſed modeſte. neque enim ea recenſuit ſingillatim, nec moram ijſdem enumerandis traxit; ſed ait tantum,

ſi quid vnquam
Promerui de te bene, ſola tot inter
Magnos cælicolas; ſiue eſt ea gratia verbis,
Seu factis impenſa.

8 Dimiſſa mentione beneficiorum.] ita quidem Calliſthenes lib. 1. Græcanicæ hiſtoriæ ſcripſit, vt hic teſtatur Græcus interpres. At Xenophon lib. 6. eiuſdem hiſtoriæ refert, à Laconibus non fuiſſe omiſſam ſuorum in Athenienſes meritorum commemorationem.

9 Atque adeo gloriari.] Græcus interpres σεμνύνεσθαι hic intelligit, dignitatem ſuam tueri: non gloriari. hoc enim in magnanimo quoque, ac virtutibus omnibus exaggerato inuidioſum videtur. Sed Aeneas apud Virgilium animoſe admodum de ſe profert.

Sum pius Aeneas, fama ſuper æthera notus.

Dixerim igitur commemorationem ſuorum meritorum, tempeſtiue adhibitam inter viros præſtantes, non dedecere magnanimum; quæ nihilo-

minus

minus inter humiles habita, vanitatis argui poſſit, cum nullum afferat commodum. Nec id in magnanimo reprehendendum, qui ad veritatem tuendam factus, data occaſione, pro vſu præſenti, libere, ſed modeſte, ſua merita narrabit: vt egregius Imperator Iphicrates fecit: qui, vt Ariſtides teſtatur, magnificentius de ſe multa dixit, quam vulgi ferrent aures. Agens enim de Harmodio & Ariſtogitone Tyrannicidis, ait, Eorum temporibus ſi fuiſſem, aut aſſumpſiſſem eos ad ſocietatem præclari operis, aut ipſe ab eis adſcitus eſſem. *Idem Athenienſibus ob columnam ſibi poſitam cum honorata inſcriptione, has egit gratias.* Vos fortaſſe, Athenienſes, iſtam mihi columnam; & iſtas in ea inſcriptas litteras, præclarum quiddam, & gloriatione dignum à vobis contigiſſe, arbitramini: at mihi columna cælum attingens in Peloponneſo, virtutis meæ teſtis conſtituta eſt. *Idem apud eoſdem hæc de ſe iactauit:* Si qualis ego ſum, tales vobis ſeptem Imperatores fuiſſent, deſerta iam eſſet, & inculta Lacedæmon. *neque vero ſua virtute extollenda fuit Pericles religioſior, cuius hæc fuit ad Athenienſes oratio.* Mihi ſuccenſetis tali viro, qui in his, quæ Reipub. ſunt, obeundis, aut ſumma prouidentia, & fide prouidendis, nemini me ceſſurum profiteor? *Illud vero menti hæreat ei, qui ad hanc laudem tendit: Magnanimum rebus tantum abundare debere, quantum elati, tumidiq́ue abundant verbis.*

10 Ne ſcilicet ſe exponat repulſæ periculo.] ſcimus enim praua eſſe hominum ingenia, quæ ſæpe non ſine inuidia, vel amore iudicium ferunt, vt Pindaro accidit; qui iudicum improbitate, quinquies de certam ine victus à Corinna, diſceſſit.

11 Nam fronte occultare ſententiam.] Num igitur Imperatori turpe fuerit in bello inſidijs vti? Achæi, apud Polybium lib. 13. exiſtimarunt aliquando, nec illuſtre eſſe factum, nec firmum, niſi quis manifeſta pugna, forti animo vincat: tantum à fraudulentia etiam contra hoſtes aberant. Scribit idem, Romanos inſidijs raro vti: alios vero eſſe, qui cenſeant, non eſſe illum bonum ducem, qui manifeſte aliquid rerum bellicarum exſequitur. Extrema hæc ſunt; nam & ſine fraude, ſeu mendacio licet inſidijs vti; & aperto Marte rem gerere, non adimit laudem egregij Imperatoris. Porro aperta vi ſuperare, feris quoque commune eſt: aſtu atque conſilio vti, magis videtur hominis: in qua ſententia magni duces, Alexander, Scipio, Cæſar, alij́q; omnes fuere. quare Strategemmaton multos libros Frontinus, & alij ſcripſerunt. Lacedæmone dux depoſito imperio, ſi aſtu, vel blande agendo rem ſuſceptam confecerat, bouem imolabat: ſin acie, gallum galinaceum, vt Plutarchus refert in Marcello. Idcirco Annibal Fabium timebat ſedentem: Marcellum non niſi pugnantem. Demum Athenienſes, inſidias non dedecere principem virum, qui magnanimus eſſe debet, communi iudicio comproba-

T runt.

runt. Melanthus Meſſenius, patria profugus pro communi Athenienſium cauſſa cum Xantho Bœotorum duce ad ſingulare certamen deſcenderat. manum itaque conſerturus, Xantho exprobrauit, quod iniuriam faceret, cum comitatus veniret ad pugnam. Ille conuerſus, vt, ſi quis retro eſſet, aſpiceret, à Melantho, eam captante occaſionem, iaculo confixus, & peremptus eſt. Athenienſes ſtratagemma probarunt: ac Melantho rege dicto, feſtum inſtituerunt, quod apathuriam, hoc eſt, deceptionem, appellarunt. Decet vero magnanimum aperte agere in quotidianis, atque communibus vitæ congreſſibus: non vbi rerum ſumma, vel alius agitur ſalus.

12 Nec de alijs cupide loquitur.] cum enim honoris, & exiſtimationis altiſſimas defixerit radices: nec ex alieno dedecore ſibi laudem colligendam exiſtimat: nec, quam conſequutus eſt, curat augendam, contentus conſcientia ſui.

13 Magis autem animi magnitudini aduerſatur humilitas.] at humilitas virtus eſt, diuino oraculo non ſemel commendata. potius ergo, quæ illi opponitur, animi magnitudo vitium eſt, vti aduerſans virtuti. Non dixerim, quod à nonnullis traditur, magnanimum cenſere ſe dignum rebus magnis, non à proprio merito, ſed à diuino munere: ideoque non opponi humili, qui ſe, propria inſpiciendo merita, bonis reputat indignum. nihil porro magis ab Ariſtotelis mente alienum, quam virum magnanimum non niti proprijs meritis. Quare vel Ariſtoteles non agnouit hanc humilitatis Chriſtianæ virtutem; vel in vita ciuili nullius eſſe vtilitatis duxit. hic vero virum ciuilem informat.

De virtute innominata, quæ ſimilis eſt magnanimitati; vt liberalitas magnificentiæ. Cap. IIII.

VIdetur autem in honore adhuc [1] alia quædam virtus verſari, quæ parem ad animi magnitudinem habere rationem videtur, atque liberalitas ad magnificentiam. Nam cum ambæ hæ virtutes à magno remotæ ſint, tum in rebus paruis & mediocribus ita, vt par eſt, nos afficiunt. Vt autem in pecuniis dandis & accipiendis locum habent mediocritas, nimium, & parum: ſic etiam in appetitione honoris. vtrobique enim ijſdem modis peccatur; vt vehementius, quam oportet, vel minus quam decet, pecuniæ, & honores expetantur: & rurſus vnde, & quo modo expetenda non ſunt, appetantur. nam & φιλότιμον, hoc eſt honoris cupidum vituperamus interdū, tanquam nimia honoris cupiditate inflammatum: & honorem, vnde non oportet, aucupantem; & eum, qui ab omni honoris, atque laudis ſtudio alienus eſt, quem Græci ἀφιλότιμον dicunt, ſimiliter vitupera-

mus;

mus;tanquam ne ex honeſtis quidem rebus, [a] à quibus honorem captare decet,eum adipiſci velit. Interdum quoque honoris cupidum laudamus,tamquam virili animo præditum,& honeſtatis ſtudioſum; eum autem qui ab omni honoris ſtudio abhorret, laudamus adhuc, quaſi modeſtum,& temperantem. Perſpicuum autem eſt, cum multis modis quis huius vel illius rei amans dicatur, honoris cupidum non ſemper ad idem à nobis referri, nec in eandem rem hoc nomen perpetuo valere. Nam ſi honoris cupidum, & amantem laudamus: eum intelligimus,qui ſit honoris, quam vulgus abiectum, ſtudioſior; ſin vituperamus: eum accipimus, qui ſit honoris appetentior,quam virum modeſtum eſſe deceat. Hæc nominum confuſio inde oritur, quod medium in hoc genere caret nomine; idcirco fit,vt extrema de illius poſſeſſione,quaſi de loco vacuo, ac deſerto, *vt de finibus incertis vicini populi*, litigent; *ac modo vnum extremum in medij locum irruat,eiusq; ſpeciem ſumat, modo alterum*. Sed in hac rerum ſerie dari medium, certum eſt. nam in quibus rebus reperitur nimium & parũ, in ijs quoq; mediocritas eſt. at honorem homines & nimium, & parũ appetunt: eundem igitur intra modum, & vt oportet,expetere lic[illegible]. cum igitur honoris appetitio laudatur, habitus hic inter illa extrema interiectus,laudatur, licet ſit innominatus. Hic habitus, ſi cum ambitione, aut nimia honoris cupiditate comparetur, honoris contemptus videtur: ſi cum honoris contemptu conferatur,ambitio apparet. ſed cum vtroque collatus, vtriuſque ſpeciem quodammodo præfert. quod etiam in reliquis virtutibus cernitur; *quarum vnaquaque alteri extremo collata, alterius oppoſiti extremi ſpeciem præſeferre videtur; etſi re uera non ſit talis. nam fortitudo audaciæ,ac temeritati comparata, videtur, at non eſt, timiditas*. Extremi vero habitus, *puta nimia honoris cupiditas, & honoris contemptus*, hic inter ſe *tantum,non cum medio* opponi videntur,quia medium nomine vacat.

S C H O L I A.

1 A *Alia quadam virtus.*] *Quin hæc videtur eadem ſpecie virtus cum animi magnitudine: differunt enim ſolum, quod hæc ad paruos, vel moderatos honores aſpirat: animi vero magnitudo ad magnos. at magnum, & paruum non diſtinguuntur ſpecie: vt bos Campanus,& Sardus. Ceterum eſto verum ſit, magno, & paruo ſpecies diuerſas non conſtitui in genere entis: certe in genere moris fallit. nam magna cupiditas ſpecie differt à parua,& moderata; cum illa vitium ſit; hæc interdum virtus. Addo, natura ſua ferri ad magnos honores, vel paruos, actiones eſſe arguentes diuerſam naturam. Demum honores magni ſpecie differunt à paruis, & mediocribus: vt Dictatura, & Aedilitas, vel Quæſtura: triumphus & ouatio: ciuica corona, & muralis.*

2 *A quibus honorem captare decet.*] *Atqui ob honorem præclare ſe-gerere, virtutis laudem corrumpit; nam ea honeſtatem intuetur in agēdo, vt ſupra non ſemel Ariſtoteles monuit, cum de fortitudine ageret. eam enim fortitudinem, quæ honoris gratia exercetur, adulterinam eſſe dixit. Quod ſi ita ſe res habet, ne dum hæc innominata virtus ruit: verum multo magis animi magnitudo, quæ ad grandes honores tendit, eosq́ue auide conſectatur, è virtutum choro eÿcienda erit. Verum aduertendum eſt, quod hic Græcus interpres monet: virum honoris ſtudioſum, & magnanimum pro ſcopo, & fine propoſitam habere honeſtatem, ex qua tamen captent honores. hoc q́; diſtinguuntur à ceteris virtutibus. ad honeſtum enim primo & per ſe ferri, commune eſt omnium.*

De Manſuetudine, ſeu lenitate. Cap. V.

LEnitas eſt mediocritas, quæ in iris verſatur. hæc etſi ex vi verbi tendit ad id, quod in iraſcendo, parum eſt: (*lenis enim videtur eſſe, qui etiam compulſus, non iraſcitur, etſi iure iraſci poſſe videatur:*) tamen quia medius in hoc genere vacat nomine, vt fere etiam extremi, lenitatem in medio, *quaſi in ſede vacua*, locamus. Nimium vero iracundia dici poteſt: [1] non ira. nam ira affectio eſt animi, ſeu perturbatio, & πάθος; [2] cuius multæ atque variæ ſunt cauſſæ efficientes. at nos habitum quærimus. Medium vero tangit, & laudatur is, qui, quibus de rebus, quibusq; hominibus oportet, iraſcitur: tum quemadmodum, quo tempore, & quandiu oportet. talis enim lenis homo fuerit, ſi lenitatem pro medio accipimus, & in laudabilium rerum numero reponimus. Porro ea videtur etiam lenis hominis natura, vt ab omni tumultu animi ſit liber, & ſolutus: nec ſe à perturbationibus trahi patiatur; ſed vt ratio præceperit, ita, & his de cauſſis, ac tandiu iraſcatur, & animo magnopere commoueatur. peccare nihilominus in eam videtur partem, quæ eſt infra modum: non enim ad vlciſcendum lenis vergit, ſed potius ad ignoſcendum. Parum vero, ſeu defectus (lentitudinem appellare licet) vituperatur. qui enim ob cauſſas, ob quas ſuccenſere debent, & quomodo, quo tempore, quibus hominibus debent, non ſuccenſent, [3] ſtulti, ſeu fatui videntur, ac prorſus ſenſu carentes; doloris incapaces, & ad vlciſcendum inepti. aliorum vero in ſe, ſuosq́; contumelias perpeti, & negligere, mancipiorũ eſt. Nimiũ vero, ſeu exuperantia omnibus peccandi modis gignitur. Nam & quibus, & propter quas cauſſas iraſci non debemus, & [4] vehementius, quam debemus, & citius, atque diutius quam oportet, iraſcimur. Non tamen hæc in vno inſunt omnia, nec ineſſe poſſunt. nam cum malum omne ſeipſum perdat, & interimat: tum ſi

totum,plenumque ſit,intolerabile efficitur,nec ſtare poteſt. *Alÿ igitur alÿs modis peccant: non omnibus ſinguli. quare in tres riuos hoc vitÿ diductum.* alij enim ὀργίλοι, alij πικροί, alij χαλεποί. Ac primum ὀργίλοι *(latine iracundi, communi vocabulo, reddi poſſunt)* ſunt ij,qui celeriter irritantur,facillimeq; iraſcuntur,& quibus,& propter quas cauſſas non oportet, & vehementius, quam oportet. ſed ijdem placantur breui; [5] quod quidem in illis vel optimum exiſtit. Idque accidit,quoniam non comprimunt iram, neque cohibent, ſed ſtatim in eos,qui læſerunt, effundunt,*ſaltim verbis*, ob animi concitati celeritatem; qua quidem ratione produnt animum ſuum: & poſt iram deponunt; *quos vti apertos facile caueri Euripides ait in Medea*. Hos inter ij præcipuum tenent locum, qui proprio nomine ἀκρόχολοι, hoc eſt, ſummopere bilioſi appellantur, quod ſint ſupra modum ad iraſcendum celeres,& ad omnia,omnibus de cauſſis, iracundia exardeſcant, à quo nomen acceperunt: tamquam acuminis nimij. *vnde & ὀξύχολοι ſignificantiore vocabulo vulgo appellati.* πικροὶ vero,ideſt amari,ſeu acerbi,propemodum ſunt implacabiles,diuq; irati perſeuerãt. iram enim& animum comprimunt; nec quieſcunt, donec iniuriam vlti fuerint. Vltio enim voluptatem afferendo, dolorem pellit, qui iram fouebat; pulſo dolore, ira quieſcit: [6] quod ſi aſſequi non poſſint,graui onere premuntur, *quod ipſi ferant neceſſe eſt*. Cum enim eorum dolor non ſit alijs notus, nemo incumbit in eos mitigandos; *carent igitur auxilio amicorum, optimoq; ad virus euomendum pharmaco:* nec niſi longo tempore iram in ſe ipſis concoquere poſſunt: *vti nec humores corruptos, niſi naturæ,vel artis ope foras mittantur, conficere*. Itaque moleſtiſſimi hi ſunt ſibi, & amicis. *nam & ſe vexant: & cum male animo habeant, non poſſunt iucundi eſſe alÿs.* χαλεποὶ vero, ideſt aſperi, atque ſæui ſunt illi, qui & propter quas cauſſas non debent, iraſcuntur: & qui non placantur, niſi accepta vltione de iniurijs: vel ijs,quibus irati erant,caſtigatis. *hi,vti canes, non iuſtis de cauſſis irruunt in alios,omnibus infeſti,& in iracundia obſtinati; quare omnium ſunt deterrimi. Inter hos igitur hæc apparet diuerſitas. ὀργίλοι, ſeu ἀκρόχολοι cito iraſcuntur, aliaq; habent,quæ diximus. πικροὶ* [7] *afferunt iracundiæ diuturnitatem, & occultum animum,ac fere implacabilem. ſed non ſunt adeo ad iraſcendum faciles: nec in quos non debent vel magis quam deberent,iraſcuntur. demum χαλεποὶ tum iram difficillime deponunt,tum illa adiungũt, quòd & in quos non oportet,& ob quæ non oportet,& magis quam oportet,iraſcuntur; ſuntq; apertiores quã acerbi: tum etiã vltionis appetentiores. at non ſunt adeo,vt illi primi, ad iracundiã celeres, atque faciles. vt dici poſſit iracundiæ virulentiam omnem in tres partes eſſe diuiſam. totã vero ſimul non repeririri.*

Lenitati autem magis opponimus nimium, quam parum. *magis*

ergo iracundus, amarus, aſper, ſeu infeſtus, virtuti aduerſantur, quam lentus. illa enim ſunt frequentiora mortalibus, qui iniuriam vlciſci vſitatum, & ſollemne habent; At ad conuictum, vitæque conſuetudinem ſæui, & aſperi homines ſunt minus accommodati. *corrumpunt enim fructus illos, qui ex conſuetudine, atque familiaritate capiuntur: ac res periculi plena eſt cum eiuſmodi ingenij hominibus verſari*. Quomodo autem, & quibus hominibus, & quibus de cauſſis, & quamdiu, & quouſque, ſit iraſcendum, non eſſe facile oratione diſtinguere, ex ijs, quæ nunc dicimus, intelligi poteſt. qui enim parum de recta linea migrat, ſiue in nimium, ſiue in parum deflectat, non vituperatur. interdum enim laudamus eos, qui modum deſerunt, & lenes, ac manſuetos appellamus; interdum eos, qui grauiter iraſcuntur, eſſe animo virili dicimus, [8] tanquam ad imperandum idoneos. Quam longe igitur, & quomodo à via decedens aliquis ſit vituperabilis, non eſt facile verbis definire. In rebus enim ſingularibus, atque ſenſu iudicium huius rei ſitum eſt. Illud certe perſpicuum, medium habitum eſſe laudabilem: nimium vero & parum vituperabilia: quæ ſi non longe abſunt à medio, leuiter: ſi longius, grauiter: ſi longiſſime, grauiſſime ſunt vituperanda. Medius itaque habitus diligenter retinendus. Hactenus de habitibus animi, qui in ira verſantur.

SCHOLIA.

1 NOn ira.] *exuperantia* ὀργιλότης *græce dicitur: ipſa affectio* ὀργή.

2 *Cuius multæ atque variæ.*] *has accurate in commentario de affectionibus animi retulimus.*

3 *Stulti, ſeu fatui videntur.*] *vel etiam ſtupidi. Zeno Eleates reprehenſus, quod maledictis laceſſitus excandeſceret;* Si conuicia, inquit, æquo animo admiſero, ne laudes quidem ſentiam. *lapidis enim eſt non ſentire diſcrimen inter laudantem, & vituperantem.*

4 *Et vehementius.*] *in quo Alexander peccauit erga Clitum; cuius audacia leuius poterat, quam morte, puniri. recte Melanthius eam tantum iram damnauit, quæ domo excluderet.*

5 *Quod quidem in illis.*] *egregiæ indolis argumentum; nam, vt P. Mimus aiebat, Bonos apud viros cito moritur iracundia.*

6 *Quod ſi aſſequi non poſſint.*] *vt ſpiritus, incluſus terræ viſceribus, cum illa diu luctatur, ac tandem ſcindit, & in terræmotus erumpit: contra, locum exeundi nactus, euaneſcit: ſic ira facit in animo; quem, dato exitu, omni onere liberat: concluſa torquet, & cruciat: nec niſi profeciſſum deſerit.*

7 Πικροὶ *afferunt iracundiæ diuturnitatem.*] *hos, & ſuperiores, quos in ira apertos, ſed ad deponendum faciles eſſe diximus, expreſſit Tiberius apud Tacitum; cuius hæc ſunt verba.* Etiam Q. Haterius & Mamercus

cus Scaurus ſuſpicaem animum perſtrinxere. Haterius, cum dixiſſet, Quouſque patieris Cæſar non adeſſe caput Reipub. Scaurus, quia dixerat, ſpem eſſe ex eo, non irritas fore Senatus preces, quod relationi conſulum iure tribunitiæ poteſtatis non interceſſiſſet. In Haterium ſtatim inuectus eſt. Scaurum, cui implacabilius iraſcebatur, ſilentio tranſmiſit.

8 *Tanquam ad imperandum idoneos.*] *Plato cenſuit homines natura iracundos aptiores fore ad diſciplinam, quam ad Rempub. capeſſendam; quo vitio cum ſe laborare Antiochus Sophiſta intelligeret, abſtinuit administratione Reipub.*

De Affabilitate. *Cap. VI.*

I*Am vero ad ea mortalium ſtudia gradus faciendus, è quibus ſuauitates percipiuntur, quæ nihilominus fructus non magnos ferunt. hæc tria ſunt: affabilitas, veracitas, facetudo. & primum quidem de affabilitate.* Porro in conuictu & congreſſu hominum, & vitæ quotidianæ conſuetudine, atque ſermonum, & factorum communione [1] alij blandi, ſeu placendi ſtudioſi videntur: qui, vt ſint voluptati, laudant omnia, nullaq; in re aduerſantur: ſed putant ſe eis, in quos incidunt, nullo modo debere eſſe moleſtos. Alij contra ſunt, qui in omni re aduerſantur, neque magnopere, ne quem offendant, laborant: moroſi, litigioſi, difficiles appellati. Hi vituperabiles animi ſunt habitus, & extremi: medius laudabilis, quo vir bonus probat, & laudat ea, quæ ſunt probanda, & laudanda; offenditurq; contrariis. Nomen ei nullum eſt proprie, ſed ad amicitiæ ſimilitudinem proxime videtur accedere. amicus igitur, qui eiuſmodi habitu præditus eſt, dici poteſt, ſi ei acceſſerit, vt amet. Eo autem hic habitus ab amicitia differt, quod caret animi motu, & amoris affectu in eos, quibuſcum verſatur. approbat enim vnumquicque, vt oportet, non quod amet, vel odio habeat: ſed quia eius eſt ingenij, taleque conſilium viuendi cepit, vt erga notos & ignotos, domeſticos & externos eandem facilitatis normam retineat, vt cuiq; conuenerit, inflectendam. neque enim familiares ſeu domeſticos, & alienos æque vereri, & obſeruare, nec rurſus offendere decet. *Sed eſto familiares & extranei ſint diuerſimode tractandi; non poteſt tanta hic ineſſe varietas, vt ob amicitiam à recta monendi, obiurgandiq; regula recedatur.* Ad honeſtum vero, & vtile ſuas referet actiones, huncq; ſibi ſcopum proponet, ne quem offendat, vel vt potius delectet. verſatur enim in ijs voluptatibus, quæ ex colloquijs & cœtibus hominum capiuntur. ex quibus, ſi qui ſint, quos delectare ſit minus honeſtum, vel damnoſum: eliget potius moleſtiam affice-

afficere, *quam eorum minus probe facta, dictaue laudando, probandoq́; egredi terminos honeſtatis, ſibique damnum inferre. proprium enim id eſt aſſentatorum.* Adhuc ſi quis magnum ſibi, aliquid agendo, damnum creet: cui ſi obuiam eatur, leui quidem ille moleſtia afficiatur: factum illud turpe, aut damnoſum non probabit, ſed reijciet, ac ſtomachabitur. *parua enim illata moleſtia magnopere illi proderit.* [2] Aliter autem cum ijs ſe geret, qui ſunt dignitate aliqua præditi, aliter cum infimæ conditionis hominibus: aliter cum notioribus, aliter cum minus notis: ac ſimiliter in ceteris ſuum cuique pro dignitate tribuet; ac delectationem quidem per ſe eliget: offenſionem vero vitabit. Omnino autem ſe rebus, quæ euenturæ ſunt, & pondus habituræ, accommodabit: honeſto inquam, & vtili: nec verebitur leuiter offendere, ſi magna inde voluptas in poſterum ſit profectura. talis igitur medius eſt: quamuis innominatus. *Nos affabilitatem, ſeu comitatem dicere poſſumus; etſi vtraque vox ad id quod in hoc genere parū eſt, propendeat: vti de manſuetudine diximus.* Sed cum antea eos, qui in omnibus delectare volūt, in extremo, quod nimium eſt, collocauerimus, eosq́; blandos, & placendi ſtudioſos appellauerimus: adhuc ſciendum eſt, his nominibus eos tantum dici, qui nil aliud propoſitum habent, quam, vt ſint iucundi. nam, qui id faciunt, vt pecuniam, vel aliquam ex eo vtilitatem capiant, quæ pecunia æſtimetur, aſſentatores nominantur. Extremi vero habitus, *puta omnibus placendi ſtudium, & moroſitas* hic inter ſe *tantum, non cum medio* videntur opponi, quia medium eſt innominatum.

SCHOLIA.

1 *Alij blandi, ſeu placendi ſtudioſi.*] ἄρεσκοι. *hos bellos dici poſſe ſcribit M. A. Muretus in comment. Catulli. Talis ille fuit, cui Cælius orator ait,* Dic aliquid contra, vt duo eſſe videamur.

2 *Aliter autem cum ijs ſe geret.*] *Linus Herculem fidibus canere docebat; quem cum ruditer increpaſſet, quod imperitius inſtrumentum tangeret, plectro in capite ab eo percuſſus, & occiſus eſt. Cuius malo doctus Citharœdus, qui Alexandrum docebat, fuit in monendo cautior. Nam cum Alexander ab eo iuſſus chordam tangere modulis conuenientem, reſpondiſſet,* Ecquid ſi hanc pulſauero? *digitum in aliam mouens: ſubdidit ille: Nihil intereſt Regis: ſed intereſt futuri Citharœdi: vt ſcribit Aelian. lib. 3. Egregium temperamentū inter regium obſequium, & normam diſciplinæ. Acute etiam Pſaltes cum Antigono egit. monenti enim Antigono, vt conſtringeret netem, ac rurſus mediam, reſpondit; auertant à te dij malum hoc, ô Rex, vt me melius, & exquiſitius hanc artem teneas. Aelian. lib. 9.*

De Ve-

De Veracitate. Cap. VII.

IN eadem vitæ conſuetudine, ac iiſdem fere rebus arrogantiæ mediocritas verſatur: hæc vero nomine vacat: Sed non erit incómodum, tales quoque habitus perſequi: nam ſingulis explicatis, planius ea cognoſcemus, quæ ad mores faciunt: & virtutes mediocritates eſſe, gradu per ſingulas facto, magis erit nobis perſuaſum. Dicendum igitur de ijs, qui in conuictu, vitæque ſocietate veritatem colunt, aut mentiuntur verbis pariter, & factis, ac ſimulatione vtuntur. Arrogans itaque, ſeu glorioſus res ſibi glorioſas vendicat, quas non habet; vel maiores vendicat, quam habet, contra diſſimulator, vel ea, quæ habet negat: vel minora fingit, atque extenuat: medius vero cum talis ſit, qualem ſe præbet, verax eſt, & vita, & oratione: ea quæ habet, in ſe eſſe faſſus: nec aucta verbis, nec extenuata: Horum vero ſingula vel nullius rei cauſſa fieri poſſunt, vel aliquo alio propoſito fine: *hæc inter ſe valde differunt*. Nam eius, qui nullum in loquendo, vel agendo peculiarem habet finem, talis oratio, & actio, & vita eſt, qualis ipſe: at ſi rei alicuius gratia loquatur, & agat, poteſt eius actio, & oratio ab ingenio diſcordare. Per ſe vero mendacium malum eſt, & vituperabile: verum autem honeſtum, & laudabile: ita verax, cum ſit medius, laude dignus eſt. at qui mentiuntur, ſeu augeant, ſeu extenuent res ſuas, ambo ſunt illi quidem vituperandi: ſed magis arrogantes. De vtriſque autem dicamus: ac primum de veraci. Neque vero de veraci eo loquimur, qui vel in pactis conuentis, vel in rebus, quæ ad iuſtitiam, & iniuſtitiá pertinent, verus eſt, *vt de eo, qui depoſitum reddit*: (alius enim hæc ſunt fortaſſe virtutis?) at de eo, qui, quibus in rebus nihil refert, talem eſſe, *nec ipſe aliquo obligationis vinculo tenetur*, tum in oratione, tum in vita veritatem colit eo ipſo, quod tali animi habitu præditus eſt. Talis autem qui eſt, non immerito vir bonus dicatur. Nam, qui in rebus, in quibus veritatem ſequi, parum, aut nihil refert, veritatem amat: multo magis vere in ijs loquetur, in quibus magnopere refert. Mendacium enim vti turpe *in re graui* fugiet, quod iam ipſe per ſe ſuapte natura fugiebat *in leui*. Ac talis vir laudabilis eſt. Ad extenuandam autem rerum, *quæ ipſi laudem tribuunt*, veritatem propenſior eſt: hoc enim cócinnius & elegantius videtur: contrariũ vero facere, odioſum: tendit enim ad nimiũ, quod graue eſt, & odioſum: *& veram de ſe laudem prædicare nimium alijs videtur*. Qui vero maiora ſibi, quàm quæ inſunt, tribuit nullius rei cauſſa, eſt ille quidem improbo ſimilis: (non enim mendacio delectaretur) veruntamen leuis potius, ac nugatoris, ſeu fatui hominis, quam mali ſimili-

tudinem gerere videtur. Qui vero alicuius rei gratia maiora ſibi vendicant, ſi gloriæ vel honoris cauſſa faciunt, non ſunt valde vituperandi: tales ſunt arrogantes: ſin pecuniæ, vel aliarum rerum, quæ pecuniæ loco ſunt, multo videntur turpiores. Arrogans autem non in facultate, ac poteſtate deprehenditur, ſed in electione, atque inſtitutæ vitæ ratione. *non enim ex eo, quod poſſit ſibi plus, quam habeat, arrogare, eſt, & dicitur arrogans: cum id vnusquiſque etiam probus, & verax poſſit: ſed ex eo, quod eligit ſibi plus ſumere, ac talem vitæ rationem inſtituit. nam poteſtates non ſunt laudabiles, vel vituperabiles, ſed electiones; vt in Topicis dictum eſt.* Ex habitu igitur, & eo quod re ipſa talis ſit, *non quia eſſe poſſit,* arrogans eſt. quod in mendace ſimiliter apparet. neque enim ille mendax eſt, qui mentiri poteſt: ſed qui eligit mentiri, & mendacio gaudet. Cum autem duo ſint arrogantum genera, alterum eorum, qui mendacio ipſo delectantur: alterum eorum, qui alterius rei gratia, puta quæſtus, vel gloriæ mentiuntur; ij quidem, qui cupiditate gloriæ plus æquo ſibi tribuunt, ea ſibi vendicant, propter quæ homines vel laudari, vel beati prædicari ſolent, *vt virtutem, pulchritudinem, diuitias;* qui vero quæſtus cauſſa id faciunt, & ex hac ſui commendatione lucrum quærunt, ea ſibi tribuũt, quæ alijs vtilitatem, ac voluptatem afferunt, & in quibus facile eſt, fucum aliis facere, ne ipſi mendacij arguantur, & damnentur. quare magna eſt eorum copia, qui ſe medicos ſimulant, aut vates ſapientes. & quidem tales ſunt arrogantes. His in aduerſo extremo diſſimulatores opponuntur, qui ſua omnia verbis eleuant, & extenuant. atque hi moribus videntur eſſe politioribus, quam arrogantes. non enim lucrum ſectantur, nec emolumenti gratia ita loqui videntur, ſed quaſi elationem animi, faſtumq; fugiant. maxime vero hi omnia illa, quæ gloriam gignunt, de ſe negant, [1] quod & Socrates faciebat, *aſſerens ſe nihil ſcire.* Sunt etiam, qui res paruas, & in aperto poſitas diſſimulant, & quæ manifeſto ſibi inſunt, eſſe negant, βαυκοπανοῦργοι à Græcis appellati: verſutos, aut delicatos veteratores dicere licet. ſunt hi abiecti homines, ac vulgo contemnuntur, ac interdum cum arrogantibus magnam habent affinitatem; [2] qualis eſt Lacedæmoniorum veſtitus. nam & nimium, [3] & valde parum ſtudio glorioſi, ac iactabundi hominis inſeruit. *& qui bona, quæ ſibi manifeſto inſunt à ſe reijcit etiam parua, & minima: arrogantior ſæpe illo eſt, qui ſibi plus, quam iure poteſt, attribuit.* Qui vero intra modum diſſimulatione vtuntur, eaque diſſimulant, quæ non admodum nota, neque in promptu ſunt poſita: ij politi homines videntur. Veraci autem opponi magis arrogans videtur, quam diſſimulator. deterior enim eſt, *& frequentior.*

SCHOLIA.

1 QVod & Socrates faciebat.] ironia, & diſſimulatione meritorum ſuorum Scipionem vſum, ex Fannio tradit M. Cicero. eundem veracem admodum fuiſſe negari non poteſt. teſtis eius rei oratio eſt, quam ille, in iudicium vocatus, habuit. Hodie Hannibalem vici: Carthaginem tributariam feci: patriam maximo periculo liberaui. eamus hinc in Capitolium, & gratias diis agamus.

2 *Qualis eſt Lacedamoniorum veſtitus.*] *vtebantur hi veſtibus viliſſimis, nec infra genu: vt frugalitatis laudem aucuparentur; ſub villoſo, ſordidoque amictu arrogantiſſimi: quos cum ſapiens quidam aſpexiſſet, dixit,* hoc vero nouum faſtus, & arrogantiæ genus eſt.

3 *Et valde parum ſtudio glorioſi.*] *à contemptu gloriæ ſæpe maior gloria quæritur apud reputantes, quanta rerum, quæ non apparent, fiducia hæc, quæ aperta ſunt, contemnantur. callida, atque verſuta prorſus obtinendi finis ratio.*

De Facetudine. Cap. VIII.

SEd cum in vita, *laborum & moleſtiæ plena*, ſuus eſſe debeat requieti locus, & aliquid tẽporis in ludo, ac ioco ponere, expediat: hic quoque videtur mediocritas quædam in ſermonis concinnitate poſita conſiſtere, vt talia dicantur, & audiantur, qualia, & quemadmodum dici, & audiri debent. Multum vero intererit, inter quales, quis loquatur, vel quales loquentes audiat. *neque enim ioci omnes omnibus ſiue ad loquendum, ſiue ad audiendum conueniunt.* Iam vero perſpicuum eſt, in his, & nimium eſſe, & parum: medium igitur quoque erit. nimium enim & parum non ſunt, niſi diſtent à medio. Atq; ij quidem, qui riſum vltra modum excitant, ſcurræ videntur eſſe, ac ridiculi, contemptiq; homines; vt qui ſingulari cupiditate ridiculorum magis, vt riſum moueant, ſibi propoſitum habent, quam vt honeſta, & decora loquantur; nec magnifaciunt, ne animum illius, in quem ſalſe dicunt, offendant. In oppoſito extremo ſunt agreſtes, & inſulſi homines: qui nec ipſi quicquam feſtiue, ridicule, ſalſeq; dicere queunt: & iis qui dicunt, ſtomachantur. At qui concinne, ac lepide ſalibus, & iocis vtuntur, faceti, aut vrbani nominantur: à Græcis εὐτράπελοι, quaſi apte ingenium vertentes. tales enim motus ingenij, ac morum eſſe videatur. Quemadmodum vero corpora iudicantur à motu, *grauia ne ſint, an leuia: ſana, an infirma: agilia, an lenta:* ſic ex facetis iocis, quaſi aptis motionibus, animi elegantia, compoſitioq; dignoſcitur. Hic tamen error irrepſit, vt ſcurræ facetorum nomine ornentur, ac tanqnam humanitate politi homines habeantur:

idque inde factum, quod cum ſales & ridicula valde increbuerint, complures homines, *ac præſertim qui rerum potiuntur, quiue ſecundis rebus vtuntur*, iocis, & ſalſe dictis magis, quam par ſit, delectentur. Sed ex iis, quæ diximus, inter ſcurras, & facetos multum intereſſe, perſpicuum eſt. Sed & medio habitui etiam ea, quæ Græce δεξιότης, dexteritatem, ſi placet, dicamus, accommodatur. Dexteri porro hominis eſt, ea & dicere, & audire, quæ viro bono, ac libero conueniunt. Sunt enim quædam, quæ talem virum per iocum deceat dicere, & audire: magniq; intereſt inter ſeruile iocum, & ingenuo dignum: magni quoque inter eruditi iocum, & inerudititi; quod porro diſcrimen ex veteribus nouisq; comœdiis intelligere licet. Illis enim ridicula res erat verborum obſcœnitas, nec aliunde riſus captabatur. in nouis autem ſententia potius verbis tecta, & obſcura, inhoneſta facta clam ſignificante, riſus excitatur. inter hæc autem, ad honeſti atque decori ſpeciem, magnum eſt interuallum. Vtrum igitur is, qui bene in alterum dicta ſalſa dicat, ex eo definiendus eſt, quod ea dicat, quæ ingenuum decent? an potius ex eo, quod eum, qui audit, non offendat, aut etiam delectet? at hoc poſterius incertum, & indefinitum eſt. Alia enim alijs ſunt odioſa, & iucunda: nec omnes eadem oblectant, vel offendunt. *prius ergo illud magis accipiendum: ſtatuendumq; non eſſe in hoc genere ab ingenui hominis officio declinandum.* Qualia vero quis in alterum dixerit, talia ſe auditurum in animum inducit. Nam quæ quiſque æquo animo audit, hæc facere videtur; *& qui probra in ſe iactata tranquille perfert, eadem admittere cenſetur.* Non igitur quiduis in alium iactabit, nec omni dicacitate promiſcue vtetur vir facetus. nam ſalſe dicta, *non ſpectata conditione perſonæ, loco, ac ceteris eiuſmodi*, tranſeunt in conuicia, & maledicta. Latores vero legũ maledicta quædã in alios iacere vetant: *nam contra conuiciatores agebatur apud Heliæã.* ſed non prohibent iocos amarulentos: at præſtabat etiã moderari iocorũ licentiæ; ac ſalſe dictorũ. Neq; enim quiduis in aliũ ſalſe dicere licet. Homo igitur politus, & ingenuus; *vbi lex deficit*, ipſe ſibi erit lex: *ne ad iocos amaros deſcẽdat, vel plebi vſitatos.* Ac medius quidem talis eſt, ſiue dexter, ſiue vrbanus, ſiue facetus dicendus ſit. Scurra vero ridiculis moderari non poteſt; vinciturq; cupiditate ridicula dicendi: quare, vt riſum moueat, nec ſibi parcit, nec alijs: taliaq; in ſe, & alios dicit, qualia humanitate politi hominis aures non ferant. Agreſtis vero, & inſulſus, atque ruſticus ad huiuſcemodi colloquia, & congreſſus inutilis eſt, & ineptus. Nam cum ipſe nihil operæ ad ea conferat, nulliq; in ijs vſui ſit: tum etiam omnibus offenditur, & omnia ſtomachatur. at requies & iocus videntur ad hominum vitam neceſſarij, nec ab ea eijciendi. *nam ni quieſcat, & recreetur animus, facile laxatur.* Sunt igitur tres,

quas

quas diximus, in vita mediocritates, quæ omnes in quorundam ſermonum, & factorum communione verſantur. Sed eo differunt, quod vna, puta veracitas, in veritate: reliquæ duæ in iucunditate ſitæ ſunt ambæ: atque harum altera, puta facetudo in iocis: altera, quæ affabilitas dicitur, in vitæ conſuetudine vertitur.

S C H O L I A.

1 *Velplebi vſitatos.*] *In hoc nimius fuit Veſpaſianus Princeps, quem ſcribit Suetonius, fuiſſe* dicacitatis plurimæ, & ſic ſcurrilis ac ſordidæ, vt ne prætextatis quidem verbis abſtineret.

2 *Nec ſibi parcit, nec alijs.*] *Horat.* dummodo riſum
Excutiat ſibi, non hic cuiquam parcet amico.

De Verecundia. Cap. IX.

Verecundia non eſt virtus, cum ſit perturbationi, quam habitui ſimilior. definitur itaque, infamiæ metus quidam; excitaturque, vt metus, qui ex rebus formidoloſis exiſtit. Erubeſcunt enim illi, qui pudore afficiuntur: palleſcunt, qui mortem extimeſcunt; quæ quidem perturbationis potius, quam habitus videntur eſſe. Apparet igitur vtrumque ad corpus quodammodo pertinere. Eſt autem verecundia quid virtute inferius. naſcitur enim ob mala, quæ à viro probo ſunt aliena. [1] quare admittitur, & commendatur in adoleſcentia, quod ætas illa ſubiecta perturbationibus, multa peccet; à quibus pudore reuocatur: [2] non laudatur in adultis, & ſenibus, qui à peccãdo longe abeſſe debent. ac iuuenes laudamus eos, qui ſunt pudentes; ſenem vero, qui pudore afficiatur, nemo laudauerit. Nihil enim arbitramur eum agere oportere illorum, propter quæ pudor exiſtere ſolet. [3] nam nec viri boni eſt pudor, cum ex malis naſcatur, quæ non ſunt agenda [4] ſiue re ſint turpia, ſiue opinione: neutra enim ſunt agenda, & ruborem afferunt, ſi fiant. Ergò pudore affici non oportet. Præterea improbi hominis eſt, talem eſſe, vt turpe aliquid agere poſſit. ita vero animatum eſſe, vt ſi quid tale admiſeris, pudore afficiaris, atque ob hanc cauſſam te virum bonum eſſe putare, abſurdum eſt: *nec iſta ſpongia maculam eluet.* Eorum enim, quæ ſponte noſtra agimus, nos pudet. at vir bonus mali quicquam ſponte ſua nunquam admittet. Sed tamen ex conditione pudor poteſt bonum videri. nam ſi *vir cetera bonus*, quid turpe ageret, pudore afficeretur: *quod certe optandum eſt. nihil enim turpius quam peccato ſuo gloriari, perfrictaue fronte propria errata tranſmittere. conditione igitur lata, ſeu poſita re turpi, verecundia laudatur: at non per ſe ſimpliciter*; ſed hoc non ineſt in virtutibus, *quæ per ſe ſimpliciter laudantur.* Nec

ſequitur,vt,ſi imprudentem eſſe,nulloq; pudore à turpibus reuocari, malum eſt,idcirco turpia agentem pudore affici, ſit *per ſe, ac ſimpliciter*, bonum. Ac ne continentia quidem *ob eandem rationem* virtus eſt: ſed quiddam habet virtutis admixtum. de qua poſterius dicemus. Iam vero de iuſtitia diſſeramus.

S C H O L I A.

1. QVare admittitur & commendatur in adoleſcente.] ſenex comicus cum filium,domo meretricis prodeuntem,erubeſcere aduertiſſet, ſalua res eſt,*inquit:* erubuit.

2 Non laudatur in adultis.] contrariæ fuit mentis Alexander Aphrodiſienſis. nos hac de re ſcripſimus in commentario de affectionibus animi,e quo multa tum ad verecundiam,tum ad virtutes,præſertim quæ moderantur perturbationibus animi, attinentia, erunt petenda.

3 Nam nec viri boni eſt pudor.] Homerus ait, viri boni colorem non immutari.

4 Siue re ſint turpia,ſiue opinione.] lotium mittere in loco non ſecreto pudorem inijcit. multa quoque in occulto licite fiunt, quæ, in publico ſi fiant,ruborem excitant. nec illi audiendi,qui nihil turpe dictu eſſe aſſerunt, quod non ſit turpe factu; quæ fuit Cynicorum hæreſis. Archytas adeo fuit verecundus, vt ſi quid ex obſcœnis hominis eſſet proferendum, deſcriberet in pariete; vt Aelian.refert lib.vlt.var.hiſtor.

De indignatione,eiuſque extremis,quæ Ariſtoteles ſupra lib.2. cap.7. recenſuit,copioſe ſcripſi in commentario de affectionibus.

DE MORIBVS
LIBER QVINTVS.

De duplici iuſtitia: & eam, quæ vniuerſa dicitur, omnibus ſe virtutibus inferre. Cap. I.

DEinceps de iuſtitia,& iniuſtitia nobis agendum,videndumq; quibus in actionibus verſentur: & quæ nam mediocritas iuſtitia ſit: & quarum denique rerum ius ſit medium. In his autem rebus exquirendis eandem viam, & rationem tenebimus, quam in ſuperioribus ſequuti ſumus. Videmus igitur omnes iuſtitiæ nomine habitum quendã eiuſmodi ſignificare velle,quo homines propenſi ſunt ad agenda, quæ iuſta ſunt: & quo ea agunt, & volunt: eodemq; modo iniuſtitiam habitum eſſe, quo res iniuſtas & agunt, & volunt.

Quocir-

Quocirca hæc nobis poſita ſint,& conceſſa, ad vtrinſque habitus naturam adumbrandam. *Neque vero quod iuſte, ac iniuſte facere, ad duplicem habitum retulerimus, nec eorum alteri adſcripſerimus, ſuperflui fuiſſe cenſendi ſumus: quaſi contrariorum vnus poſſit eſſe habitus, quemadmodum vna quoque ſcientia eſt, vna facultas.* Porrò in ſcientiis & facultatibus longe aliter ſe res habet, quam in habitibus. nam facultas eadem eſt contrariorum: *vna ſcilicet vis atri, & albi coloris aſpiciendi:* eadem quoque ars, vel ſcientia. *nam qui ex arte ſcit ſalubria adhibere medicamenta: ex eadem quoque arte nouit adhibere noxia.* at habitus contrariorum nō eſt idem. *determinatur enim ad eorum alterum. quare, qui ex habitu iuſte facit, ex eodem habitu non poteſt facere iniuſte.* exempli cauſſa: à bona valetudine, *quæ habitus eſt corporis recte conſtituti*, ea tantum efficiuntur, quæ bonæ ſunt valetudinis propria, non contraria. dicimus enim quem valenter ambulare, cum ita ambulat, vt is, qui bene valet. *debilem vero greſſum bonæ valetudini non attribuimus.* at ex habitu contrario contrarius intelligitur, ſeu etiam ex rebus, quę illis ſubiiciuntur. nam ſi bona corporis habitudo, firmaq; conſtitutio nota ſit, nota erit etiam mala, & infirma: hac etiam cognita, illa ſtatim innoteſcet. Si enim bona corporis habitudo carnis eſt ſoliditas, ſequitur neceſſario, vt mala corporis habitudo ſit carnis raritas. Et cognitis ijs, quæ firmam corporis conſtitutionem efficiunt, firma quoque conſtitutio corporis erit cognita: & rurſus ex hac ipſa innoteſcent illa, quæ bonam corporis conſtitutionem efficiunt. *quare tradita iuſtitiæ definitione, quid iniuſtitia ſit, ſtatim intelligemus. hac enim omnia eadem ſcientia complectitur.* Plerumque autem ſequitur, vt, ſi alterum *contrariorum* pluribus modis dicatur, alterum quoque multis modis efferatur. quare ſi multæ ſunt iuſti ſignificationes, multæ quoque erunt iniuſti. Multis autem modis iuſtitia, & iniuſtitia dici videntur. ſed quoniam earum homonymia, hoc eſt, nominis communitas, res valde propinquas cōplectitur, obſcurior eſt: neque ita, vt in ijs, quæ longe diſtant, apparet. Magna enim eſt in ipſa forma differentia, *licet appellatio eadem ſit*, vt κλεὶς apud Græcos, (Latine clauis) tum inſtrumentum illud, quo fores clauduntur, tum iugulum ipſum ſignificat: *reſque ſpecie admodum diuerſas vnica appellatione comprehendit: quæ nominis homonymia Philippo Alexandri patri, auaro illudendi medico, præbuit commoditatem. cum enim ex vulnere iugulum, ſeu colli clauis hæc ei aperta foret: medicumq; haberet importunum, qui crebro mercedem flagitaret: dixit, non oportere illum de mercede ſollicitum eſſe, cum clauim in manu haberet, quantumque vellet pecuniæ, poſſet ex arca capere. Sed confuſionem iſtam, quam homonymia inducit, diſtinctione vitare licet.* conandum igitur, vt quot modis dicatur iniuſtus intelligamus.

mus. Et vero iniuſtus tum is eſſe videtur, qui contra legem committit: tum is, qui plus ſibi vendicat, quam par ſit, neq; ſeruat æqualitatem. ex quo perſpicuum eſt, iuſtum quoque futurum illum, qui legibus obtemperet: tum illum, qui ſibi plus, quam par eſt, non vendicet, æqualitate contentus. Ius igitur, *in quo iuſtitia, & iniuſtitia verſantur*, erit, tum id, quod legibus ſancitur, quod legitimum appellant, tum id, quod æquum eſt: iniuſtum vero tum id, quod contra leges fit, tum quod eſt inæquale. Quoniam vero iniuſtum hominem ſibi plus, quam par ſit, vendicare diximus: id ita intelligendum, non quaſi in omnibus bonis ita ſe gerat: *(neque enim vult in medicina eſſe medico peritior, nec oratore in dicendo præſtantior:)* ſed quaſi ex ijs bonis ſibi plus vendicet, in quibus ſecunda, & aduerſa fortuna locum habent: quæ ſemper quidem ſunt ſimpliciter, & ex ſe abſolute bona: ſed huic, vel illi non ſemper. Homines autem omnibus ea votis expetunt; & errant. optandum enim eſſet potius, ' vt quæ ſimpliciter bona ſunt, ea nobis quoque bona ſint: quæ verò nobis bona ſunt, ea eligenda, & ſumenda eſſent: *ne vota, quæ ſuſcipimus, talia ſint, qualia Troianorum ſacrificia dixit Homerus, inuiſa ſuperis.* Neque vero iniuſtus id, quod plus eſt, ſemper eligit: ſed in ijs, quę mala ſunt, minus ſibi ſumit. ſed quia minus malum quodammodo bonum videtur: & quia cum dicimus aliquem plus ſibi cupere, ſignificamus plus boni ſibi cupere: idcirco iniuſtus, dum ſibi de malo minus ſumit, videtur, diciturq; plus appetere: *non minus*. Eſt autem iniquus. (hæc enim vox vtrumque continet, *tum eum, qui ſibi plus accipit de bonis, tum eum, qui minus de malis.*) tum contra leges committit. nam legum tranſgreſſio omnem iniuſtitiam continet, omniſque iniuſtitiæ communis eſt. Quoniam igitur eum, qui contra legem committit, iniuſtum eſſe diximus: eum vero, qui leges ſeruat, iuſtum: perſpicuũ eſt, ea omnia, quæ legitima ſunt, & iuxta leges fiunt, eſſe quodãmodo iuſta. Nam & ea, quæ à ſcientia ferendarũ legum definita ſunt, legitima ſunt: & eorum vnumquodque iuſtum eſſe dicimus. Leges autem omnibus de rebus ita præcipiunt, vt vel communem omnium vtilitatem ſpectent, vel optimatum, vel eorum, penes quos ſumma rerum poteſtas eſt, cum præſtent ceteris, aut virtute, *aut diuitijs*, aut alio aliquo tali nomine. Quapropter vno quidem modo iuſta dicimus ea, quæ ad felicitatem, eiuſq; partes ciuili ſocietate conſtituendas, & conſeruandas valent. *omnia enim virtutum opera lex imperat:* puta, quo ad fortitudinem, ne in acie ordo, ac locus deſerantur, neue fuga ſpectetur, nec arma abijciantur: quo ad temperantiam, ne thorus alienus adulterio polluatur, neue ſtuprum cuiquam inferatur: quo ad lenitatem, & manſuetudinem, vt nemo pulſetur, neque in quenquam maledicta conijciantur: idemque ceteris in virtutibus,

ac vi-

ac vitijs lex præſtat, partim iubendo, partim vetando: recte quidem illa, quæ recte poſita eſt; perperam vero illa, quæ negligenter, ac temere lata. Hæc igitur legalis iuſtitia eſt ea quidem perfecta virtus, non tamen in ſe ſumpta, ſed ad alium relata. ideoq; ſæpe omnium præſtantiſſima videtur, ac neque Verſper, neque Lucifer, *vt ait Euripides*, tanta homines admiratione afficiunt, ac ipſa. quare hoc vti ſolemus prouerbio, *à Theognide primum vſurpato*. [2] Iuſtitia in ſeſe virtutem amplectitur omnem. eoq; maxime perfecta virtus eſt, quoniã vſum perficit virtutum. [3] *ordinat enim, atque dirigit aliarum virtutum functiones ad ſeruandam æqualitatem, ſeu medium tenendum, excluſis extremis*. adhuc perfecta eſt, quia, qui ea præditus eſt, etiam in alium vti virtute poteſt, non tantum ipſe ſecum. Plerique enim in ſuis quidem rebus ex virtute agere poſſunt: in ijs autem, quæ ad aliũ pertinent, non poſſunt. Quocirca præclare dictum à Biante: Magiſtratus virum declarabit. nam qui magiſtratum gerit, cum altero rationem habet, & in vitę communione verſatur; *quod difficilius porro eſt, quam ſecum eſſe, ac ſecum agere*. Atque hanc ob cauſſam ex omnibus virtutibus vna iuſtitia bonum alienum eſſe videtur. quia ad alterum refertur, & ad alterum pertinet. aliorum enim vtilitati conſulit: principis nempe, vel Reipub. *Ceteræ autem virtutes magis ſunt habentis bonum, quam illorum, in quos exercentur*: Et quidem deterrimus ille eſt, qui in ſe, & in alios eſt improbus: optimus autem ille eſt, non qui ſecum, & ſibi, ſed qui in alios virtutem colit. hoc enim difficile, atque operoſum eſt. *ex quo efficitur vt hæc ſit perfectiſſima virtus*. Hæc ergo legalis iuſtitia non virtutis pars eſt, ſed virtus vniuerſa. neque ei contraria iniuſtitia pars vitij eſt, ſed vitium integrum, & vniuerſum. Quid autem inter illam, & virtutem interſit, ex ijs, quæ diximus, planum fit. ſunt enim hæc eadem, ſed illis eſſentia, ſeu ratio non eſt eadem: nam qua cum altero rationem habet, & alterum reſpicit, iuſtitia eſt: *temperantiam enim dirigit, vt medium tueatur in voluptatibus: fortitudinem, vt medium teneat inter timorem, & audaciam: at in ceteris ſimiliter ſe gerit ad commune bonum*: at qua talis quidem habitus eſt, *vel talis, per ſe ſumptus*, virtus abſolute eſt. *Hæc de vniuerſa iuſtitia, quam generalem virtutem, ac per omnes virtutes vagantem ponimus*.

SCHOLIA.

1 *VT quæ ſimpliciter bona ſunt.*] *nam ea ſæpe afferunt perniciem. videnda, quæ ſcripſimus in Schol. ad libri 1 cap. 3 nu. 1.*

2 *Iuſtitia in ſeſe.*] *Idcirco eam Plato appellat nexum omnium virtutum lib. 4. de Repub. Calcidius in Timæum vocat ſymphoniam morum: Alcinous conſenſionem omnium animæ partium. eandem octonario numero Orpheus & antiquitas expreſſere, ob numerum ſphærarum, expri-*

mebantq; Saturno, Rhea, Oriri, ſpiritu, cælo, terra, nocte, die: vt Ficinus refert in 4. de Repub. Euripid. apud Stobœum ait, eſſe totius animæ harmoniam cum concinnitate. Demum Claudianus his eam verſibus commendat.

Te propter colimus leges, animoſque ferarum
Exuimus: nitidis quiſquis te ſenſibus hauſit,
Irruet intrepidus flammis, hyberna ſecabit
Aequora, confertos hoſtes ſuperabit inermis.

Hanc vniuerſam iuſtitiam Vlpianus quoque tetigit, cum ait, Iuris præcepta ſunt, honeſte viuere, alterum non lædere, ius ſuum vnicuiq; tribuere. *priora duo vniuerſam tantum iuſtitiam reſpiciunt: poſtremum vero iuſtitiam adhuc particularem.*

3 *Ordinat enim atque dirigit.*] *Iuſtitia, quæ vniuerſalis eſt virtus, non habet materiam à ceteris virtutibus re, ſed tantum ratione, diſtinctam; qua ſcilicet eas dirigit ad alterum: tum maxime ad commune bonum, per cuſtodiam legum, bonorumq; morum. neque enim virtutes particulares primo & per ſe commune bonum ſpectant, nec ſunt ad alterum: niſi ab iſta vniuerſa iuſtitia ſubleuentur. Differt vero à iuſtitia, quæ particularis eſt virtus. nam illa ordinat hominem ad tuendam æqualitatem inter ſingulares perſonas, vt in mutuo, commodato, locato, empto, & ſimilibus: hæc vero vniuerſalis dirigit functiones aliarum virtutum ad tuendam æqualitatem in commune bonum.*

De iuſtitia illa, quæ particularis eſt virtus. eamque duplicem eſſe: ac duplex ei ius reſpondere. Cap. II.

AT nos iuſtitiam quærimus eam, quæ pars eſt virtutis: & iniuſtitiam eam, quæ in vitij partibus numeratur. Aliquam vero eiuſmodi iuſtitiam extare, argumento eſt, quod, qui aliis vitiis peccat, facit ille quidem iniuſte: ſibi tamen plus boni, quàm oportet, nõ ſumit: vt qui clypeum in acie per ignauiam abiecit: vel qui ira incenſus, alteri maledixit: vel qui ob illiberalitatem aliquem non iuuit pecunia. cum autem ſibi plus boni ſumit, quàm oportet, ſæpe nullo ex dictis vitio, ac ne omnibus quidem, ſed vno tamen aliquo peccat. cum enim vituperamus: *(eſt igitur in vitio.)* & iniuſtitiæ nomine vituperamus. Eſt ergo alia quædam iniuſtitia, tanquam vniuerſæ iniuſtitiæ pars quædam: itemq; aliquod iniuſtum totius iniuſti, quod contra leges committitur, pars quædam. Præterea ſi quis quæſtus cauſſa cum vxore aliena rem habeat, ac mercedem ferat: alius autem cupiditate inflammatus, idẽ faciat, nihil vero accipiat, ſed po-

ſed potius ei det aliquid de ſuo, rei propriæ faciens iacturã: hic quidem intemperans potius, quam ſibi pluris vendicandi auidus, videatur, *vel iniuſtus:* [1] ille autem iniuſtus, non intemperans: quia quæſtus cauſſa facit. Præterea omnia alia iniuſte, hoc eſt, contra legem, & rationem admiſſa, ad aliquod ſemper vitium referimus. vt ſi quis adulterium fecit, ad intemperantiam: ſi eum, qui ſibi proximus erat in acie locatus, deſeruit, ad timiditatem: ſi quem verberauit, ad iracundiam. ſed ſi quæſtum *improbe* fecit, ad nullum aliud vitium, præter quam ad iniuſtitiam reducere poſſumus. Præter vniuerſam ergo iniuſtitiam alia quædam eſt eius pars, vno, eodemq; nomine appellata: eodem enim genere vtriusque definitio continetur: cum vtriusque vis in eo ſit poſita, vt ad alterum referatur. Sed hæc quidem particularis in honore verſatur, aut pecunia, aut ijs, quæ ad vitam tuendam, beneq; viuendum conducunt, aut ſi quo nomine poſſumus hæc omnia complecti: tum propter voluptatem ſuſcipitur illam, quæ è lucro proficiſcitur. *hæc enim omnia iuſtitiæ, & iniuſtitiæ particulari ſubijciuntur.)* at vniuerſalis illa in omnibus ijs vertitur, circa quæ vir bonus occupatus eſt; *in omnium ſcilicet muneribus virtutum.* Sed quæ, & qualis hæc particularis iuſtitia ſit, & iniuſtitia, intelligendum. Primum vero poſitum illud ſit, iniuſtum dici duobus modis: tum quod contra legem ſit: tum quod ab æqualitate diſcedit: iuſtum quoque aliud eſſe, quicquid ex lege ſit: aliud quod eſt æquale. porro ex iniuſto, quod contra leges eſt, ſuperior iniuſtia oritur, & appellatur. Quoniam vero ab æqualitate diſcedere, & contra legem facere non eſt idem: ſed ab æqualitate diſcedere habet rationem partis: contra legem facere habet rationem totius: (nam facit quidem contra legem, quicumque ab æqualitate diſcedit: ſed non quicumque contra legem facit, diſcedit ab æqualitate) ſit etiam vt iniuſtum & iniuſtitia nõ ſint eadem: ſed alia, & alia: nam hæc particularis iniuſtitia pars eſt iniuſtitiæ illius vniuerſæ: & iuſtitia particularis iuſtitiæ vniuerſæ. De hac igitur particulari iuſtitia, & iniuſtitia, deq; eo, quod illis ſubijcitur, iuſto & iniuſto nobis agendum; ijs quæ ad iuſtitiam & iniuſtitiam vniuerſam pertinent, omiſſis. harum enim altera totius virtutis cum altero vſus eſt: altera totius vitij. quare ex ijs, quæ de virtutibus ſingillatim dicuntur, earum natura perſpici poteſt. Fere autem pleraque illorum, quæ præſcribuntur legibus, ſunt ea ipſa officia, quæ ab omni virtute, *ac vniuerſa iuſtitia* præcipiuntur. [2] Vnicuique enim virtuti conuenienter viuere leges iubent: & vnumquodque vitium ſequi vetant. [3] Cauſſæ vero efficientes vniuerſæ virtutis ſunt ea iura omnia, quæ legibus de diſciplina ad Rempub. vtili comprehenſa, deſcripta, & conſtituta ſunt. Ceterum de cuiusque priuata diſciplina, qua quis abſolute, ac ſim-

pliciter vir bonus eſt, vtrum ſit prudentiæ ciuilis, an alius facultatis præcipere, poſterius erit diſputandum. Non enim vbique fortaſſis idem eſt bonus vir, & bonus ciuis. *nam in bene inſtituta Repub. ſe res ita quidem habet: verum in male inſtituta nec vir bonus poteſt eſſe bonus ciuis: nec bonus ciuis vir bonus, vt in tertio libro de Repub. definitum eſt. quapropter in obliquis Reipub. formis non tam ciuilis facultatis, quam philoſophiæ de moribus erit, ciues ad virtutem inſtruere. ibi enim ciuilis prudentia corrupta eſt, & ad prauum finem tendit, at in bene inſtituta ciuitate, vbi integra & ſincera viget* Reipub. *gerendæ ratio, ciuilis prudentia id munus fuerit.* [4] Eius vero iuſtitiæ, quæ vt pars eſt ſubiecta generi: ac eius iuris, quod illi eſt conſentaneum, vna ſpecies in diſtributione honoris, vel pecuniæ, vel aliarum rerum, quæ inter eos diuidi poſſunt, qui eiuſdem Reipub. communione iuncti ſunt, verſatur: in his enim fieri poteſt, vt alter altero plus, minuſque, tum vt æquam vterque partem ferat: altera vero ſpecies eſt, quę in rebus contrahendis vim corrigendi, atque emendandi habet. *illa circa bona occupatur, quæ communia ſunt, ac ciuibus, vt membra ſunt ciuitatis, debentur: hæc vero in ijs, quæ vnicuique per ſe ſumpto reddenda ſunt. nam in qualibet ciuitate peregrinis quoque ius dicitur.* Atque huius poſterioris duæ ſunt partes. Contractuũ enim alij ſponte noſtra, alij nobis inuitis fiunt. ſponte fiunt, exempli cauſſa, venditio, emptio, mutuum, fideiuſſio, commodatum, depoſitum, locatio, conductio. dicuntur vero ſponte fieri, quoniam horum negotiorum principium ſponte inſtituitur. Eorum autem qui nobis inuitis fiunt, alij ſunt clandeſtini, [5] vt furtum, adulterium, veneficium, lenocinium, ſerui alieni deceptio, aut corruptio, cædes dolo illata, falſum teſtimonium. alij vero ſunt violenti *à vi aperta:* vt verbera, vincula, mors, rapina, debilitatio corporis, maledicentia, contumelia.

SCHOLIA.

1 *ILle autem iniuſtus non intemperans.*] *cum igitur omnis iniuſtitia, vti inæqualitas ſit ad æqualitatem reſtituẽda: iſta vero exæquatio non niſi rebus, quæ iniuſte ablata ſunt, redditis, contingat: ſequitur hominem iſtum, qui alterius vxoris libidini ſeruit quæſtus gratia, eſſe reſtitutioni pretij, quod accipit, obnoxium. quæ enim iniuſte accipiuntur, oportet reſtitui. Quod ſi verum eſt, etiam meretrices obligantur reſtitutioni pretij, quod pro Venereis operis exhibitis, accipiunt. Id vero falſum eſt, vt ex Innocentio cap. quia plerique. de immunit. eccleſ. ac D. Thoma. 2. 2. q. 62. art. 5. ad ſecundum colligitur. Labeo quoque atq; Marcellus apud Vlpian. l. ſi ob ſtuprum. de condict. ob turp. cauſſ. ſcripſere: Quod meretrici datur repeti non poſſe.* illa enim turpiter facit, quod ſit meretrix: ſed non turpiter accipit, cum ſit meretrix. *Porro voluptas Veneris pretio eſt æſtimabilis: ergo & venalis. ipſa quoque*

meretrices ex vitæ inſtituto merentur: vnde nomen quoque traxere. quid igitur prohibet, quo minus pretium iuſte accipiant? cum lex neque dationem improbet, neque acceptionem: etſi rem damnet, cuius cauſſa dant, accipiuntque. Nam ſi lex dationem hanc, acceptionemue prohiberet, qui acciperet eſſet iniuſtus, & reſtitutioni obnoxius. Si non ſunt igitur meretrices iniuſtæ, cum pretium accipiunt, quo nam pacto is qui alienæ vxoris ſitim, quali ardebat Hippadamia Pelopis, leuat, ſedatque, iniuſtus erit? an non enim operæ iſtæ pretio æſtimantur, vt meretriciæ? Sed aduertendum, vxori non eſſe ius alienandi: tum mulierculas fraude, vt plurimum circumueniri: quo rerum ſtatu iniuſte ab iis mœchus accipit.

2 *Vnicuique enim virtuti conuenienter viuere.] idcirco lex delictorum correctio, & communis Reipub. ſponſio appellatur à Papiniano l. 1. ff. de legib. & Senatuſcon.*

3 *Cauſſæ vero efficientes vniuerſæ virtutis.] leges & iura illis comprehenſa, non ſunt cauſſæ efficientes virtutis, ſed animus, qui per iteratas functiones habitum gignit. Lex vero eſt vt monens, inuitans, præcipiens, eaq; ratione tantum cauſſa efficiens dicitur. ſic effector ſanitatis medicus non eſt, ſed natura, quæ medicamentis adiuta, ſe ipſam integritati reſtituit. ille vero, extra exiſtens, medicamentis adhibitis, concurrit ad ſanitatem: qua ratione cauſſa eius efficiens, ſed minus proprie, dici poteſt.*

4 *Eius vero iuſtitiæ, quæ vt pars &c.] hæc honores diſtribuendo, ac priuata commercia emendando, Rempub. tuetur. idcirco Chriſippus apud Gellium lib. 14. cap. 14. oculos ei tribuit acres, rectos, immotos: quos in iudicando non flectat. Heſiodus virginem facit, quod eam corrumpi violariſque nefas ſit.*

Iuſticiæ ſacra iura domant genus omne malorum.
Illa quidem virgo eſt, ſupero Ioue nata parente,
Nomine clara ſuo, cætuque verecunda Deorum.

Definitur à Iuriſperitis, conſtans & perpetua voluntas, ius ſuum vnicuique tribuens. *Eſt* voluntas, *hoc eſt, habitus in voluntate, definitur ergo per materiam, cui inhæret: ſiue per actum, & operationem. nam voluntas interdum pro actu elicito ſumitur facultatis animæ appetentis rationalis. Hinc habeto, iuſtitiam eſſe in voluntate, quod & Ariſtotes hic innuit, vbi ait: iuſtitiam eſſe, qua res iuſtas agunt, & volunt. Ceteræ autem virtutes morum, etſi à voluntate pendeant, cum non ſint ſine electione, quæ eſt actus voluntatis: nihilominus præcipue ſunt in parte iraſcente, atque concupiſcente: vt ſupra lib. 2. oſtenſum eſt. ibi enim virtus ponenda eſt, vbi difficultas cernitur ad bene agendum. pars vero appetens, & iraſcens aſſueſcit obtemperare iuſtitiæ, ob communicationem inferiorum animi facultatum cum ſuperioribus. Iuſtitia igitur*

non

non eſt in brutis,cum voluntate,ac ratione careant: Dicitur conſtans, *ideſt, non vacillans; quod commune eſt omnibus virtutibus. habitus enim firmiſſimi ſunt. Eſt* perpetua: *non vt Deus: ſed ex propoſito: cum ſtatuerit ex lege perpetuo agere.*

5 *Vt furtum,adulterium,veneficium.] hæc & cetera,quæ ſubijciuntur, maleficiorum nomine comprehenduntur. Num igitur maleficium eſt genus contractus? quo eum porro contrahit is,qui furtum facit? Et quidem contrahit,vel quaſi contrahit cum lege,vt ablatum reſtituat: & pœna adhuc plectatur. contractus vero pœnæ luendæ communis eſt omnibus maleficijs. quare apud Imperatorem inſtit.lib.4.tit.1. ex maleficio quoque,non ſecus ac ex contractu, naſcitur obligatio. Sed in xij. tabulis, qui alterum damno affecit paciſci dicitur de æquali perpetiendo.* Si membrum rupit meum,è pacto tallio eſto.

De iuſtitia in diſtributione poſita: deq; iure, quod ei ſubijcitur. Cap. III.

QVoniam autem iniuſtus inæqualis eſt, & iniuſtum inæquale: conſtat eſſe medium aliquod eius; quod eſt inæquale. id vero æquale eſt. *inter omnia enim inæqualia æquale intercedat, neceſſe eſt.* & in quacumque actione plus eſt, & minus,eſt etiam æquale, *atque medium*. Si igitur iniuſtum inæquale eſt, iuſtum æquale eſſe oportet. quod & videtur omnibus etiam ſi ratio; cur ita ſit, non afferatur. *contrariorum enim ea eſt natura, vt de ipſis contraria dicantur*. Cum autem æquale medium ſit,iuſtum quoque medium quoddam erit. Et æquale quidem in duobus minimum reperitur. æquale enim alteri cuipiam eſt æquale. quare iuſtum, cum & medium, & æquale ſit, & ad aliquid referri,& aliquibus iuſtum eſſe neceſſe eſt[1]. Ac quà mediũ quidem eſt,aliquorum medium eſt: eorum ſcilicet, quæ ſunt plus, & eorum,quæ minus. quà vero æquale,in duobus cernitur: quà denique iuſtum, quibuſdam eſt iuſtum, & ad alios relatum. *iuſtitia enim virtus eſt ad alterum ordinata.* Neceſſe eſt igitur iuſtum in quattuor minimum verſari. duo enim ſunt homines, inter quos iuſtum intercedit; duæ quoque ſunt res, in quibus ius eis tribuitur. *vt Achilles, Aiax: libræ octo auri, libræ quatuor auri. nam ſi Achilles ſit Aiace duplo melior,iuſtum ita inter eos intercedet,vt prior octonas auri libras accipiat: poſterior quaternas.* Eadem quoque erit æqualitas ijs,quibus ius tribuitur: atque ijs,in quibus tribuitur. nam vt altera inter ſe affecta ſunt, ita & altera: *& quæ diſparitas eſt inter Aiacem, & Achillem,eadem inter quatuor, octoq; auri libras intercedit. Si enim æquales non ſint, æqualia non accipient.* immo vero inde exiſtunt ex-

poſtu-

poſtulationes, & pugnæ, cum aut qui æquales ſunt, non æqualia: aut qui non æquales, æqualia ferunt, & obtinent à diſtribuentibus: *ſed Fortis, & ignauus parili afficiuntur honore.* qui morbus pleraſque ciuitates occupauit. Præterea ex eo, quod cuique pro ſua dignitate tribuitur, atque honorum diſtributione, hoc perſpicuum eſt. Omnes enim mortales in hoc conueniunt: iuſtum in diſtributione poſitum, pro cuiusq; dignitate eſſe, oportere. verum dignitatem ipſam non in eadem re collocant omnes: ſed qui popularem Reipub. ſtatum probant in libertate: qui paucorũ potentiam, in diuitijs, aut in nobilitate: qui optimatum, in virtute: *indeque iuſtum petunt, vnde magis augeri ciuium dignitatem arbitrantur.* Iuſtum igitur eſt analogum quoddam, & proportione, ſeu comparatione quadam conſtat. non enim ſolum eius numeri, quo numeramus, proprium eſt proportionem & analogiam habere: ſed etiam numeri, qui numeratus dicitur: hoc eſt, rerum, quæ numerantur. Analogia enim & proportio eſt æqualitas quædam, quæ *in vtriſque reperitur,* ac minimum quattuor terminos requirit. Duplex vero eſt proportio, vna diſiuncta: altera coniuncta. ambæ quatuor minimum terminos poſtulant: diſiuncta quidem quattuor omnino diſtinctos: coniuncta vero tres, quorum alterum bis accipit, eoq; vtitur tanquã duobus: vt, quæ proportio eſt primæ lineæ ad ſecundam, eadem eſt ſecundæ ad tertiam. ecce hic ſecunda bis ſumpta numerum cum ceteris explet quaternarium, duorum ad duo proportione conſtantem. eadem ratione, iuſtum hoc in diſtributione poſitum in quattuor minimum terminis eſt. *proportione enim conſtat, quæ quattuor terminos minimum requirit.* Diſiuncti ſunt autem ſimiliter in diſiuncta proportione & ij, quibus iuſtum tribuitur, & res, quæ diſtribuuntur. nam quæ eſt ratio Achillis ad Aiacem, eadem eſt librarum octo auri, ad libras quattuor. vt igitur pars cum parte, hoc eſt Achilles cum Aiace comparatur: ſic totum cum toto, hoc eſt Achilles, ac octonæ ſimul auri libræ cum Aiace, atque quaternis libris: quod quidem diſtributio copulat, & connectit. *ea namque octo libras auri cum Achille, quattuor cum Aiace coniungit: & vtrumque ſimul ſumptum cum altero confert.* Et quidem ſi ita inter ſe componantur, iuſta erit copulatio, *hoc eſt, ſi quam rationem octo auri libræ habent ad quattuor: eandem Achilles habeat ad Aiacem. ſin minus, iniqua copulatio fuerit.* termini igitur A. cum termino E, hoc eſt Achillis cum octo libris auri: & termini B. cum termino D. hoc eſt Aiacis cum libris quattuor auri coniugatio, ius illud eſt, quod in diſtributione conſiſtit, ac medium eſt illius, quod à proportione auerſum eſt. quod enim proportione conſtat, medium eſt. *æquum enim eſt: at omne æquum eſt medium; omne igitur, quod proportione conſtat, eſt medium.* at ius

propor-

proportione conſtat: *eſt igitur medium illorum, quæ à proportione diſcedunt.* * Hanc proportionem Mathematici Geometricam appellant. in ea enim euenit, vt quam rationem vtraque pars ad alteram habet, eandem totum ad totum retineat, *quod & in diſtributione bonorum fieri debere diximus, ſi iuſtum tueri velimus.* Hæc vero proportio non eſt coniuncta, ſed diſiuncta: non enim is, cui tribuitur, & res, quæ tribuitur, vnum numero eſſe poſſunt: ſed neceſſario erunt diſtincta. *vnde quattuor termini exiſtunt, qui proportionem faciunt diſiunctam.* Ex his igitur ſatis intelligitur, ius in diſtributione poſitum proportione conſtare *diſiuncta.* iniquum vero & iniuſtum à proportione auerſum eſſe, quando alteri plus, alteri minus datur. quod quidem in factis, & rebus ipſis etiam reperitur. Nam is, qui iniuriam alteri facit, plus boni *quodammodo* conſequitur, quam oportet: ei vero, qui afficitur iniuria, minus boni obtigit. Contra fit in malis, *in his enim iniuſtus habet minus.* nam leuius malum grauiori collatum boni rationem obtinet. optabilius enim eo eſt. at quod optabile eſt, bonum eſt: & quo magis optabile, eo maius bonum. *quare de malis minus accipit iniuſtus: de bonis magis.* Atque hoc ſane iuris vnum genus eſt, *in diſtributione ſcilicet, & proportione poſitum.*

S C H O L I O N.

* *Hanc proportionem.*] *eandem amplexatus eſt in ſua Repub. Lycurgus: eiecta Arithmetica, vti ſtatui populari, quem valde oderat, accommodata, & ariſtrocratico inepta: cum numerò æqualitatem, non dignitate metiatur. vt Plutarchus refert in Sympoſiacis.*

De iure commutatiuo. Cap. IIII.

ALterum eſt iuris genus, quod ad corrigendum, & emendandum valet: cui locus eſt in ijs, quæ homines inter ſe tum ſponte, tum inuiti contrahunt. Huius autem iuris alia quædam forma eſt à priore. Illud enim ſemper retinet eam, quam diximus proportionem, ſeu analogiam. nam ſi communis pecunia diſtribuenda ſit, eadem proportio ſeruanda erit, quam habent inter ſe res eæ, quæ ab vnoquoque allatæ ſunt: *dignitas videlicet, quæ in hoc maior, in illo minor; eaq; ratio in diſtribuenda pecunia iſta ſeruanda eſt, vt ijs, qui meritorum ſunt inæqualium, inæqualia dentur: æqualibus vero æqualia.* Et iniuſtum, quod huic iuri aduerſatur, illud eſt, quod non retinet proportionem: vt cum plus merenti minus datur: vel minus merenti plus tribuitur; vel omnino æqualibus inæqualia, vel inæqualibus æqualia. Ius vero illud, quod in contractibus locum habet, eſt æquale quiddam, & iniuſtum illi oppoſitum eſt inæquale: verũ Arithmetica proportio-

portione,non geometrica. [1] *neque enim perſonæ dignitatem attendit.* nec aliquid refert vtrum vir cetera bonus malum hominem fraudauerit: an malus homo virum bonum: neque vtrum vir bonus,an malus adulterium fecerit: ſed damni tantum differentiam lex intuetur: & diſparis conditionis hominibus vtitur tanquam æqualibus: faciatne hic iniuriam,ille afficiatur: & an hic damnum intulerit, hic acceperit. Itaque hoc iniuſtum, cum inæquale ſit, iudex ad æqualitatem reducere conatur. nam cum hic percuſſerit,ille percuſſus fuerit: ille occiderit,hic mortuus ſit, actio & perpeſſio in partes inæquales diuiſæ ſunt: ſed damno, & multa iudex exæquare conatur, detrahens ab eo,qui lucratus eſt, *& iniuſtum admiſit*. nam & qui percuſſit, & qui occidit, lucrum quodammodo feciſſe dicitur: & qui percuſſus, vel occiſus eſt, damnum quodammodo accepiſſe: licet hæc damni, & lucri nomina ei, qui contumelia afficit,& afficitur,minime conuenire videantur, *ſed in ijs tantum,quæ pecunia æſtimantur,locum habere. in his enim certa menſura, quod plus eſt, quod minus, explorare poſſumus: in actione vero, & perpeſſione iniurioſa non item*. Vbi tamen perpeſſio ipſa, & illata iniuria fuerit per iudicem æſtimata, damnũ, & lucrum exiſtit. *nam quod eſt plus,vocatur lucrum: quod eſt minus, damnum. tantoq́; damno, quis dicitur affectus, quanta eſt iniuria quam accepit: tantumq́; lucrum feciſſe,quantum intulit iniuriæ*. Eorũ igitur, quæ ſunt plus, & eorum quæ ſunt minus, æquale medium eſt. lucrum vero plus eſt: damnum minus. *ergo inter lucrum,& damnum æquale intercedit. æquale idem eſt, quod ius, ergo ius medium eſt inter damnum,& lucrum*. Boni quoque plus,mali minus accipere,lucrum eſt: contrarium vero damnum: ergo inter hæc quoque æquale, ac ius medium erit, quod modo demonſtrabamus. Ius igitur, quod ad corrigendum, & emendandum valet, erit damni, & lucri medium. Eſſe autem ius hoc medium inde manifeſtum quoque eſt, quod cum aliqua de re mortales inter ſe ambigunt, ad iudicem confugiunt. adire autem ad iudicem, adire ad ius eſt. *ergo quaſi carebant æquo, ac iure ipſo, illudq́ue in iudice quærebant*. [2] Nihil enim aliud videtur eſſe iudex, quam ius animatum. quærunt autem iudicem medium: ideoq́; eos nonnulli vocant *μεσιδίους*, hoc eſt medium diuidentes: quaſi obtento medio,ius ſuum conſequuturi ſint; *iudexq́; functus fuerit officio iuris vnicuique tribuendi, vbi medium tetigerit*. Ius ergo medium eſt: ſiquidem ipſe iudex, *à quo ius dicitur*, etiam medius eſt. Ac iudex quidem exæquat, *quæ inæqualia ſunt*: eumq́; imitatur, qui, ſi linea in duas partes inæquales diuiſa ſit, totum id, quo maior pars dimidiam ſuperat, de illa detrahit, & parti minori addit: *non autem illum imitatur,qui totum id, quo minor a maiore ſuperatur, minori addit. ſic enim minor pars plus æquo creſcit, remanetq́; eadem*

inæqualitas. At dimidium eius partis, qua altera alteram ſuperat, minori additum, reſtituit æqualitatem. Toto igitur in duas partes æquales diuiſo, tum ſe ſuum ius obtinere dicunt, cum partes æquales abſtulerint. æquale vero medium eſt rei maioris, & minoris proportione Arithmetica: eaq; de cauſſa ius à Græcis δίκαιον appellatur, quia δίχα ἐστι. ideſt in duo æqualia diuiſum: proinde, ac ſi quis dixerit δίχαιον, ideſt, bipartitum: & iudex δικαστὴς nominatus eſt, quaſi διχαστὴς. *minima litterarum facta mutatione*: eſſet autem διχαστὴς, quaſi bipartitor. Nam ſi, cum duæ res ſint æquales, quod ab vna fuerit detractum, addatur alteri: his duobus hæc illam ſuperabit: *tum eo, quo hæc illam nulla re addita ſuperaſſet: tum eo, quod eſt ſuperanti additũ.* ſi enim detractum quidem vni rei fuiſſet, ſed non alteri additum, vno duntaxat altera alteram ſuperaret. Mediam vero ea res, cui quod ab altera demptum eſt, acceſſit, vno ſuperat: ea quoque, cui quidpiã detractum eſt, vno ſuperatur à media. Ex hoc igitur cognoſcemus, in contractibus emendandis, & corrigendis, quid ei, qui plus habet, detrahendum ſit: quid ei, qui minus habet, addendum. nam illud, quo quis medium ſuperat, eſt ei, qui minus habet, addendum: illud, quo medius ſuperatur, eſt maximo detrahendum. *Quæ quidem vti paulo obſcuriora, ſunt exemplis illuſtranda. Sint duo numeri octonarij: ex altero demas duo, quæ alteri addas: iam hic denarius erit: ille ſenarius; hicque illum quattuor ſuperabit. Si ad æqualitatem reducere velis, à denario ne demas quattuor (totam videlicet illam portionem, qua hic ſenarium ſuperat) & alteri addas: ita enim ex altera parte eadem gignetur inæqualitas. verum ſi à denario demas id, quo mediũ ſuperatur: addasq; illud ſenario: iam habebis duos octonarios. medium vero inter ſenarium, & denarium eſt octonarius. duobus igitur de denario detractis, ac ſenario additis, numeri redduntur æquales. Hoc inquam in iure commutatiuo ſeruandum. Ex mutuo debebam tibi centũ: dedi octoginta. tu octoginta habes, ego viginti ſupra centum: ſcilicet centum, quæ acceperam, & viginti, quæ non reſtitui: ſupero igitur in quadraginta. ſi reddo viginti, æqualitatem ſtatuo: ſi quadraginta, inæqualitas eſt. Eadem ratio in damnis, & iniurijs emendandis iudici tenenda eſt: vt non quanto is, qui iniuriam fecit, eum, qui accepit, ſuperat, tantum det iniuria affecto: ſed quantum iniuria ſuperat medium, tantum de eo, qui fecit, detrahatur: ac ei, qui paſſus eſt, addatur.* Id ipſum in aliis quoque artibus cuſtodiendum. tollerentur enim & conciderent, niſi quantum & quale id, quod efficiendi vim habet, efficit: *& ij, qui rebus ad vitam neceſſarijs abundant, cenſent*: tantum & tale perpeteretur id, quod patitur: *& ij, qui indigent, perſoluerent*; aliter vero commercia interirent. *Nam ſi agricola egeat veſte, vel lacte, non eſt cogendus, vt pecuniam accipiat: ſin pecunia, non eſt adigendus*

ad veſtem accipiendam; quin quantum ille petit, tantum ei dandum. quod ſi ei uis inferatur à priuatis, vel pretio minore perſoluto, vel mercibus per vim ereptis, iudex damnum & iniuriam ad præſcriptam normam emendabit. Nata vero, ac tranſlata ſunt hæc nomina damnum & lucrum ab eo contractu, qui ſponte initur. Nam plus ſuo obtinere, lucrum facere dicitur: minus autem, quam quod initio ſuppetebat, habere, damno affici appellatur: vt fit in emptione, venditione, alijſque contractibus, qui legibus permittuntur. Vbi vero neque plus habent, neq; minus: ſed paria paribus reſpondent, *& quæ nunc habent, non ſunt minora ijs, quæ ante habebant*, tunc ſe ſua dicunt habere: ac neque damnum accepiſſe, neque lucri quicquam feciſſe. Itaque lucri etiam, atque damni, quæ in contractibus non ſponte factis obueniunt, medium ius eſt: per quod tantundem vterque illorum, qui contrahunt, habeat poſterius, quantum prius habuit. *Qui enim iniuriam faciunt, & accipiunt, contrahere quodammodo inter ſe videntur*.

SCHOLIA.

1 *NEque enim perſonæ dignitatem attendit.*] *in iure commutatiuo, quod Arithmeticæ proportioni innititur, non ſpectari, vel attendi perſonæ dignitatem, falſum videtur aſſerere: cum in iniurijs emendandis magni referre, num priuatus magiſtratum pulſet, an priuatam aliam perſonam, doceat hic Ariſtoteles: quod & omnes fatentur. Sed notandum ex D.Thoma 2.2.quæſt.61.art.2.ad tertium. In actionibus, & perpeſſionibus conditionem perſonæ facere ad rei, ſeu iniuriæ quantitatem. nam vis maiori illata, maiorem quoque reddit iniuriam. hac vero ratione in emendationibus attenditur perſonæ qualitas: non per ſe primo, & immediate, vt loquuntur: ſed vt iniuriam reddit maiorem, vel minorem. At in iure diſtributiuo perſonæ dignitas attenditur per ſe, immediate.*

2 *Nihil enim aliud videtur eſſe iudex, quam ius animatum.*] *Cicero lib.3.de leg. eundem appellat loquentem legem.*

De Talione. *Cap. V.*

IVs igitur & iuſtum aliud in diſtributione, aliud in emendatione, ita ſit nobis collocatum: vt medium ſit & æquale inter id quod plus & minus. At Pythagorici, alijq; in talione, ſeu reciproca perpeſſione, vt quãtum quis fecit, tantum ab altero viciſſim patiatur, ius collocant: idque ſimpliciter & abſolute iuſtum eſſe dicunt.

quale Rhadamanti ius fuiſſe videtur,

¹ Si quis, quod fecit, patiatur, ius erit æquum.

 Cete-

Ceterum talia neque ad ius, quod in diſtributione bonorum occupatur, neque ad id, quod ad emendationem factorum valet, accommodari poteſt. Multis enim locis à iure diſcrepat. *Nam vtrumque ius à nobis poſitum proportione conſtat, hoc Geometrica, illud Arithmetica. talio vero eiuſmodi nec proportione ulla ſit, nec reſpicit perſonæ conditionem*. verbi gratia, ſi quis in magiſtratu conſtitutus aliquem pulſauerit, non eſt referiendus: & ſi quis eum, qui magiſtratum gerat, pulſauerit, non modo pulſandus ipſe eſt, verum & ſeueriore pœna plectendus. *In diſtributione quoque bonorum maior uel minor perſonæ dignitas primum ſpectatur. utrumque igitur ius proportione utitur: à quo talio longe abeſt*. Magni præterea inter id, quod ſponte noſtra, & id, quod inuite facimus, intereſt. *talio uero Pythagoreorum hæc ipſa confundit, ac pari pœna plectit eum, qui inuitus, & eum, qui uolens oculum alteri excuſſit: utrique enim oculum eruit*. Sed in rerum vltro, citroq; permutandarum communitatibus, atque commerciis hoc ipſum talionis ius ciuilem ſocietatem proportione, non æqualitate continet. *proportio uero hæc eſt, ut in permutatione pro tritico non reddatur triticum: ſed uel uinum, uel ueſtis: uel pecunia, uel aliud quidpiam: idque proportione quadam ſpectata copiæ, penuriæ, laborum, impenſarum, itinerum, atque periculorum. in emendatione uero conditio perſonæ maxime ſpectetur: nec qui magiſtratum percutit, eadem, qua qui priuatum hominem uerberarit, pœna multetur*. Compenſandis autem factis, ac pari pro pari reddendo, vt proportio poſtulat, ciuitas conſeruatur. Aut enim quærunt, illata ſibi mala reponere: quod ſi non poſſint, ſeruitute premi ſe arbitrantur: aut ei, qui benemeritus ſit, gratiam referre volunt. quod ſi nec eis liceat, tollitur officiorum viciſſitudo, qua maxime coniunctio ciuium, atque ſocietas manebat. Hæc vero gratiarum relatio adeo cordi eſt legumlatoribus, vel ijs, qui Rempub. adminiſtrant, vt [2] Gratiarum templum in propatulo vrbis loco eſſe voluerint, quo promptior eſſet remuneratio. Hoc enim gratiæ proprium eſt. nam & ei, qui beneficium dederit, referendum eſt beneficium: & rurſum is, qui accepit, alterum beneficio prouocare debet. efficit autem remunerationem proportioni conſentaneam coniunctio per diametrum, Verbi gratia,

Ædificator ╳ Sutor
Domus Calceus.

ædificator calceum, Sutor domum per diametrum reſpiciunt. ædificator ergo à ſutore ſumet calceos, eique viciſſim opus ſuum impertietur. ergo ſi primum inter ædificatoris, & ſutoris opera æqualitas ea conſtituatur, quæ proportione conſtat, ac tot ex vna parte ponantur calcei, quot domui reſpondent: deinde reciproca perpeſſio, ſeu talio fiat, ac tantum reddatur, quantum datum fuerit, ius extabit,

quod

quod à nobis dicitur. ſin minus, neque ius, vel æquale manebit, neque ſocietas. Nihil enim prohibet,quo minus vnius opus ſit alterius opere præſtabilius. Opera igitur primum exequentur,oportet;quod in aliis quoque artibus fieri videmus. tollantur enim eæ funditus, concidantque, niſi quantum, & quale is, qui efficere poteſt, efficit: tantundem, & tale accipiat is, qui patitur. *Nam prout,qui dat opus ſuum, illud melius uel deterius efficit, uel maioris minoriſue pretÿ: ita & qui accipit,recompenſare debet.* Non enim ex duobus ſimilibus ſocietas conſtare poteſt,vt ex duobus medicis: *quam enim ſibi operam mutuo præſtent?* ſed ex diuerſis,& inæqualibus: vt medico,& agricola: quos tamen oportet exæquari: *proportione ſcilicet ſpectata tritici, & curationis.* Quare quæ permutanda ſunt, eiuſmodi ſint, vt inter ſe quodammodo comparari poſſint. [3] Ad hunc vſum nummus quæſitus eſt, qui omnium rerum quodammodo ſit medium, menſura, & *quaſi iudex.* nam res omnes ille metitur. quot ergo calcei ſint domui,vel cibariis æquales, omnemq; exuperantiam, & penuriam metietur. *quot enim calcei domui æquentur,ſolus nummus definit, & ſub oculos ponit. eo ſublato, regula aufertur ea exæquandi. nam tot nummis domus æſtimatur: tot uero calcei.* Oportet ergo,vt quam proportionē ædificator habet ad ſutorē,eadem domus cum calceis cōparetur. *nam ſi ædificatoris labor, & impenſæ centuplo ſuperant ſutoris impenſas,& labores: ad permutationem domus centum calcei requirentur.* quod niſi fiat,neque permutatio erit,neque communitas. Non poterunt autem cum domo calcei comparari, niſi domus, & calcei quodammodo ſint æquales. oportet igitur vnum quiddam eſſe,quod omnia metiatur. Hoc autem re quidem vera indigentia eſt, [4] quæ omnia continet. *omniumq; pretia ſtatuit.* nam ſi nulla re egerent homines, nulla eſſet permutatio. & ſi non ſimiliter egerent: *ita ut ſutor non egeret tritico, uel agricola plus egeret ueſte, quam ſutor tritico:* non eſſet eadem permutatio: *aliaq; inter iſta,quæ permutantur, proportio exſtaret. ſemper enim plus dat,qui plus indiget.* Sed in indigentiæ locum, quaſi ex pacto conuento mortalium, ſucceſſit nummus: *nam inter eos quaſi condictum eſt,ut afferenti nummos detur id,quo indigēt.* [5] Atque ob eam cauſſam nummus à Græcis νόμισμα vocatur, ἀπὸ τοῦ νόμου, id eſt, à lege: [6] quia non natura, ſed lege valeat: ſitq; in nobis ſitum, eum immutare, inutilemq; reddere. Rebus igitur exæquatis,mutua erit acceptio; vt quam rationem agricola ad ſutorem obtinet,eandem habeat ſutoris opus ad opus agricolæ. *ut proxime dictum eſt.* Cum vero permutaturi ſunt,in figuram proportionis deducendi ſunt: *non poſt permutationem; ita ut tum ÿ, qui contrahunt, tum res ipſæ Arithmetica proportione ſint æquales.* quod ſi ſecus fiat, alterum extremum vtramque exuperantiam habebit, *laboris ſcilicet,&*

ſunt, *ſi earum natura ſpectetur. quæ enim domus eſt ad lectum proportio? vel quæ tritici ad veſtem?* ſed quod ad vtilitatem, indigentiamq́; attinet, vſuq́; illorum ſpectato, commode poſſunt exæquari. Vnum igitur aliquid eſſe oportet, *quod omnia pro vſu & indigentia exæquet*, idque ex hominum inſtituto, vnde & nomiſma vocatur: quaſi lege inductum. Vti autem nummus res diuerſas metiatur, hinc apparebit. Sit domus, minæ decē, lectus. domus valeat minas quinque, aut tanti, quanti ſunt minæ quinque; lectus minā vnam. perſpicuum hinc erit, quot lecti ſint domui æquales: videlicet quinque. 7 Sic autem rerum permutationem ante nummi vſum fieri ſolitam, non eſt obſcurum. pro domo enim quinque lecti dabantur: & reliqua ſimiliter. quid enim intereſt an lecti quinque dentur pro vna domo, an quanti ſunt lecti quinque, *ſeu minæ quinque?* Quid igitur ſit iniuſtū, quid iuſtum, & quam rationem talio, ſeu reciproca perpeſſio ad ius habeat, ſupra explicatum eſt. Hinc porro conſtat, iuſtam actionem mediam eſſe inter id, quod eſt facere iniuriam, & id, quod eſt accipere. illud enim plus obtinere eſt: hoc minus. Iuſtitia vero mediocritas eſt non *inter duo extrema vitioſa*, vt ceteræ virtutes: *nam minus dare vitium eſt: plus dare virtus liberalitatis:* at mediocritas dicitur, quia æquum dat, & facit æqualia ea, quæ prius erant inæqualia: cum ſcilicet, qui plus habet, & cum qui minus. Iniuſtitia vero extremorum eſt, *quorum alterum non eſt vitioſum. nam qui plus boni obtinuit, minusque mali perpeſſus eſt, in vitio eſt. qui vero plus mali pertulit, minusque boni obtinuit, etſi in extremo ſit oppoſito, attamen non eſt in vitio. hoc enim rationi collatum, non eſt extremum virtuti oppoſitū: ſed eſt extremum oppoſitum ei, quod eſt, plus habere boni, minus mali. ceterum vtrique ſunt inæquales, per iuſtitiam ad æqualitatem reducendi. hac igitur ratione medium eſt iuſtitia: iniuſtitia extremum.* Præterea iuſtitia eſt habitus, quo quis idoneus redditur tum ad conſulto agendum id, quod iuſtum eſt: tum ad ius tribuendum, & ſibi, ſi cum altero contrahat, & alteri cum altero contrahenti: non ita, vt eius, quod optabile eſt, ſibi plus, minus alteri: contra eius quod damnum affert, ſibi minus, plus alteri: ſed ſibi, & alijs, quod æquum proportione eſt, tribuat: idemq́; erga alium obſeruet cum alio contrahentem. Contra iniuſtitia vitium eſt, quo ad id, quod iniuſtum eſt, conſulto agendum, nobiſq́; & alijs diſtribuendum, apti ſumus. hoc autem iniuſtum eſt nimium, aut parum commodi, aut incommodi à proportione alienum. Igitur iniuſtitia eſt nimium, & parum: quia eſt tum eius, quod nimium eſt, tum eius, quod parum: cum quis in ſua quidem cauſſa nimium rei abſolutè vtilis ſibi tribuit: parum vero ſumit rei inutilis, & detrimentoſæ. *Et quidē in proprio negotio ſemper iniuſtus ita ſe gerit, vt ſibi plus boni, ſeu vtilis accipiat, & minus mali.*

mali. at in aliorum factis, etſi generaliter ad eundẽ modum ſe componat, *& vni plus, alteri minus tribuat*, tamen *ſtatum non ſeruat ordinem, nec ſemper vni plus dat, alteri minus: ſed temere ſe gerit, atque vt caſus tulerit, bona, malaq; diſtribuit: & omnino* ad iniquum; quod à proportione auerſum eſt, deflectens, nunc parum huic, nunc illi dat: nunc huic, nunc illi nimium. Iniuſte facti autem cum duo ſint extrema; iniuriam accipere minus extremum eſt: maius autem iniuſte facere. *qui enim iniuriam accipit, patitur: non facit. magis autem iuſtitiæ opponitur facere iniuſtum, quam non facere. quin iniuriam pati non aduerſatur iuſtitiæ vti vitioſum extremum, ſed tantum vti extremum: vt ſupra dictum eſt*. De iuſtitia igitur, & iniuſtitia, quæ nam ſit vtriuſque natura: ac de iuſto ſimiliter & iniuſto in vniuerſum ita dictum ſit. *Iam vero ad ea, quæ ſunt magis particularia, deſcendamus.*

SCHOLIA.

1 *SI quis, quod fecit, patiatur &c.] eandem ſententiam apud Aeſchylum poëtam Pythagoricum reperire eſt: tum apud Euripidem in Electra, vbi Chorus Clytæmneſtram ab Oreſte interfectam alloquitur. ſed ante omnes eam Heſiodus celebrauit Georgicon libro 1. Hoc idem tallionis ius alicubi retentum in xij. tabulis.* Si membrum rupit meum, è pacto tallio eſto. *Moſes quoque Deuteronom. xxj.* oculũ pro oculo, & dentem pro dente. *Solon vero interdum pœna ſtatuenda tallionem exceſſit. Edixit enim, vt euellenti oculum alteri, ambo eruerentur. Dominus autem, atque Deus noſter tallionem ſuſtuliſſe viſus eſt. Matthæi cap. 5.*

2 *Gratiarum templum in propatulo.] Pauſanias in Laconicis ſcribit, Spartæ in foro fuiſſe. Idipſum de Orchomenijs affirmat in Bœotijs: & de Olympijs in Eliacis prioribus.*

3 *Ad hunc vſum nummus quæſitus eſt.] Auctor eſt Aelianus lib. 12. variæ hiſtoriæ, nomiſma primum ab Aeginenſibus percuſſum: quod ab ipſis nomen accepit, vt æginenſe nomiſma vocaretur. ceterum magna lis eſt, qui omnium primi monetam ſignarint.*

4 *Quæ omnia continet.] merito igitur Plato 2. de Repub. docet, mutuam indigentiam fuiſſe originem ciuitatum. Ariſtoteles vero nobiliora illis initia tribuit in lib. politicorum; puta felicitatis deſiderium, quæ tamen diſcrepantia ſententiarum facile poſſet conciliari, vt in Politicis, ſi vita, otioque fruemur, ſcripturi ſumus.*

5 *Atque ob eam cauſſam nummus.] alij nomiſma deducunt* ἀπὸ τῶν νομῶν: *hoc eſt, à paſcuis; quod priſcorum opes in armentis fere, atque agris poſitæ eſſent. & cum ruſticæ vitæ conuerſatio prima fuerit, georgicæ quoque leges antiquiſſimæ extitere. Ideoq; Ceres legum ſimul, atque frugum inuentrix, ac* θεσμοφόρος *dicitur à Poëtis.*

6 *Quia non natura, ſed lege valeat.] quare Carthaginienſes aliquando co-*

do corium in nummi vſum ſignarunt: Lacedæmones inutile ferrum. Aethyopes quoque ſculpſere lapides: vt Plato ſcribit in dialogo ſpurio de Diuitijs.

7 Sic autem rerum permutationem.] conſtat hoc ex Iliados lib. 7. vbi Achiui Lesbia vina ſibi comparant, permutatione ferri, æris, pellium caſarum animantium, mancipiorum. quo Poetæ loco iuriſconſultus vſus eſt ad oſtendendum, permutationem eſſe antiquiſſimam ſpeciem emptionis & venditionis, vt habetur Inſtit. lib. 3. tit. de empt. & vendi. & apud Paullum l. 1. ff. de contrahenda emptione. quam nihilominus à Libero patre ante Troiana tempora inuentam, ſcribit Plinius.

An omnis, qui iniuſte facit, ſit continuo iniuſtus: tum de duplici iuſto: ciuili ſcilicet, & per analogiam. Cap. VI.

QVoniam autem fieri poteſt, vt quis iniuſtum quiddam faciat, neque tamen iniuſtus ſit: porro quærendum videtur, quæ nam ſint iniuſtæ illæ actiones, quas qui admittit, iam iniuſtus eſt: idq; in vno quoque iniuſtitiæ genere, vt in furto, latrocinio, adulterio, *ceteriſque ſub vniuerſa iniuſtitia contentis.* An ſic quidem *iniuſtum ab eo, qui iniuſte facit, diſtinguere*, nihil intererit? Sed fieri poteſt, vt quis cum alterius vxore ſciens & prudens rem habeat: non tamen à ſuſcepto ſic agendi conſilio agat, ſed à libidinis impetu, & animi perturbatione: hic porro facit iniuſtum quiddam: ſed non eſt iniuſtus. atque hoc ipſum de fure, alijsq; maleficis, citra electionem peccantibus, videtur aſſerendum? Sed cum multis modis ius, & iuſtitia dicantur: ſciendum eſt, nos hic iuſti nomine iuſtum ſimpliciter hoc eſt, ciuile ius ſumere. *de quo pauca ſubÿcere, hic non fuerit incommodum.* Ius ciuile inter eos eſt, qui vitæ communione inter ſe coniuncti, tum liberi, & vel numero ſunt æquales, *ut in ſtatu populari*: vel ſunt æquales proportione, *ut in ſtatu paucorum, & optimatum*: in quam ſocietatem, vt omni rerum ad vitam neceſſariarum copia abundent, nihilq; foris requirant, coiuerunt. *Hoc ius eſt ſimpliciter:* & quibus hoc non ineſt, eis inter ſe non eſt ius ciuile, ac ſimpliciter ius: ſed ius per analogiam, & ſimilitudinem. Ius enim proprie in ijs eſt, ad quos lex penetrare poteſt: & communi iure vtuntur ij, qui communem habẽt legem. *nam munus legis eſt iniuſtitiam coercere.* Lex autem eorum communis eſt, qui poſſunt inter ſe iniuſte agere. *quare inter Parthos & Germanos non poteſt eſſe lex communis. ergo neque ius, neque iniuria. ergo nec iudicium.* nam iudicium eſt iuris, & iniuriæ diſceptatio. Inter quos autem iniuſtitia locum habet, inter hos & iniuriæ facien-

dæ locus eſſe poteſt. *ac proinde inter eos lex, & ius ſimpliciter dictum intercedit*. Sed non in omnibus, qui poſſunt iniuſte facere, continuo iniuſtitia exiſtit. *poſſunt enim citra conſilium & electionem iniuſtum quid feciſſe. electio uero laudem uel uituperationem acceerſit: ut ſupra dictum eſt*. Iniuſte vero facere eſt, eorum, quæ abſolute, ac natura ſua bona ſunt, ſibi plus tribuere: *ut bonorum, diuitiarum, atque ſimilium:* eorum autem, quæ abſolute mala ſunt, minus ſibi ſumere. Ad quæ cum homo ſit ſuapte natura ob cupiditatem propenſus, non ſinimus eum imperare, ſed legem, aut rationem. homo enim plus ad ſe commodi trahit interdum, atque fit *de cuſtode* tyrannus. Eſt autem is, qui præeſt, iuris cuſtos. quod ſi iuris, ergo & æqualitatis. iuſtus igitur eſt; nihilo ergo plus boni ad ipſum, quam ad ceteros peruenire debet, niſi ex proportione quadam ei debeatur: puta quia ſit aliis melior. Idcirco qui præeſt, alteri laborat, *& inuigilat. quod in perſona Agamemnonis expreſſit Homerus*.

Atridem cernes Agamemnona, Iuppiter viſum
Pro reliquis tot inexhauſtos tolerare labores
Quem iubet aſſidue. &c.

Meritoque id Regi oneris iniungit. eſt enim cuſtos: cuſtodis autem eſt rei creditæ inuigilare. Hanc ob cauſſam iuſtitia dicitur alienum bonum, vt antea dictum eſt. Danda igitur eſt ei merces aliqua. hæc honos eſt, & decus; eoq; iſti, qui iuri dicundo perficiuntur, contenti eſſe debent, quod ſi quid vltra quærunt, *puta ſatellitium, vectigalia, ceteraq; monarchorum iura*, in Tyrannos euadunt. *Hoc igitur ius ſimpliciter ſumptum eſt, quod & ciuile dicitur*. Aliud vero ius eſt analogum huic ſimile, quod inter dominum ac ſeruum: patrem & filium intercedit. non eſt autem vere ius: nam nobis erga noſtrâ nec iuſtitia eſt, nec iniuſtitia *(ſunt enim ad alterum)* atqui poſſeſſio, ſeu mancipium, atque adeo liberi, donec paruuli ſunt, nec à patre *emancipatione, vel quauis alia ratione* ſeiunguntur, partis inſtar ſunt. *Nam & ſeruus inſtrumentum domini eſt, vt ſcribitur primo libro politicorum: & filij paruuli ſunt pars patris, vt habetur in iiſdem Politicis ſermonibus. Artificis vero ad inſtrumentum, ac totius ad partem non magis eſt iuſtitia, vel iniuſtitia, quam ſui ad ſe*. nemo enim conſulto ſe ipſum damno afficit. quare nec iniuſtum, nec iuſtum ciuile eſt ſui ad ſe ipſum; quemadmodum neque lex. Lege enim ius conſtare, in iiſque locũ habere, apud quos legem eſſe communẽ natura patitur, dicebamus. Hos autem eos eſſe docuimus, inter quos eſt imperandi & parendi æqualitas: *& viciſſitudo*. Magis igitur inter virum & vxorem iuris communitas locum habet, quam inter patrem & liberos: dominum & ſeruum. *Sunt enim in domeſtica diſciplina pares: etſi maior ſit viri dignitas. at nihilominus quædam iis ineſt æqualitas, cum vir*

rem familiarem paret: vxor tueatur. Verùm hoc ius ad rem familiarem pertinens non eſt ſimpliciter ius, neque ciuile. *nam in pleriſque vir & vxor cenſentur vnum & idem; ipſeq; vir vxoris caput.*

De iure naturali & legitimo. & non omne ius eſſe legitimum. Cap. VII.

IVs, *quo illi, qui in vnam vitæ ſocietatem conuenere, vtuntur, ac ciuile appellatur*, aliud naturale eſt, [1] aliud legitimum. Naturale eſt, quod vbique gentium idem valet, non quia ita decretum ſit, vel non decretum: *ſed ab ipſa natura inducitur, & firmatur: vt non eſſe violandam vxorem alienam: Deo immortali ob accepta beneficia eſſe ſacrificandum.* Legitimum vero, quod *natura minime firmatum eſt; ac propterea* nihil refert, an hoc, vel illo modo ab initio ſtatuatur: cum vero conſtitutum fuerit, tunc demum refert. *nanciſcitur enim robur, ligatque mortales, poſteaquam fuerit determinatum hoc potius, quam illud*: vt mina captiuum redimi debere, *inter Lacedæmonios, & Athenienſes fuit Peloponneſiaco bello decretum: cum antea quantum liberet pretij petere, licuiſſet*: tum Ioui capram immolare, non oues: *quod apud Thebas in Aegypto cautum, vt ſcribit Herodotus in Euterpe*: huc ſpectāt, quæcumq; leges de rebus ſingularibus ſanciunt: vt[2] Braſidæ ſacra eſſe facienda, *Amphipolitæ ſtatuerunt.* Cenſent autē nõnulli, iura omnia eiuſmodi eſſe, hoc eſt legitima; *& ex placito mortalium, non à natura inducta*: hac ratione moti, quod quęcumq; natura conſtant, ſunt immobilia, & immutabilia; ac vbique gentium, & locorum eandem vim habent: quemadmodum ignis tum apud nos, tum apud Perſas vrendi vim retinet, nec mutatur. iura autem quotidie videmus immutari. *placet hodie, quod heri diſplicebat. Eduliorum furta laudant Spartani, quæ ceteri turpia ducunt. ſeditioni publicæ ſe non immiſcere capitale Athenis eſt ex lege Solonis: apud ceteras vero gentes laudabile, ac ſalutare. iuſta igitur opinione conſtare videntur, non natura; quod & Archelao Socratis magiſtro, & Ariſtippo, atque Epicuro viſum.* Sed hoc non ita eſt omni ex parte: eſt certe ex aliqua. Et ſane quidem [3] apud Deos forte non eſt mutatio. ſed apud nos eſt quidem aliquod naturale mutabile: non tamen omne. ſed nihilominus aliud natura valet, aliud non natura, *ſed lege.* Quod vero eorum, quæ aliter ſe habere poſſunt, naturale ſit: quodque non natura, ſed lege, & conſenſu hominum valeat, etiam ſi vtraque mutabilia ſint: conſtabit ex ijs, quæ afferemus: eademq; diſtinctio poterit ceteris accommodari. Manus dextera natura ſua valentior eſt ſiniſtra. atqui euenire poteſt, vt omnes mortales ambi dextri ſint, *vt apud*

Homerum Aſteropæus : & ſiniſtra, perinde ac dextera, vtantur. *porro ius naturale per ſe firmum eſt, & immutabile: ſed mutatur ex euentu. Vni etiam genti vnum expedit, alteri aliud quidpiam. Naturaque ipſa hoc ſuadet:* 4 *Barbara vero ingenia non acquieſcunt, quia ſunt immanitate corrupta. Ea quoque mutantur, quibus cinguntur humanæ functiones; vnde ſequitur iuris immutatio. Sic depoſitum iure naturæ reſtituendum. at gladius ad necem repetitus non item.* Iam vero, quæ iura ex conſenſu, & vtilitate hominum nata ſunt, ea menſuris ſimilia ſunt. Neque enim omnibus in locis ſunt æquales vini, triticiq; menſuræ: ſed maiores apud eos, qui emunt: apud eos, qui vendunt, minores: *ſic dictante lucri faciundi cupiditate.* Eodem modo quæ iura non naturalia ſunt, ſed humana, & hominum conſenſu inducta, non ſunt eadem vbiq; locorum. *neque enim omnes optima eligunt:* quemadmodum etſi optima Reipub. adminiſtrandæ forma vna ſit, quæ naturæ quoque eſt conſentanea: nihilominus hæc non extat apud omnes; ſed varij varijs vtuntur. Iam vnumquodque ius, & vnumquodque legitimum eandem rationem habet ad hominum functiones, quam res vniuerſæ ad ſingulares. nam quæ aguntur, multa ſunt: ſed vnumquodque ius, & legitimum eſt vnum. eſt enim vniuerſum quiddam. *Vt ergo in rebus naturalibus fieri videmus, vt aliquando ſingularia abeant à natura vniuerſalium, quemadmodum ille facit, qui plus ſiniſtra valet, quam dextera: ſic non eſt mirum, ſi in vniuerſum dictante natura, aliquid eſſe, vel non eſſe iuſtum, vel iniuſtum, nihilominus aliqui contra naturæ dictata ſentiant, & aſſueſcant.* Differunt autem, *vt vniuerſalia à ſingularibus* τὸ ἀδίκημα, hoc eſt iniuſte factum, & τὸ ἄδικον, hoc eſt iniuſtum: tum τὸ δικαίωμα, hoc eſt iuſte factum, & τὸ δίκαιον, hoc eſt iuſtum. nam iniuſtum quidem eſt vel natura, vel lege: ac vniuerſum quid affert, quod, poſtea quam patratum, & admiſſum fuerit, fit iniuſte factum: & quod antea erat ἄδικον, fit ἀδίκημα: prius vero quam fieret, erat ἄδικον, hoc eſt iniuſtum, non iniuſte factum. τὸ δίκαιον quoque vniuerſale eſt, ac lege vel natura conſtat: quod vbi in actum deductũ fuerit, δικαίωμα, hoc eſt iuſte factum dicitur. Sed tamen quodcumque iuſte factum communiori nomine magis proprie dicitur δικαιοπράγημα. nam δικαίωμα proprie eſt iniuriæ correctio. & iniuſte facti emendatio. Horum autem ſingillatim quales nam, & quot ſint ſpecies, ac circa quæ verſentur, poſtea conſiderabimus.

S C H O L I A.

1 *ALiud legitimum.] Hoc iuriſperiti, atque Theologi ius ciuile appellant. Hic vero Ariſtoteles ius ciuile ſumit pro omni iure, quo ciues vtuntur: ſeu naturale ſit, ſeu gentium, ſeu lege inductum. ius vero gentium hic non agnoſcit ſeparatum à ceteris: ſed partim ſub naturali, partim ſub legitimo ſtatuit.*

2 *Vt Braſidæ.*] *Diuini huic honores habiti ob inſignem fortitudinem & humanitatem. Plato in Sympoſio Achilli eum comparat ob fortitudinem, atque robur corporis admirandum. Eidem honorarium tumulum Spartæ in foro excitatum, ſcribit Pauſanias in Laconicis.*

3 *Apud Deos forte.*] *forte dixit, alludens ad Platonis doctrinam, ponentis iuſtum inter Deos. Forte enim, inquit, iuſtum iſtud apud illos eſt immutabile, etſi Poetæ Deos immutent.*

4 *Barbara vero ingenia non acquieſcunt.*] *Neque enim præcepta naturæ, quæ ad res agendas pertinent, ita ſunt humanæ menti infixa, vt quis nequeat opinari, licere ſibi in ſui commodum, ab iis recedere. Quare quantumcunque natura dictet, abſtinendum eſſe ab iniuria facienda, non deſunt, qui cenſeant id ſibi licere. hæc autem facultas à mente corrupta exiſtit, malum ſub ſpecie boni appetitui proponente.*

Eos, qui non agunt ex electione, etſi ſponte agant, nec eſſe iuſtos, nec iniuſtos. Cap. VIII.

IVſto igitur, & iniuſto in hunc modum poſito, apparet quem iuſte, vel iniuſte agere, cum ea ſponte ſua facit: cum vero inuitus facit; nec iuſte, nec iniuſte agere, niſi ex euentu. Ea enim agit, quibus contingit, vt iuſta, vel iniuſta ſint. Ac iuſte, vel iniuſte factum ſpontaneo, & inuito definitur, atque terminatur. tunc enim laudatur, vel vituperatur, cum ſponte factum eſt: ac tunc etiam iuſtum eſt, vel iniuſtum. Erit ergo aliquid iniuſtum, quod nondum erit iniuſte factum; *iniuſtum inquam, ſi in ſe, vt vniuerſum quiddam eſt, ſumatur: græce ἄδικον: quod demum ἀδίκημα fit, vbi illi acceſſerit, vt ſponte factum ſit.* Sponte autem fieri dico, *vt ſupra dictum eſt libro 3.* quod quis in ſua poteſtate poſitum facit, ſciens: neque eum, quem iniuria afficit, ignorans, neque quo inſtrumento percutiat, neque demum cuius rei gratia. nam ſi quis, alterius manu apprehenſa, verberet alium, is, cuius eſt manus, non ſponte verberauit. neque enim in eo ſitum erat, vt verberaret, vel nõ verberaret. Quis etiam hoſtem ſe verberare exiſtimans, forte patrem inſcius verberabit. *num hæc in patrem iniuria ab electione eſt? num filius quaſi percuſſor patris puniendus? at ignorantia voluntarium adimit, & excuſat à culpa.* Similis diſtinctio in eo, cuius cauſſa res agitur, *hoc eſt in ipſo fine,* locum habet, ac in tota demum actione. *percuſſit enim vt exerceret in ludo, non vt feriret. at caſu feriit. non eſt hoc iniuſte factum, etſi percutere, vt vniuerſum quid eſt, in ſe ſumptum, & iuxta rei naturam conſideratum, ſit iniuſtum.* Quod igitur ignoratur, aut; cum minime ignoretur, vel in eius, qui agit, poteſtate non eſt, vel ei vis affertur, ab inuito agi dicitur. Multa

vero

vero illorum, quæ natura nobis affert, ſcientes agimus & patimur, quorum nihil nec ſponte noſtra, nec inuiti facimus, vt ſeneſcere, & mori. *Quamuis enim neque ſeneſcere vellemus,neq; occidere; nihilominus,quia neque ſenium,neque mors naturalis à vi contingunt,ea inuiti ſuſtinere non dicimur. in eo igitur,qui ſcienter agit,vel patitur,vis allata facit inuoluntarium*. In rebus autem iuſtis, & iniuſtis æque euentus locum habet. nam qui depoſitum, metu coactus, & inuitus, reddiderit,is neque iuſtum facere,neque iuſte facere dicendus eſt,niſi ex euentu. is etiam, qui neceſſitate coactus,& inuitus depoſitum non reddit, ex euentu tantum dicendus eſt iniuriam inferre, atque iniuſtum facere. Eorum autem, quæ ſponte aguntur,alia conſilio capto agimus,alia conſilio non capto: re ſcilicet deliberata, vel non deliberata. Iam vero cum in humana ſocietate tria ſint damnorum genera, *vt ex dictis apparet: quorum vnum per ignorantiam à non volente contingit: aliud à volente quidem,ſed non conſilio capto: tertium à volente, atque conſilio capto per deliberationem*: quæ ab inſciente ſunt, errata, ſeu per errorem admiſſa dicuntur. vt cum quis eum, quẽ minime exiſtimabat, vulnerauit: aut quomodo non putauit, *ſcilicet grauius,& vehementius*: aut quo inſtrumento non putauit, *lapide videlicet,quem cenſebat pumicem*:aut cuius rei cauſſa nõ putauit. nam cum vnius rei gratia faceret, longe aliud contigit, quam exiſtimabat: vt qui cum ferrum ſtrinxit, vt pungeret, vulnerauit. Hic vero diſtinctione opus eſt. interdum enim,quæ per ignorantiam à nolente admittuntur,præter omnem opinionem agentis contingunt: hæc infortunia dicuntur. interdũ vero non præter opinionem eueniunt,ſed præter malitiam: hæc errata appellantur. *præter opinionem vero contingunt illa,quæ per quam raro ſimul coniunguntur; vt in ſylua feris confertiſſima latere hominem. Infortunium ergo Cephali fuit, cum commotis in ſylua frondibus,atque ramis, eò ſpiculum direxit, ac Procrin vxorem,quæ virgulta commouerat, latentem occidit: cum feram arbitraretur. Nec opinato vero, ſed præter malitiam, ea contingunt, quæ non ſemel coniungũtur. vt in venatione ferarum, quæ iaculis committitur, dum omnes circumfuſi tela in belluam iaciunt, ſpiculum aliquod venatoris alicuius corpore excipi. quale fuit Adraſti in Atym Crœſi filium erratum. cura enim fuerat ei adhibenda,ne in ea circumcurſatione hominem pro bellua feriret.ſed nihilominus à nolente factum eſt,quoniam ab ignorante*. Hæc vero infortunij & errati diſtinctio inde promanat,quod quiſque tunc errat & peccat, cum in ipſo eſt cauſſæ praue agendi principium. atqui infortunatus eſt, cum agendi principium extra illum eſt. *Adraſtus enim cautius vibrare ſpiculum poterat,& debebat: Cephalus hominem inter denſas arbores in ſylua deliteſcere,nec poterat cogitare,nec debebat. in illo igitur principium*

 cauſſa

cauſſæ agendi fuit: in hoc non fuit. Aliud damni genus à volente quidem eſt, ſed non conſilio capto. eiuſmodi facta, iniuſte facta ſunt: vt quæ per iracundiam, aliasque vel neceſſarias, vel naturales hominis affectiones fiunt. *naturales affectiones appello, vt amorem, metum, dolorem: neceſſarias vero, vt famem, & ſitim:* qui enim magno dolore perculſus, vel ſtimulis vehementis amoris incitatus, vel fame coactus peccat, * is iniuſte quidem agit: ſed non eſt iniuſtus, nec improbus. neque enim agit ex malitia, cum non deliberarit. Quod ſi de induſtria, & cōſilio capto damnum intulerit, *quod erat tertium damni genus*, & iniuſte fecerit: tum & iniuſtus, & improbus eſt dicendus. Quare, quæ per iram fiunt, recte non de induſtria facta iudicantur. neque enim in irato eſt principium cauſſæ agendi, *& vulnerandi:* ſed in eo, qui prius per contumeliam alteri bilem exciuit. *Hos vero neque inſidioſe, neque ex electione agere, illud quoq; declarat*. qui enim ex electione iniuriam inferunt, negant ſe feciſſe. vnde inter ipſos, & actores lis de facto conſurgit: *cum hi aſſerant factum: illi inficientur*. Sed qui ex ira quidpiam fecit, non inficiatur factum; ſed litigat de iure: aſſeritque ſe iure feciſſe. ab opinione enim admiſſæ in ſe iniuſtitiæ ira commouetur: *nec iraſcitur, qui non cenſet, ſe iniuria male tractari*. Et ſi vero in commercijs de facto controuerſia eſt inter eos, qui contraxerunt: quorum, *cum contraria aſſeuerent*, neceſſe eſt alterum eſſe improbum, niſi ex obliuione id faciant: inter eos nihilominus, qui ab ira impulſi damno alios afficiunt, & eos, qui afficiuntur, conuenit de facto: certatur, & ambigitur de iure. Nam, qui prudens læſit alterum, non ignorat factum: *multo minus is, qui læſus eſt*. Verum hic iniuriam ſe accepiſſe putat: ille, cum iratus læſerit, nullam ſe feciſſe iniuriam exiſtimat: *quod ſe prius iniuria affectum arbitretur, quam liceat vlciſci*. Qui vero conſilio capto damnum infert, iniuriam facit, & iniuſtus eſt, cum à proportione, vel ab æqualitate diſceſſerit. itemq; iuſtus eſt, cum deliberatione habita, iuſte facit. Iuſtum vero facit is, qui ſponte, & voluntate ſua facit: *etſi non conſilio capto*. Eorum autem, quæ inuite, *hoc eſt, non conſilio capto* fiũt, alia venia digna ſunt: alia non ſunt. Nam quæcumque non ſolum inſcientes, verum per inſcientiam peccant homines, excuſanda ſunt. *inſcientia enim eſt in illis principium mouens ad agendum*. quæ autem non per inſcientiam, ſed inſcientes quidem, at per aliquam animi perturbationem, neque naturalem, neque humanam admittunt, condonanda non ſunt: *vt copioſe in tertio horum ſermonum libro ſcripſimus*.

SCHOLION.

* *IS iniuſte quidem agit, ſed non eſt iniuſtus*.] *Ariſtoteles, vt hominem ſimpliciter bonum, non eum eſſe voluit, qui bene ageret: ſed eum,*

tum,qui ex habitu,firma & conſtanti voluntate, bene ageret : quod ſu-pra libro 2.cap.4 videre eſt : ita hic vitioſum hominem eum eſſe voluit, qui ex electione, & habitu prauiter ageret : non eum, qui citra electio-nem,& abſque habitu prauo,& vitioſo. Neque idcirco negat, prauita-tem in actibus, qui à perturbatione ſunt cum ſcientia facientis, reperiri poſſe,ac reperiri : vt ex hoc capite ſit manifeſtum.

An quis volens poſſit iniuriam pati : & quis nam iniuriam faciat : is ne qui plus dedit, an qui plus accepit. Cap. IX.

HIs explicatis, dubitare quiſpiam poſſit, an diſtinctè, atque cumulate ſatis de accipienda & facienda iniuria diſputatum à nobis fuerit : cum & illud diſcuti debere videatur : Vtrũ poſſit quiſquam vere iniuriam ſua voluntate accipere : an conſenſus patientis iniuriæ tollat rationem, quod & Euripides probaſſe videtur, apud quem Bellerophontes abſurde ſatis ait :

Matrem vt meam necauerim,paucis loquar.
Volens volentem : vel volentem non volens.

quaſi à matricidij crimine ſit immunis : cum eam volentem ipſe ſiue volens,ſiue nolens necauerit : & volenti ferre damnum, non fiat iniuria, ſed tantum nolenti. Quæri ergo poteſt,num, vt iniuria non eſt ab eo, qui non ſponte agit : ita non fiat ei,qui non inuitus recipit? Et numquid, vt omnis iniuria ſponte fit : ita de accipienda iniuria vniuerſa alterutrum dicere poſſimus : aut omnem iniuriam ſponte accipi, vel omnem ab inuitis : aut quaſdam iniurias ſponte accipi, quaſdam ab inuitis ? Eadem quoque de ratione iuris ſui obtinendi,ſeu iuſtum patiendi,poſſunt dubitari. Quiſquis enim iuſte agit,ſponte agit : *ſimiliter & qui iniuſte. à volente etenim hæc ſunt.* quare,*cum ei, quod eſt iuſte,vel iniuſte agere,opponatur iuſtum, vel iniuſtum pati : ac relatiua ſibi mutuo reſpondeant,& aduerſentur :* conſentaneum eſt eos,qui iniuſtum,ac eos, qui iuſtum patiuntur, ſimiliter inter ſe opponi : vt hi ſponte patiantur, illi inuiti. *Iure igitur dubitatum à nobis eſt, an qui ius ſuum obtinet,ſeu quod idem eſt,iuſtum patitur, id ſemper faciat volens : an ſemper inuitus : an interdum volens,interdum inuitus.* Dicere autem ius ſuum obtinere ſemper eſſe voluntarium, abſurdum videtur. nonnulli enim ius ſuum obtinent non ſua voluntate : *vt qui ob crimen pœna plectuntur.* Vbi alia quoque ſuboritur difficultas : Vtrum quiſquis aliquid iniuſti pertulit, iniuriam accepiſſe dicendus ſit : an vero vt in agendo,*quis iniuſtum ſæpe facit,non iniuriam,* ſic in perpetiendo quoque ſe res habeat. In vtroque enim poteſt aliquis ex

euentu

euentu iuriũ eſſe particeps. Patet hoc primum in rebus iniuſtis. non enim idem eſt, res iniuſtas agere, atque iniuriam facere: neque res iniuſtas perferre, & iniuriam accipere. *Qui ignorans percutit alium, ex euentu iniuſtum facit, non iniuriam: nam ea agit, quibus accidit, vt ſint iniuſta. qui ab ignorante percutitur, ex euentu iniuſtum patitur. ea enim patitur, quibus accidit, vt ſint iniuſta. iniuriam vero non accipit.* In rebus quoque iuſtis idipſum cernitur: in rebus, inquam, iuſtis agendis, & obtinendo iure ſuo. *Qui volens depoſitum reddit, quod per ſe iuſtum eſt, facit: qui accipit, quod per ſe iuſtum eſt, accipit. qui nolens reddit, ex euentu, quod iuſtum eſt, efficit: qui recipit, ex euentu, quod iuſtum eſt recipit. in his enim accipiens dantem reſpicit: ſiue æquum accipiat, ſiue iniquum: ac pro vt ille dat, hic viciſſim capit.* Neque enim fieri poteſt, vt quis iniuriam accipiat, niſi adſit, qui faciat: neque vt ius ſuum obtineat, ni adſit, qui iuſte agat, & iuſti iudicis munere fungatur. *ſi igitur is, qui facit, non infert iniuriam: is qui patitur, non accipiet iniuriam. relatiua enim hæc ſunt, & ſimul natura.* Verum ad confirmandam Euripidis ſententiam non leuis probatio ex incontinente poteſt deduci. Si enim iniuriam facere eſt, ſua ſponte alicui nocere: ſponte autem nocet is, qui ſcit cui, & quo *inſtrumento*, & quomodo noceat: incontinens autem ſponte ſua ſibi ipſe nocet, *cum omnia, quæ factum circumſtant, probe norit*, ſequitur, eum ſponte ſua iniuria affici: poſſeq; fieri, vt quis ipſe ſe afficiat iniuria. At hoc etiam vnum ex ijs eſt, quæ dubitantur, & quæruntur: fieri ne poſſit, vt quis ſe ipſe iniuria afficiat. Poteſt etiam quis ob incontinentiam ſua ſponte ab alio, qui lædere velit, lædi: *vt qui volens patitur, pecuniam ſibi à meretrice extorqueri, atque corradi.* poterit itaque fieri, vt quis ſponte ſua iniuria afficiatur: Sed, ſi a llatæ iniuriæ, ſeu iniuriam faciendi, definitioni, quæ manca eſt, quædam addantur, omnes iſtæ tollentur difficultates. nam illis verbis, Iniuriam facere eſt, cũm quis intelligit, quem, & quo, & quomodo lædat: addendum eſt, contra illius voluntatem. Damno igitur ſua ſponte quiſpiam affici, reſq; iniuſtas perferre, & perpeti lubens poteſt: iniuriam autem ſua ſponte accipere nemo poteſt. Nemo enim vult iniuriam accipere: ac ne incontinens quidem id vult: ſed agit præter voluntatem. *Cum enim ab initio decreuiſſet non capi illecebris voluptatum: tamen cupiditate victus, non perſtat in ſententia. ſed culpæ initium non eſt à voluntate.* Nemo enim vult, quod non arbitratur eſſe bonum. incontinens vero *extra perturbationem poſitus iudicat voluptates eſſe malas: ſequiturq; uoluntas eiuſmodi iudicium rationis: quod ſi peccat, cupiditate impellente peccat, & omnino,* quod agendum eſſe non putat, agit. Qui autem ſuadat: vt Homerus ait, Glaucum dediſſe aurea arma pro æreis, & quæ

centum boues æſtimarentur, pro ijs, quæ nouem: ei nulla fit iniuria. in ipſius enim arbitrio ſitum eſt dare, aut non dare. At iniuriam accipere non eſt in eius, qui accipit, poteſtate; ſed adſit is oportet, qui iniuriam faciat: *in quo & principium ineſt iniuriam faciendi*. Iniuriam igitur accipere, non eſſe quidpiam, quod ſponte ſuſcipiatur, ex his intelligi poteſt. Sed ex ijs quæ propoſuimus duo nobis reſtant explicanda: alterum quidem: Quiſnam iniuriam faciat: is qui plus alicui præter illius meritum, ac dignitatem tribuit, an is, qui plus, quam pro meritis, conſequutus eſt? alterum vero: Num fieri poſſit, vt quis ipſe ſibi faciat iniuriam. Quod ſpectat ad id, quod priore loco propoſitum eſt: ſi qui plus tribuit, facit iniuriam, non qui plus obtinuit: ſequitur, vt, ſi quis alteri ſciens, ac ſua voluntate plus, quam ſibi, tribuat, quod modeſti homines facere conſueuerunt: (nam vir bonus de ſuo iure libenter, & facile aliis concedit) hic ſe ipſe iniuria afficiat. Sed num ne hoc quidem ſimpliciter & abſolute dici poteſt? Nam plus ſibi gloriæ, ac eorum, quæ abſolute bona ſunt, & honeſta, ille vendicauit, *dum ſibi minus ex alijs bonis, quæ utilia ſunt, ſumpſit, quare compendium maximum, non iacturam fecit, cum ab eo facto redditus ſit honoratior. Sed, etſi minus ſibi ſumendo, nihil lucraretur dignitatis*, adhuc propoſitus nodus ex definitione eius, quod eſt facere iniuriam, diſſoluitur. *Diximus enim iniuriam facere illum, qui alterū ſciens & prudens lædit, præter perpetientis voluntatem*. at ei, qui ſe ipſum damno afficit, nihil præter ipſius accidit voluntatem. quare nō iniuria afficitur hac de cauſſa: ſed ſi in aliquo læditur, damno duntaxat afficitur. *nam perpetientis voluntas iniuriam quidem tollit: damnum vero tollere non poteſt. nam velit, nolit, ille damnum accepit: quod damnum in re ſit: iniuria magis pendeat ab exiſtimatione*. Perſpicuum autem etiam illud eſt, ab eo quidem, qui diſtribuit, ſi plus dat, iniuriam fieri: non ſemper ab eo, qui plus habet. non enim is, in quo id ineſt, quod iniuſtum eſt, iniuriam facit: ſed is, in quo ineſt, vt ſponte hoc faciat. ab eo enim actionis principium proficiſcitur. quapropter etſi in eo, qui minus accipit, iniuſtum inſit: cum nihilominus diſtributio non ſit in eius poteſtate, nec agendi principium in eo inſit: non dicetur iniuriam facere. Præterea quando facere multis modis dicitur: nam & inſtrumenta quodammodo faciunt: nedū cauſſæ agentes: & inanima interficiunt: & manus: & ſeruus à domino iuſſus, *cum eius inſtrumentum ſit*: hæc porro res quidem iniuſtas faciunt: ſed iniuriam nullo modo faciunt. *neque enim in illis eſt agendi principium. &, vt clare, licet barbare, loquar, faciunt materialiter iniuſtum, non formaliter*. Adhuc ſi quis à legitimi iuris ignoranti à perperam iudicauit, neque facit iniuriam, neque iudicium, *qua eius actio*, iniuſtum dici poteſt: ſed eſt veluti iniuſtum, *ſcilicet materialiter*,

ter,

ter, ſiue ex euentu. Sæpe autem legitimum ius ignoratur. neque enim eſt hominum mentibus inditum, vt ius illud naturale, atque primæuum. * quod ſi ſciens iniuſte iudicauit, iniuriam fecit: ac plus ipſe conſequutus eſt, dum vel amico gratificatur, vel inimicum vlciſcitur. Et quemadmodum ſi quis iniuriæ factæ ſit ſocius, plus habet: ſic is, qui iniuſte iudicauit in illis, quibus permotus peccauit, plus obtinere intelligitur. plus autem conſequutus eſt non eius boni, quod alteri adiudicauit: *puta agri, vel ædificij, & ſimilium: ſed plus gratiæ, pecuniæ, voluptatis, & ſi quæ ſunt eiuſmodi.* nam qui agrum alteri iniuſte attribuit, is non agrum, ſed pecuniam accepit. plus ergo eſt conſequutus. Errant vero mortales, cum in ſua poteſtate ſitum eſſe putant, iniuſte agere, ac proinde facile eſſe, iuſtum eſſe: errant inquam. nam cum vxore vicini rem habere, alterū percutere, largitione corrumpere, tum facile eſt, tum in ipſorum poteſtate poſitum: at certo quodam modo affectos, & conformatos, hoc eſt, prompte, cum voluptate, ex habitu ea facere, non eſt adeo pronum & procliue, vt ſtatim fiant. *longa enim conſuetudine eò deuenitur.* Errant quoque pariter, cum non magnæ ſapientiæ putant, iuſta, & iniuſta noſſe, ac diſtinxiſſe: quod ea, de quibus leges præcipiunt, intelligere, non ſit difficile. Verum quæ à legibus præcipiuntur, non ſunt iuſta, niſi ex euentu. tunc autem abſolute iuſta ſunt, cum certo quodammodo fiunt, & diſtribuuntur, *accommodate ſcilicet locis, tempori, perſonis.* id autem noſſe, operoſius eſt, quam ſalubria, quæ ſint, intelligere. Nam illic quoque mel, & vinum, & elleborum, & vſtionem, & ſectionem facile eſt noſſe: at noſſe quomodo hæc ad ſanitatem adhibenda ſint, & cui, & quando, ita difficile eſt, vt eſſe medicū. Ob id ipſum autem iuſti hominis eſſe exiſtimant, nihilominus iniuſte agere, quam iniuſti: quia iuſtus non minus quam iniuſtus, immo vero *vti à rerum iuſtarum notitia earum, quæ iniuſtæ ſunt, peritior factus,* magis vnumquodque horum agere poſſit. Nam & iuſtum cum aliena vxore rem habere, & alterum verberare, & virum fortem clypeum abijcere, & tergo verſo in vtramuis partem currere poſſe, dicunt. Sed *eſto hæc iuſtus, & fortis facere poſſint:* nihilominus ignauum eſſe, & iniuſte agere, non eſt hæc agere, quæ ex euentu talia ſunt: ſed ſic affectum, & conformatum facere. vt mederi, & ſanare, *ſiue medicum eſſe,* non eſt ſecare, aut non ſecare: medicamento purgare, aut non purgare: ſed ſic affectum, *arte ſcilicet inſtructum, atque fretum,* ea facere. Ius autem, & iuſtum in his locum habent, qui participes eſſe poſſunt eorum, quæ ſimpliciter bona ſunt, *(vt diuitiarum, ceterorumq; commodorum, quæ ciuitatis communitas affert)* quique eorum præterea bonorum & plus, & minus, quã ſat eſt, conſequi poſſunt. Nam aliis quidem nimium tribui non poteſt, vt fortaſſe Dijs; *qui ſi eiuſmodi bonis, vt olim vulgus, veri igna-*

rum,cenſebat,fruerentur : non ſibi plus,quam oporteret, ſumerent. hoc vero apud nos conſequuntur homines virtute perfecti,& abſoluti : alijs autem nulla eiuſmodi bonorum particula vtilis eſt, vt inſanabilibus, & omni vitiorum genere contaminatis : ſed omnia eis nocent, *cum omnibus abutantur :* alijs demum aliquatenus vtilia ſunt : atque hoc humanum eſt. *dixi, aliquatenus. eiuſmodi namque bonorum omnis exuperantia & defectus nocet. iuſtitia igitur eſt humanum bonum cum communem hominum ſtatum reſpiciat.*

SCHOLIA.

1 DAmno duntaxat afficitur.] ad enucleandam omnem de iniuria & damno inferendis,accipiendisque doctrinam, quæ valde implicata eſt,hæc habeto. Pati poteſt quis iniuſtum citra iniuſtitiam inferentis; & abſque reluctatione patientis : nemo patitur iniuriam ſine iniuſtitia inferentis, & reluctatione patientis. horum alterum ſi deſit, non eſt iniuria,ſed iniuſtum. Nullus ergo,niſi volens, facit iniuriam : nullus,niſi volens,patitur iniuriam. nam ſi velit pati, cedit iuri ſuo, ac tollit iniuriæ rationem. adhuc niſi qui agit iniurius ſit, qui patitur, non accipit iniuriam. ſunt enim relatiua : qui ergo nolens iniuſtum facit,non infert iniuriam : damnum vero, etiam nolens,afferre poteſt.

2 Quod ſi ſciens iniuſte iudicauit.] Quæri hoc loco poteſt : vter magis peccet: iudex ne,qui,vt alteri gratificetur,eius hortatu iniquam fert ſententiam : an is,qui conſilium dedit,ſiue corrupit? Porro Leodamas cum accuſaret Calliſtratum,vt Ariſtoteles lib. 1. de arte dicendi ſcribit, dixit,eum qui conſilium dederat, magis in culpa eſſe, quam eum, qui crimen admiſerat. neque enim ſcelus patratum fuiſſet, niſi ſuaſor, & hortator affuiſſet. Idem,cum accuſaret Cabriam,dixit, peccaſſe grauius illum,qui fecerat,quam qui conſilium dederat. neque enim extitiſſet flagitium, niſi inuentus eſſet,qui faceret. ita eloquentiæ vi veritas huc illuc inflectitur, & contorquetur. Ceterum vere iudicium faciendo, dicendum eſt,iudicem, ſi ex cupiditate inique iudicat, plus peccare, quam ſuaſorem. deſerit enim munus ſuum, quod illi ſanctiſſimum eſſe debuerat. idem dixerim,ſi timore leui fecit : ſin graui metu perculſus, leuius peccat,quam corruptor. In iudicem vero non cadit metus conſtantem virum excuſans. nullo enim vel grauiſſimo timore iuſtitiam deſerere debet.

De Aequo bono. *Cap.* X.

SEquitur,vt de æquitate,ac de æquo bono dicamus,& quam rationem æquitas ad iuſtitiam, æquum bonum ad ius habeat, videamus. Nam propius, & accuratius rem inſpicientibus neque omnino

eadem genere, neque omnino diuerſa iſthæc videntur. ac de ijs varia facimus iudicia. interdum enim laudamus æquum bonum, & virum, qui æquus bonus eſt. itaque Græci τὸ ἐπιεικὲς, quod nos æquum bonum dicimus, etiam ad alia, quæ laudare volunt, transferunt, & ἐπιεικὲς vocant, quod bonum eſt: quod vero melius, ἐπιεικέστερον. interdum vero rationem ſequentibus abſurdum videtur laudari hoc æquū bonum, cum ſit à iure diuerſum, *& cum eo pugnet.* nam ſi æquum bonum aliud à iure eſt, eorum alterum non erit laudabile, neque bonū. at ſi vtrumq, bonum eſt, vnum, & idem quoq; ſit, neceſſe eſt. Hæc igitur fere ſunt, quæ de æquo bono dubitari ſolent. Quæ omnia quodāmodo vere dicuntur: neque inter ſe diſſident. nam æquum bonum ita iure quodam melius eſt, vt & ipſum quoque ius ſit: neque ita eſt iure melius, vt ſit aliud quoddam genus *non comprehenſum à iure.* [1] Idem ergo eſt ius, & æquum bonum: cūmq; ambo ſint bona, melius eſt æquum bonum: *melius autem non omni iure, ſed aliquo.* Inde autem oritur *atque diluitur* dubitatio: quod æquum bonum ius quidē eſt: non tamen ius legitimum, ſeu lege comprehenſum: ſed legitimi iuris correctio. *eſt ergo melius iure legitimo, quod lege cauetur: non omni iure ſimpliciter: ſic enim eſſet ſe ipſo melius, cum & ipſum æquum bonum ius quoddam ſit.* Cuius rei hæc porro cauſſa eſt, quod lex omnis generalis eſt, & in vniuerſum ſtatuitur. De quibuſdam vero rebus generaliter, & vniuerſe præcipi recte non poteſt. *quo enim pacto lex ambitu ſuo poſſit ſingulares omnes euentus complecti?* Quare vbi generaliter loqui neceſſe eſt: id autem recte fieri non poteſt, *ob euentuū diuerſitatem:* legislator id, quod plerumque fit, accipit, & lege definit: *quæ raro contingunt, dimittit:* [2] non quidem huius errati neſcius: ſed prudens, & ſciens. Neque vero idcirco lex minus recta eſt. non enim culpa legis eſt, vel eius, qui legem tulit, ſed naturæ rerum ſingulariū, quæ generatim ſub certa regula comprehendi non poſſunt. talis eſt rerum, quæ ſub actionem cadunt, materia. Lege igitur vniuerſe præcipiente, ſi quid poſtea præter generalem illam præceptionem eueniat, par eſt, quà parte aliquid legislator, vniuerſe loquutus, prætermiſit, & aberrauit, corrigere quod fuit omiſſum. [3] quod & legislator ipſe faceret, ſi adeſſet: & ſi ſciuiſſet, *ſeu futurum cogitaſſet,* eadem lege caniſſet. quare ęquum bonum ius eſt, & iure aliquo melius: non quidem eo, quod ſimpliciter & abſolute ius eſt: ſed eo, quod in ſcripta relatum, ex generali ſermone peccat, & deficit. Demum hæc æqui boni vis eſt, & natura, vt legis correctio ſit, qua aliquid ei deeſt, propterea quod generaliter loquitur. *Quæ vt planius intelligantur, nonnulla nobis ex ijs, quæ in primo libro de arte dicēdi ſcripta ſunt: tum ex oratione Dynarchi contra Demoſthenem huc transferenda videntur. Lex eſt, ne quis ferro alium vulneret. Quidam anulum ferreum ge-*

ſtans,

ſtans,elata manu alium percuſſit: reus in iudicio violatæ legis poſtulatur. Si ex iure ſcripto agatur à iudice,damnandus eſt: at ſi ex æquo bono, abſoluendus. hunc enim euentum legiſlator non cogitauit. In oratione quoque Dynarchi habetur, Polienetum capitis in Areopago damnatum, quod Megaram contendiſſet ad Nicoclem exulem: eundem vero à populo abſolutum,quod conſtaret,eum ad pium officium, & vt conſolationem Nicocli vitrico afferret in funere vxoris, Megaram perrexiſſe: non vt contra Rempublic*am quippiam moliretur: quæ mens fuit legiſlatoris, in eos,qui cum exulibus conſilia communicarent,vel ſermones conferrent,capitale ſupplicium ſtatuentis. Ex iure Areopagitæ: ex æquo bono populus.* Neque enim omnia legibus comprehenduntur, quia de quibuſdam lex ferri non poteſt: *puta de ijs, quæ raró, & inopinato contingunt.* [4] quocirca pſephiſmate opus eſt. rei enim interminatæ,atque infinitæ, interminata quoque, atque infinita regula eſt: [5] vt & ſtructuræ Lesbiæ regula eſt plumbea, quæ ad figuram lapidis torqueri, & imflecti poteſt, nec eadem manet: *non ferrea,quæ eiuſdem formæ perpetuo eſt,cum nec torqueri,nec inflecti poſſit.* Pſephiſma vero,ſeu plebiſcitum ijs,quæ aguntur, vt Lesbia regula ſtructuræ lapidum,accommodatur. Ex his quoque apparet,quis ſit vir æquus, bonus. nam qui talia conſulto ſectatur, & agit, [6] quique in ſua cauſſa non eſt ſummi iuris perſequutor, & exactor: neque in duriorem, ac deteriorem partem propendet: ſed de ſuo potius iure concedit,etſi lege niti poſſit: is eſt æquus bonus. & hic habitus æquitas appellatur,quæ iuſtitia quædam eſt,non alius quiſpiã habitus: *quemadmodum & æquum bonum ius eſt à iure ſcripto,non ab eo,quod abſolute ius eſt,ſeparatum.*

S C H O L I A.

1 *IDem ergo eſt ius, & æquum bonum.] ius inquam ſimpliciter, & abſolute ſumptum. nam ius lege contentũ eſt aliud ab æquo bono.*

2 *Non quidem huius errati.] hoc eſt,legem, quæ generatim concipitur,non complecti omnes euentus,qui circa illam contingere poſſunt. Id enim non ignorat legiſlator. Ceterum aliqua ſæpe incurrere,quæ legiſlator non cogitauit,& verum eſt, & Ariſtoteles infra docet. & lib. primo Rhet.*

3 *Quod & legiſlator.] Lyſias monuit, iudicantes eadem mente præditos eſſe debere,qua legiſlatores: qui ſi præſentes fuiſſent, ex æquo & bono,non ex iure ſcripto ſæpe iudicaſſent. Laudatur Philopœmenes à Plutarcho in T.Quinctio,quod non ſolum ex præſcripto legum,ſed etiam legibus nouerat è bono publico imperare.*

4 *Quo circa pſephiſmate opus eſt.] Quod apud Romanos plebiſcitum erat,hoc Athenienſibus pſephiſma fuit. vbi vero lex deficit,opus eſt Plebiſcito,quoniam à lege non niſi ſummo magiſtratui,ſed quam pauciſſi-*

mum, recedere licet: vt Ariſtot. tradit in Politicis. Sed quarum rerum nullæ ſunt leges, de ijs iurati iudices ex bono & æquo iudicent, vt Demoſthenes præcipit contra Beotum.

5 *Vt & ſtructura Lesbia.*] *Lesbia regula æquitati comparatur: ferrea vero legi. Theognis iuſtitiam expreſſit per libram: æquitatem per γνώμονα, ſeu ſtylum, quo horæ notantur. contorquetur enim ille per vmbram ad horarum notas: nec eundem ſeruat ſtatum.*

6 *Quiq; in ſua cauſſa.*] *qualem Princeps ſe præſtare debet, ita ſuadente Euripide.*

Summo iure vtere moderate.
Nauis enim ſumma vi tenſis rudentibus
Mergitur: erigitur iterum, ſi laxaueris rudentes.

quod & Thucidides comprobauit lib. 3.

Dubitatio vero hic ſubeſt, An æquitas ita corrigat legem in mitiorem partem, vt eius nihilominus ſeueritatem quandoque intendere poſſit. Et mihi quidem ita videtur. Nam Athenis nulla in Parricidas lege lata, quod Solon exiſtimaſſet, fieri non poſſe, vt filius parentes è medio volens, & lubens auferret: vel ne, dum prohibet ſcelus, doceret: ſi quis parricidij compertus ibi fuerit, cur non ex bono & æquo ſeueriore pœna, quam alius cuiuſpiā patratæ cædis reus plectatur? id æquum certe fuerit, & bonum. æquum, vt æqualitas inter parentem occiſum, & filium interfectorem ſtatuatur: bonum, vt metu grauioris pœnæ ceteri à flagitio arceantur. Nec nobis aduerſatur Ariſtoteles, dum hic aſſerit, virum æquum bonum eſſe illum, qui non in deteriorem, & duriorem partem propendet: tum quia de eo loquitur, qui ius ſuum non perſequitur: iudex vero, dum parricidam punit, ius interfecti parentis, vel ipſius reipublicæ quærit: tum quia vir æquus bonus remittit de rigore legis, vbi lex ſeuere nimis concepta eſt: at vbi nimis laxe, in atrocibus euentis intendit ſeueritatem. Ariſtoteles autem de eo, quod vt plurimum contingit, loquitur. raro enim euenit, vt legis acerbitas ſit intendenda, cum vt plurimum ea ſit plena ſeueritatis.

An quis iniuriam ſibi facere poſſit.
Cap. XI.

EX ijs, quæ dicta ſunt, perſpicuum eſt, vtrum fieri poſſit, vt quis ſibi ipſe faciat iniuriam, nec ne. *poſſit enim aliquis id exiſtimare, hac adductus ratione*; quod ea, quæ ſecundum vniuerſam iuſtitiam iuſta ſunt, in omni virtutis genere ſunt à lege definita, & iuſſa. [a] quare, quæ nullo rerum euentu *ne in vniuerſum quidem* iubentur à lege: ea, *vti natura ſua praua*, prohiberi, veriſi-

verisimile eſt. quicquid enim lex eo, quo dictum eſt, modo non iubet, vetat. Exempli gratia, non iubet lex ſui ipſius parricidium: *nec expreſſe prohibet. ſed dum eos, qui ſibi manus intulerunt, ignominia notat: nec ob vllum vel atrociſſimum crimen cuipiam, vt ſui ipſius carnifex ſit, præcipit:* hoc ipſo, quod non præcipit, vetat. *Iniuſtum ergo eſt ſe ipſum necare: igitur, qui hoc facit prudens & lubens, ſibi iniuriam facit: vt ex ijs, quæ de iniuria inferenda philoſophati ſumus, deduci poteſt.* Præterea cum quis contra legem alteri, à quo nullum acceperat incommodum, nocet, ſponte facit iniuriam: ſponte inquam, ſi ſciens cui, & quomodo faciat, iniuriam facit. at is, qui ira impulſus, ſibi mortem conſciſcit, hoc ſponte facit, quod recta lex non permittit: iniuriam igitur facit. Et quidem iniuriam vere facit. ſed cui? num ſibi? minime iſtud quidem. ſponte enim hunc caſum ſubit, & perfert. at ſponte ſua nemo afficitur iniuria. infert ergo iniuriam ciuitati, cuius ipſe ciuis eſt, *eius membro præciſo.* quare & multat eum ciuitas, *vti ab illo prius ipſa iniuriam acceperit:* & ignominia afficit: *nam corpora inhumata proijci iubet. quaſi indignum ſit, hos uel honore affici, vel quietum ſepulturæ locum nanciſci ab ea ciuitate, quam, membris detruncatam, funeſtarunt.* Quo ad iniuſtitiam quoque particularem, qua is tantum iniuſtus eſt, qui iniuſte facit, non qui omnino vitioſus eſt, fieri non poteſt, vt ſe quis afficiat iniuria. eſt enim hoc aliud iniuſtitiæ genus ab illo. Nam aliud eſt eſſe in vniuerſum iniuſtum, hoc eſt omni vitio contaminatum: aliud vero eſſe iniuſtum in certo quodam genere: vt eſſe ignauum, non eſt omni crimine, ſed certo quodam, pollutum eſſe. Igitur loquendo de hac iniuſtitia, quam peculiare vitium ſupra poſuimus, neminem poſſe in ſe ipſum iniurium eſſe, his potiſſimum rationibus ſuadetur. Sequeretur enim, vt idem eidem ſimul & detrahi, & addi poſſet. *qui enim facit iniuſtum, plus habet: qui patitur, minus habet. ſi ergo fieri poſſet, vt quis inferret ſibi iniuriam, ille eadem ex parte & plus haberet, & minus.* Hæc autem circa eundem fieri non poſſunt: ſed ſemper in pluribus, iuſtum, & iniuſtum eſſe neceſſe eſt. *idem enim ſimul & ſemel non poteſt pati iuſtum, & iniuſtum.* Præterea iniuriam facere cum à voluntate, atque conſilio proficiſcitur, * tum etiam tempore prius eſt, *quam iniuſtum pati.* qui enim malum, quod acceperat, refert, iniuriam facere non videtur. *puta ſi rem ſibi ablatam recipit, vti lex permittit.* at qui ſe iniuſte lædit, eadem ipſe patitur ſimul, & facit: non igitur videtur ſibi quis poſſe facere iniuriam. Adhuc ſequeretur fieri poſſe, vt quis ſuapte ſponte acciperet iniuriam: quod ſupra confutatum eſt. Accedit, quod nemo iniuriam facit, quin certam aliquam & peculiarem iniuriam faciat. *neque enim in vniuerſum iniuria fit, ſed in ſingulari.* eiuſmodi ſunt mœchari, parietem

rietem

rietem perfodere, furari. at nemo vxorem ſuam adulterat: parietem ſuum nemo perfodit: nemo ſua furatur. nemo igitur ſibi infert iniuriam. Demum hoc refellitur ex ijs, quæ à nobis diſtincta, & deciſa de eo ſunt: poſſit ne quiſquam ſponte ſua iniuriam accipere. illa enim falcem radici admouent. *nam ſi nemo volens accipit iniuriam: eum qui ſibi nocet, volens patiatur: ſequitur, neminem ſibi facere iniuriam.* Iam vero ne illud quidem obſcurum eſt, vtrumque eſſe malum, accipere, & facere iniuriam. alterum enim minus, alterum plus medio obtinere eſt. quod quidem ſe habet, vt in medicina ſalubre: in arte exercendorum corporum id, quo firma corporis habitudo comparatur: *in quibus omnis exuperantia, & defectus mala ſunt.* Veruntamen iniuriam facere deterius eſt. cum vitio enim coniunctum eſt, & vituperandum: cum vitio autem vel perfecto, & integro, & proprie dicto, vel cum ei finitimo. Non enim quicquid ſponte fit, cum iniuſtitia coniunctum eſt. at accipere iniuriam ſine improbitate, & iniuſtitia eſt, *tum abſoluta, tum ei finitima.* Per ſe igitur leuius malum eſt iniuriam accipere: quamuis ex euentu, & conſequutione nihil prohibeat, quin ſit grauius. [3] *vt ſi quis vxoris probra tolerando, tandem abrupta patientia ſæuiat erga innocentes: vel quis in magiſtratu conſtitutus, dum iniurias nihili facit, magiſtratum in contemptum adducat: vnde magna ſequitur Reipub. confuſio.* Sed de ijs, quæ ex euentu exiſtunt, ars non laborat. nam lateris dolorem maiorem eſſe morbum, quam pedis, medendi ars definit; ex conſequutione vero contra euenire poteſt. [4] vt ſi quis, fugato exercitu, quod pedem alicubi offenderit, ac ceciderit, capiatur ab hoſtibus, & occidatur. Ex ijs, quæ hactenus dicta ſunt, ſui ad ſe ipſum proprie non eſſe iuſtitiam, apparet. Ceterum ex translatione ſermonis, & ſimilitudine quadam poterit eſſe, non quidem ſui ad ſe, ſed ſui partium inter ipſas quædam iuris communitas: verum non omnis iuris: ſed eius, quo dominus in ſeruum, vel pater familias in familiam ſuam vti ſolet. His enim rationibus ea pars animi, quæ ratione prædita eſt, ab ea diſtat, quæ ratione caret: *& iure quodam hæc in illam vtitur.* quæ intuentibus videtur aliqua ad ſe ipſum eſſe iuſtitia, & iniuſtitia; cum in facultatibus animi fieri poſſit, vt aliquid ratio perferat à cupiditate, quod ſit à ſe ipſa alienum: vel hæc ab illa viciſſim. igitur etiam inter animi partes, vt inter eum, qui præeſt, & eum qui paret imperio, ius quoddam intercedere videtur. De iuſtitia igitur, alijſque virtutibus, quæ ad mores pertinent, hoc modo ſit explicatum.

SCHOLIA.

1 *QVare, quæ nullo rerum euentu.*] *Lex eſt ſanctio ſancta; iubens honeſta, prohibens contraria. Et quidem in vniuerſum omnia, quæ honeſtatem continent, præcipit: non cogendo, vt fiant à ſingulis:*

ſed potius iubendo, vt ſuo tempore fiant ab omnibus: neue quis honeſte agere, quandocunque voluerit, impediatur. In hunc ordinem ea, quæ à Græcis ἀδιάφορα vocantur, cogere licet: quæ etſi in communi ſunt media inter bonum, & malum: nihilominus in ſingulari vel bona ſunt, vel mala, prout ad bonum vel malum finem diriguntur. cum igitur ſingulares hominum functiones vel honeſtatem contineant, vel turpitudinem: lex quoque honeſta omnia eo, quo dictum eſt, modo præcipiat, oppoſita prohibeat: ſequitur, vt lex, quicquid non præcipit, vetare cenſeatur.

2 *Tum etiam tempore prius eſt.*] *ſi non eſt actio ſine perpeſſione; quo pacto facere iniuriam prius tempore eſt, quam accipere? an non enim relatiua ſunt ſimul tempore: vt pater & filius? Verum cenſeo iniuriã facere prius tempore dici ab Ariſtotele, quam iniuriam accipere: quia ſi hæc ſeparari poſſent, iniuriam facere prius eſſet: iniuriam accipere poſterius. Eandem cenſeo Ariſtotelis fuiſſe mentem, cum 7. metaph. tex. 4. inquit, ſubſtantiam tempore priorem eſſe, ac præire accidenti. etſi enim nullo momẽto temporis ſubſtantia careat ſuis accidentibus: nihilominus ijs tempore prior merito dicitur, cum ab illis non pendeat: contra vero accidentia pendeant ab illa. quare ſi ſepararentur, rerum natura poſtularet, vt ſubſtantia prius exiſteret, quam accidens.*

3 *Vt ſi quis vxoris probra.*] *grauiſſime is peccat, quia ſceleri viam aperit, ſeque ad ſæuitiam adigit. quod Claudio principi ad Meſſalinæ impudicitiam diu conniuenti, ac demum ob inſignem turpitudinem pudore victo, contigit.*

4 *Vt ſi quis fugato exercitu*] *hiſtoriam valde accommodatam de Cn. Pompeio Magni filio hic affert P. Victorius: quem à C. Cæſare magno prælio in Hiſpania victum, in fuga talum intorſiſſe, atque curſu impedito ab hoſtibus captum, trucidatumque ſcribit Hircius.*

DE MORIBVS
LIBER SEXTVS.

Agendum eſſe de habitibus cogitationis: videndumque quid ſit recta ratio: ac duas eſſe ratione præditas animi partes. Cap. I.

QVoniam vero ſupra diximus, medium eſſe deligendum: non nimium, neq: parum: medium autem illud eſſe, quod recta ratio præſcribit, *non quòd æque diſtat ab vtroque extremo:* de hoc diſtinctius ad præſens nobis eſt diſſerendum. In omnibus enim habitibus, quos diximus, atque adeo in alijs

rebus,

rebus ineſt ſcopus aliquis, quem ſpectans is, qui rationis eſt particeps, functionem ſuam intendit, vel remittit. *Nam qui in alium iraſcitur, vel moderatius, vel vehementius vlciſci vult, vel in eo lentum ſe præbet:* ac mediocritatum omnium, quas inter nimium & parum interiectas eſſe dicimus, eſt finis aliquis, atque terminus, quem recta ratione metimur. *nam tum demum, quid neque nimium, neque parum eſſe dicimus, cum recte rationi eſt conſentaneum.* Quod cum loquimur, vera quidem loquimur, ſed non ſatis aperte. Namq; in aliis quoque ſtudiis, in quibus ſcientia verſatur aliqua, licet hoc quidem vere dicere; neque plus, neque minus laboris, aut otij deſidiæue ſumendum eſſe, quam res poſtulet: ſed omnia mediocriter, & vt recta ratio præſcribit, eſſe facienda. Verum, qui hoc tantum perceptum, & cognitum habet, nihil amplius ſciat, quam alendo, & curando corpori ea conferre, quæ medicina, & medicus præcipiunt. Quare in habitibus animi non ſufficit vere dictum eſſe, non recedendum à recta ratione: ſed etiam, quæ ſit recta ratio, & quæ illius definitio, diſtinctum, & explicatum eſſe oportet. *Hic vero labor magna cum vtilitate ſuſcipitur. nam ne dum in moribus expoliendis, atque omni virtutum ſtatu, ſed in pleriſque functionum humanarum, vt in arte medendi, & corpora exercendi, principem locum recta ratio tenet. in ijs enim eo vſque progrediendum, quouſque recta ratio præſcribit: neque regulam ea certiorem proferre queas, qua functiones noſtras dirigamus. corpori enim valido maiores iniunget Alipta labores, quam inualido: & medicus aliud pharmacum robuſto, & vegeto adoleſcenti porriget: aliud debili & effœto ſeni. nam hæc omnia iuxta rectã rationem, quæ alio nomine prudentia vocatur. Hanc igitur ob cauſſam hæc nobis de recta ratione diſputatio vtiliter inſtituta eſt. Sed & alia quadam peculiari ratione nobis ea non eſt omittenda. cum enim hactenus de virtutibus morum dixerimus, quæ inſunt in appetitu: ſupereſt, vt de virtutibus, quæ partem cognoſcentem ornant, qualis recta ratio, ſeu prudentia eſt, diſſeramus.* Igitur animi virtutes ita diſtribuimus, vt aliæ morum ſint, aliæ cogitationis, quam Græci διάνοιαν appellant. Et quidem eas, quæ ad mores pertinent, hactenus perſequuti ſumus. de ceteris mox diſſeremus, vbi pauca quædam de animo præfati fuerimus. Dictum vero ſupra, duas eſſe animi partes ratione præditas: vnam, qua res eas cernimus, quarum principia ſe aliter habere non poſſunt, *quæque ſemper & neceſſario exiſtunt:* alteram, qua res eas cernimus, quæ hoc vel illo modo poſſunt euenire: *nec perpetuo eundem ſtatum retinent.* ad ea enim, quæ non ſunt eiuſdem generis intelligenda, opus eſt animæ partibus, quæ vtriſque ſuapte natura conformentur, genere diuerſis: ſiquidem eis ex ſimilitudine quadam & affinitate cum rebus, quæ cognoſcuntur, cognitio comparatur. *Oportet enim vim*

cognoſcentem proportione quadam aptari rebus cognitis, cum anima intelligendo fiat quodammodo omnia, vt in ſermonibus de anima dictum eſt: ac ex mente, & re per mentem cognita fiat magis vnum, quam ex materia & forma. Vnde fluxit Empedocleum illud in libris de anima relatum. Terram terra aſpicimus. aquam aqua, cœlo cœlum, ignē igni. Harum vero animæ partium illa, quæ in rebus eodem modo ſe perpetuo habentibus verſatur, ſciendi vis dicitur: græce [1] ἐπιστημονικὸν: quæ vero circa contingentia occupatur, vis ratiocinandi, & conſultandi, Græce [2] λογιστικὸν, appellatur. Nam conſultare, & ratiocinari idem ſunt: at nemo conſultat de ijs, quæ aliter euenire non poſſunt. de his ergo & ratiocinamur. Nobis vero cura incumbit, quis vtriusque harum partium ſit optimus habitus, indagandi. hic enim vtriuſque virtus eſt. at virtus ad ſuum quæq; opus pertinet. *nos vero & virtutes quærimus, & functiones humanas.*

SCHOLIA.

1 *Ἐπιστημονικὸν.] mentem infra appellat Ariſtoteles: Græce νοῦν. cap. ſecundo.*

2 *Λογιστικὸν.] infra vocat διάνοιαν. ſed νοῦς, ſeu mens, & διάνοια, hoc eſt cogitatiua, potius animæ facultates, atque poteſtates ſunt in ſe conſideratæ. ἐπιστημονικὸν autem & λογιστικὸν magis reſpiciunt functiones. Contingentia vero hic Ariſtoteles appellat ſingularia, quæ ſe aliter, & aliter habere poſſunt: non propoſitiones vniuerſales de rebus contingentibus enunciatas: vt acute D. Thomas animaduertit.*

Virtutes vtriusque rationalis animi partis eſſe habitus illos, quibus fit, vt animus verum enunciet. Cap. II.

TRia ſunt in animo, quæ actioni & veritati præſunt: [1] ſenſus, mens, & appetitus: *humanus videlicet, & rationi obedire idoneus. hæc enim veritatem & actionem gignunt.* Et quidem ſenſus ad veritatem indagandam valet: [2] nullius vero actionis principium eſt. quare beſtiæ, tametſi ſenſu præditæ ſunt, non agunt, nec actionis vllius communionem habent. *Non enim à ſe ipſis mouentur, nec arbitratu ſuo: ſed aguntur per innatam propenſionem. cogitatio autem,* & *appetitus ſimiles quaſdam habent functiones. cogitatio quidem, ſeu dianja affirmat vel negat: appetitus perſequitur, vel fugit.* [3] quod autem in diania, ſeu cogitatione eſt affirmatio & negatio, id eſt in appetitu rei alicuius perſequutio, & fuga. *Nam vt diania verum affirmat, falſum negat: ita appetitus bonum perſequitur, fugit malum. vnde perſpicuum ſit, dianiam, & appetitum eſſe principia agendi, & intelligendi: de*

di: de quibus,omiſſo ſenſu,nobis eſt diſſerendum. Cum igitur virtus moralis ſit habitus ad conſilium capiendum idoneus, & expeditus, *vt ſupra lib.2. ſcripſimus:* & conſilium, ſeu electio ſit appetitus ad conſultationem accommodatus, *quatenus,quod deliberatum eſt, accipit: vt diximus lib.3.* idcirco, ſi electionem bonam eſſe volumus, oportet, & rationem eſſe veram, & appetitum rectum: eademq; illam affirmare,hunc perſequi: *eadem illam negare,hunc fugere. nam ſi alterum actionis principium minus commode ſe habeat,actio corrumpitur*. Hæc igitur animi pars diania eſt,qua cogitamus: & veritas,quæ ad agendum valet,*non ad contemplandum.* Sed eadem diania,altera ſui parte in rerum contemplatione occupatur: cuius præſtantia, & vitium in vero & falſo ſimpliciter conſiſtunt: *cum ſuperior illa diania, quæ actionem reſpicit, veritatem & falſitatem ſpectet non pure, & ſimpliciter: ſed cum appetitu recto,vel obliquo coniunctam*. Vnde perſpicuum ſit,omnis dianiæ, hoc eſt, omnis animi partis ad cogitandum factæ, munus, & opus eſſe veritatem: *ſed alterius quidem puram: alterius vero cum appetitu recto coniunctam*. nam eius animi partis, quæ ad agendum,& cogitandum valet, πρακτικῆ inquam καὶ διανοητικῆ, opus eſt veritas conſpirans, & congruens cum appetitu recto. Quæ cum ita ſint,concluditur, electionem eſſe principium agendi: principium inquam vnde motus, non cuius gratia: *hoc eſt, efficiens, non inuitans, cuiuſmodi eſt finis:* tum electionis principium eſſe appetitum, & rationem,quæ finem aliquem ſibi propoſitum habet: *ſed in actione,non in contemplatione,poſitum*. Quocirca neque ſine mente, & cogitatione,ſeu diania, neque ſine habitu morali electio eſſe poteſt: cum nec bona,perfectaq; actio,neque ei contraria,ſine diania,& moribus eſſe poſſit. *Conferunt enim mores ad bonam vel malam electionem, prout ipſi boni vel mali fuerint, & appetitum bene,vel male affectum reddiderint. iuuant etiam,vel impediunt dianiam pro inſita bonitate, vel malitia,vt bene vel male ratiocinetur: quod in intemperãte apparet, cuius diania ob profligatos mores, verum neque intelligit, neque concludit. Confert ad electionem quoque diania: neque enim electio eſt ſine ratiocinatione. quare niſi diania recte affecta,verum inueſtigare,ac diſpicere poſſit,non poteſt eſſe bonæ electionis principium*. Diania vero ipſa, *pura ſcilicet,in contemplando poſita,& ab agendo remota,* nihil mouet, *veri inſpectione contenta:* ſed monet illa diania, quæ *cum appetitu coniuncta,* [4] & alicuius rei *ſingularis* gratia comparata valet ad agendum. Hæc eadem diania poſtremo loco poſita,alteri præeſt dianiæ, quæ valet ad efficiendum *(ποιητικὴν Græci appellant)* illiq́ue imperat: *omneſq; artes ſibi ſubiectas habet*. Nam quiſquis aliquid efficit, alicuius alterius rei *ſingularis* gratia illud efficit. neque abſolute id, quod efficitur, finis eſt efficientis: ſed vltra ad alium refertur vſum,

& ali-

& alicuius commodo ſeruire debet. *Etſi enim artis ædificandi finis ſit ædificium: at ædificatoris mens alio ſpectat: lucrum videlicet, vel habitationem. quapropter, cum præter finem artis, alius artifici ſit finis propoſitus: non eſt mirum, ſi diania rebus agendis intenta effectionem dirigit ad finem quendam, ab eo, qui artis eſt, diſtinctum.* At actio ipſa ſibi finis eſt, nec quicquam ſpectat præter rem bene geſtam: cum eius vltimum ſit perfecta actio, & res bene geſta. appetitio autem huius eſt: hoc eſt, vltimi, & finis. 5 Concludendum igitur electionem, vel eſſe mentem appetitiuam, hoc eſt, ad appetendum excitantem: vel eſſe appetitum dianoiticum, hoc eſt, cogitandi vim habentem. 6 Eiuſmodi principium & agens homo eſt, *eum ambabus animi facultatibus vtatur. Quod vero ſpectat ad ſubiectam electioni materiam*, ſciendum eſt, nullius rei iam factæ conſilium capi, & electionem fieri poſſe, vt Ilium euertiſſe. nam de futuris tantum, & quæ à nobis fieri poſſunt, deliberamus. Quod autem ſemel factum eſt, infectum vt ſit, fieri non poteſt. itaque recte Agatho

Hoc namque duntaxat negatum etiam Deo eſt,
Quæ facta ſunt, infecta poſſe reddere.

Concludendum igitur, quod ab initio poſitum fuerat, ambarum animi partium, *dianoiticæ ſcilicet circa contingentia occupatæ, atque ad agendum factæ: tum eius, quæ in contemplatione poſita eſt, & ad ea, quæ aliter eſſe non poſſunt, ſe conuertit*, opus eſſe veritatem: ac earundem virtutes eſſe habitus illos, quibus maximè fit, vt vtraque verum enunciet: *qui quot, qualesue ſint, nobis ad præſens inueſtigandum.*

SCHOLIA.

1 *Senſus, mens, appetitus.*] *his enim tribus animalia mouentur, vt Ariſt. docet 3. de anima tex. 48. & 56.*

2 *Nullius vero actionis principium eſt.*] *ſenſus non eſt proximum actionis principium: ſed remote illam iuuat. qui enim non ſentit, agere nec poteſt.*

3 *Quod autem in diania, ſeu cogitatione &c.*] *Magna hic vocum ab Ariſtotele inducta confuſio. nam cum ab initio tria propoſuiſſet, ſenſum, mentem, & appetitum: ac reiecto ſenſu de ceteris agendum ſibi propoſuiſſet: hanc tractationem vix exorſus, mentem miſſam facit, & eius loco* διάνοιαν *ſubſtituit: quam duplicem quoque facit: alteram, quæ nudam ſpectat veritatem, neque agit quicquam, neque mouet: alteram, quæ etſi veritatem venatur, progreditur nihilominus ad actiones: eſtq; in homine agendi principium. Quin mentem & dianiam aperte pro eodem accipit, vbi ait infra,* Neque ſine mente & diania, neque ſine habitu morali electio eſſe poteſt. *porro hic mentem ſumit pro diania propriè ſumpta, quæ ſcilicet ratiocinatur ad agendum. nam mente purè ſpeculante ad electionem non eſt opus. Quo etiam loco quæri poteſt. An Diania*

nia ſit eadem cum intellectu practico: an potius vtrumque complectatur, practicum ſcilicet, & ſpeculatiuum: totamque mentis æquet latitudinem: an tertio diſtinguatur ab vtroque. Huic dubitioni breuiter ſatisfacio. Dianiia proprie ſumpta facultas eſt animi, quæ circa ſingularia occupatur, in quibus componit, diuidit, negat, aſſerit, enunciat, ratiocinatur, concludit, diſtinguitur ergo ab intellectu ſpeculatiuo. Practicus vero intellectus duplex eſt: alter in vniuerſalibus perſtat: alter ad ſingularia deſcendit. prior ille diuerſus eſt à diania proprie ſumpta: poſterior vero ab ea non differt: cuiuſmodi practicum intellectum Ariſtoteles ponit lib. 3. de an. tex. 49. Sed ſi diania improprie ſumatur, eadem eſt, cum vtroque intellectu tam practico, quam ſpeculatiuo. qua ratione Ariſtoteles hic illam accipit, vbi ait: quandam eſſe dianiam, quæ ſpectat contemplationem: aliam, quæ actionem: & dianiæ omnis finem eſſe veritatem. nam intellectus quoque practicus ad verũ fertur; ſed inde progreditur ad bonũ. Nec mirũ, quod dianiã cum intellectu hic Ariſtoteles confundat, vbi non eſt proprius limatiori tractationi locus. nanque Ariſtoteli ſatis hic eſt, ſi concludat, præter habitus morũ alios eſſe, qui rationis dicuntur, ac nobiliori animi parti inſunt. Hanc animi partem modo mentẽ appellat, modo dianiã: & vtrumq; inuoluit, cum non habeat neceſſe diſtinguere, ac ſeparare. intellectu nanq; ſpeculante moralis philoſophus non vtitur: quod in omnibus ſpectet actionẽ. Quare ſupra lib. 1. cap. vlt. virtutes diuiſit in eas, quæ morum ſunt, & quæ dianiæ. in virtutibus vero dianiæ ſapientiam & ſcientiam numerat, quæ alioqui ſunt ſolius mentis ſpeculatricis. porro dianiam latiſſime ſumpſit, & ad mentem ipſam extendit.

4 *Et alicuius rei ſingularis gratia.*] addidi ſingularis*: nec præter Ariſtotelis mentem; vt hinc colligi poteſt. maxime vero ex 3. de an. tex. 58. vbi ait, vniuerſalem rationem non mouere ſine particulari. & profecto, donec in vniuerſali perſtamus, non elicitur actio.*

5 *Concludendum igitur electionem.*] *In electione appetitus & dianiia coeunt: idcirco electio, vel mens appetitiua, vel appetitus dianoiticus, ad cogitandum idoneus dici poteſt: ſed proprie magis appetitus dianoiticus. nam electio fertur in bonum, vel malum, quæ appetitui, non rationi ſubijciuntur. quare potiorem in eius definitione partem appetitus obtinet: vt notat D. Thomas.*

6 *Eiuſmodi principium & agens homo eſt.*] *hic ſolus proprie eligit, quia ſolus deliberat: ſolus deliberat, quia ſolus ratiocinatur: ſolus ratiocinatur, quia ſolus vnum ex alio deducit. Deus omnia ſimul intelligit: ſeparatæ mentes multa vnico intuitu percipiunt: nec ratiocinantur. Belluæ omni ratiocinatione carent: cetera cognitione. Solus igitur homo eligit. eligere enim eſt ex multis propoſitis, & in deliberationem adductis hoc potius, quã illud ſumere, quod indicat græca vox* προαίρεσις.

hoc

hoc vero imperfectam intelligendi vim arguit, quæ à Deo,& intelligentijs longe abeſt. Deus ergo,& intelligentia volunt potius,quam eligunt. Et quemadmodum unico intuitu principia & concluſionem comprehendunt: ſic unico actu finem,& ea quæ ad finem ſunt,complectuntur.

De Scientia. Cap. III.

PRincipio igitur altius repetito de habitibus, quibus vel agendo,[4] vel negando verum enunciatur,diſſeramus. [1] Ac ij ſint ſane quinque numero: [2] ars, ſcientia, prudentia, ſapientia, mens ſiue intelligentia. exiſtimationi autem,& opinioni non eſt inter hos habitus locus: nam animum, cum exiſtimat, & opinatur, mentiri ſæpe contingit. De ſingulis igitur agendum; ac primum de ſcientia. Hæc quid ſit,facile perſpici poteſt,ſi rei veritatem ſubtiliter exquirere, non ſimilitudines conſectari, volumus. *neque enim, quod ars ſit ſcientiæ ſimilis, unius notio cum alterius notione confundenda eſt.* Omnes autem id,quod ſcimus,aliter ſe habere non poſſe exiſtimamus. quæ autem ſe aliter habere poſſunt, cum longe à conſpectu, atque ſenſibus remota ſunt,ſint nec ne, obſcurum eſt: *ſed tandiu certitudinem de ijs habebmus, quandiu ſunt ſubiecta ſenſibus, ut aquam eſſe calidam.* Quod igitur ſcientia comprehendi poteſt, neceſſario eſt: quod neceſſario eſt, æternum eſt: neceſſario dico ſimpliciter, *non ex euentu: nam dum Socrates loquitur, poſito quod loquatur, non poteſt non loqui. hæc autem non ſunt æterna:* ſed quæ ſunt æterna, nec ortum, nec interitum agnoſcunt: carentque principio, atque fine: [3] *quæ igitur ſciuntur, æterna ſunt, & principio carent, atque fine.* Præterea illud animaduertendum ad ſcientiæ definitionem inueſtigandam: omnem ſcientiam ſub doctrinam cadere: & quicquid ſub doctrinam cadit,diſcendo percipi poſſe. Doctrina vero gignitur ex quibuſdam rebus ante cognitis: vt in Analyticis dicebamus. alia enim per inductionem,alia per ratiocinationem,ſiue ſyllogiſmum comparantur. inductio à ſingularibus firmat vniuerſalia: ſyllogiſmus vero à principiis vniuerſalibus per inductionem habitis progreditur. Quare ſunt principia aliqua, ex quibus ſyllogiſmus conſtituitur, quæ per ſyllogiſmum non habentur. abiremus enim in infinitum, ſi principia ſyllogiſmi alio quodam ſyllogiſmo eſſent ſemper demonſtranda. Habentur ergo per inductionem: *idq; ſatis eſt ad ſcientiam.* Scientia igitur erit habitus ad rem demonſtrandam certoq; concludendam idoneus: & cetera omnia, quæ in analyticis ad definitionem addidimus: *ſcilicet,per cauſſas progrediens,noſque certos reddens,rem ſe aliter habere non poſſe.*nam cum rem ita eſſe quodãmodo cre-

do credit aliquis,& principia illius cognita perſpectaq; habet, *& ita cenſet, quia tenet principia*, tum ſcire dicitur. Quod ſi principia illi non fuerint concluſione notiora, *ſed uel per aliena principia, uel alia quædam animum ſuum mouentia, quis magis claram & certam habuerit concluſionem*, hic ſcientiam ex euentu nactus fuerit, non veram,& germanam. *ut hominem poſſe ridere, magis eſt notum, quam poſſe admirari. patet enim ſenſui riſus: admiratio eſt occultior. at nihilominus, qui à ſenſu ducitur, ſcientiam uere non habet. nam admirari eſt ridendi cauſſa, & principium: qui ergo ſcientiam ſibi parere uult, quod homo ridere poſſit, eam ab hoc principio, quod poſſit admirari, petere debet*. ac de ſcientia quidem cum hac diſtinctione à nobis dictum ſit.

SCHOLIA.

1 *AC ÿ ſint ſane quinque numero.*] *Cur inter hoſce mentis habitus fides non enumeretur, iure quæri poteſt. Sed in promptu cauſſa eſt. nam fides humana non facit certitudinem, vt nec opinio. Qui enim alteri fidem habet, ex duplici capite poteſt decipi: vel quia ignorat, quod pro certo affirmat: vel quia, cum rem recte teneat, nihilominus vult ex improbitate mentiri. quæ duo cum aliena ſint à Deo, ſequitur fidem, quæ illi habetur, non poſſe, non eſſe certiſſimam. Ceterum nec fides iſta inter hos habitus naturales erat collocanda: tum quod ſupra naturæ vires eſt, ac philoſophiæ finibus non clauditur: tum quia obſcura. Quod adhuc præter dicta, in cauſſa eſt, ne fidei humanæ vllus hic aſſignetur locus. hic enim habitus ponuntur, qui claram rerum notitiam gignunt. aliquid vero ita eſſe arbitrari, quia alius quiſpiam affirmat, nullam habet certitudinem, quæ menti ſatisfaciat. porrò Pythagoricum illud*, Ipſe dixit, *diſcipulos rerum omnium reddebat imperitos.*

2 *Ars.*] *hæc quandoque fallitur, & falſum enunciat, quod & prudentiæ contingit, ac ſæpe fine ſuo fruſtratur. cur ergo, vnde opinio eÿcitur, inde ars, & prudentia non exturbatur? Sed longe diuerſa ratio eſt opinionis, & artis, atque prudentiæ. opinio enim & ſuſpicio ex ſe, & natura ſua falſum quandoque affirmant: ſunt enim dubÿ quidam aſſenſus, atque formidine admixti: nec vnquam dubitatione vacui. at ars & prudentia ex ſe verum dicunt: ſed ob rerum, in quibus verſantur, varietatem, & inconſtantiam, interdum errant. quare opinantem decipi eſt opinionis vitium: prudentem, & artis peritum errare, culpa eſt rerum, in quibus occupantur. Nam Ars à Menedemo definitur*, quæ cognitis, penitusq; perſpectis, & in vnum exitum ſpectantibus, & nunquam fallentibus rebus continetur. *vt Cicero ſcribit primo de Orat. Idem de claris oratoribus.* Ars dat rationes certas, & præcepta faciendi aliquid, quæ habent ordinem, & quaſdam errare in faciendo non patientes vias.

3 *Quæ igitur ſciuntur, æterna ſunt.*] *Hominis igitur non eſt ſcientia: nec eorum, quæ materia conſtant. quod ſi detur, omnis ruit philoſophia: Alexander primo natur. quæſt. cap. 3. ait, definitionem, & ſcientiã eſſe de natura humana, quæ per ſucceſſionem in ſingularibus perpetuitatem nanciſcitur: Mihi vero generationem facere perpetuam, non eſt opus. hoc igitur reiecto, cetera, quæ ab Alexandro dicuntur, valde placent. ſcientia enim, &, quæ ſciendi eſt inſtrumentum, definitio, ſingularibus omiſſis, vniuerſalia phyſica, ſiue rerum naturas per ſe abſolute ſumptas, complectuntur. hæ autem æternas habent cauſſas, ac eadem perpetuo de illis enunciari poſſunt. vt hanc eſſe naturam hominis: illam leonis. De contingentibus quoque in vniuerſum ſcientia eſt: puta pluuias contingere: ventos vt plurimum, non ſemper, hoc vel illo tempore, his vel illis regionibus oriri, & interire.*

De Arte. Cap. IIII.

Dictum de ijs, quæ, quod aliter euenire non poſſunt, ſub ſcientiam cadunt.* Iam de ijs, quæ ſe aliter habere poſſunt, diſſeramus:* Horum autem, duo ſunt genera. nam [1] aliud ſub effectionẽ venit, aliud ſub actionem. Differt autem ab actione effectio, vt in exotericis ſermonibus ſcripſimus, è quibus horum diſtinctio petenda eſt; *qui cum non extent, aliunde, quod ab eis deſiderabatur, ſupplendum. Actio igitur eſt operatio libertatis humanæ, ad hominum mores pertinens, ac ſine motu ad finem tendens. Effectio vero eſt operatio ab intellectu [2] per phantaſiam, & vim mouendi, in externam prodiens materiam.* Quare cum actio, & effectio, vt poſitum eſt, differant inter ſe: habitus quoque cum ratione coniunctus, ad agendum idoneus eodem prorſus modo ab eo differet, qui rationi quidem coniunctus eſt, ſed ad efficiendum valet, non ad agendum: neuterque ab altero continebitur. nam neque actio effectio eſt: neque effectio eſt actio: *eorum, quæ efficiuntur ars eſt: eorum, quæ aguntur, prudentia.* Ars igitur eſt habitus ad efficiendum idoneus, cum ratione vera coniunctus. *eſt* habitus, *quia aſſuetudine comparatur.* ad efficiendum idoneus, *quia per motum, impellente phantaſia in externam materiam tranſit.* cum ratione coniunctus. *ex ſe enim, & natura ſua falſum non enunciat. Arti vero eiuſmodi definitionem conuenire, inductione probatur.* Nam ædificandi facultas ars quædam eſt: eadem eſt habitus quidam cum ratione coniunctus, ad efficiendum idoneus: neque ars vlla eſt, quæ non ſit habitus cũ ratione coniunctus, ad faciendũ idoneus: neq; vllus talis habitus eſt, qui adhuc non ſit ars: ſequitur ergo, vt ars, & habitus cũ ratione cõiunctus ad efficiendũ idoneus, ſint omnino idem.

1 Ars

3 Ars autem omnis occupata eſt in generatione; atque molitione rei alicuius: idq; molitur & ſpectat, vt aliquid fiat eorum, quæ eſſe, ac non eſſe poſſunt: 4 quorumque principium in eo, quod fit, poſitum eſt. Nam neque eorum, quæ neceſſario vel ſunt, vel fiunt, ars eſt: neque eorum, quæ natura conſtant. Hæc enim in ſeipſis habent incluſum mouendi, efficiendiq; principium. Quoniam autem effectio, & actio inter ſe differunt, neceſſe eſt artem effectionis eſſe, nō actionis: *actio enim ad prudentiam ſpectat, & à prudentia dirigitur.* Verſantur autem ars & fortuna in ijſdem rebus quodammodo: quemadmodum ait Agatho.

5 Fortuna vt artem, ſic & ars fortunam amat.

vtraque enim in contingentibus occupatur, quæ ad agentem per intellectum attinent. ſed ars cum ratione coniuncta eſt: fortuna ſine ratione. Ab artis definitione, quid illi oppoſita inertia ſit, facile diſpicitur. eſt enim habitus cum ratione falſa coniunctus, ad efficiendum idoneus, in eo, quod aliter euenire poteſt, occupatus: *Græce* ἀτεχνία. Ad efficiendum idoneus, *ſed perperam efficiendum. eſt enim cum ratione falſa coniunctus.*

SCHOLIA.

1 *ALiud ſub effectionem venit, aliud ſub actionem*] *Græce clarius,* ποίησιν, & πρᾶξιν.

2 *Per phantaſiam.*] *effectio enim ſingularium eſt, & corporalium. quare præter intellectum, ad efficiendum illa quoque opus eſt.*

3 *Ars autem omnis occupata eſt in generatione.*] *Artifices ij ſunt proprie, qui res à ſe in aliam formam elaboratas vendunt. diſt. 88. cap. Eijciens. ſemper enim aliquid de nouo ars fabricatur, vt notat Alciatus l. mercis. ff. de verb. ſignif.*

4 *Quorumque principium.*] *inter artem, & naturam hæc ab Ariſtotele ponitur differentia; Principium effectionis eſt in eo, qui efficit: non in eo, quod efficitur. nam materia, quam ars tractat, non appetit formam ab eadem inductam: alias artifex neceſſario operaretur, quia forma in materiam eſſet neceſſario inducenda, ſi eſſet vllus materiæ appetitus ad talem formam; vt Auerroes docet ſeptimo metaph. commentario vigeſimo nono. Quæ igitur ab arte fiunt, ſui pcincipium in artifice, non in ſe ipſis habent: nam principium domus non eſt in ipſa domo, ſed in ædificatore. At, quæ natura conſtant, habent in ſe ipſis incluſum agendi, mouendique principium. Natura enim eſt principium motus, & quietis in eo, in quo eſt: vt habetur lib. 2. phyſ. Hoc autem inde naſcitur, quod materia prima, quæ naturæ ſubijcitur, neceſſario & naturaliter appetit formam naturalem. quare principium actionis naturalis eſt ne dum in agente, verum etiam in eo, quod patitur, & tranſmutatur. Hinc ſecundo fit, vt agens naturale agat in pro-*

fundum: artificiale vero ſolum in ſuperficiem. tertio, materia artis eſt hoc aliquid per ſe: nam ars non tractat ens, quod non ſit completum: vt ligna, lapides, ferrum. at materia naturalis actionis eſt hoc aliquid per formam; vt habetur 2. de anim. tex. 7. Quarto, in ijs, quæ ſunt artis opera, mouendi principium eſt materia. illa enim eſt ens completum: in naturalibus autem mouendi principium eſt forma: nam materia prima, quæ actioni naturali ſubijcitur, non mouet. Demum, forma, quam artifex inducit, non eſt re diſtincta à materia. neque enim forma ſcamni à ligno re diſtinguitur: at forma naturalis re diſtinguitur à materia prima. Hinc perſpicuum fit, in operando imperfectiſſimam eſſe artem: perfectiorem eſſe naturam: omnium vero perfectiſſimum & abſolutiſſimum eſſe Deum. nam agens eo eſt imperfectius, quo pluribus eget ad operandum 8. phyſ. tex. 62. ars eget ente completo, ac per ſe in rerum natura ſubſiſtente: eo ſublato, nulla eſt artis operatio. natura, & quod per naturam agit, opus habent materia prima, in quam formã inducant. nam ex nihilo naturæ vi nihil fit. Deus autem nulla eget materia. creat enim omnia ex nihilo. Perfectiſſimum itaque agens Deus eſt: longiſſime ab eo ars recedit: minus longe natura.

5 Fortuna vt artem, ſic & ars fortunam amat.] *ideo interdum ſe fortuna arti immiſcet; in iiſdẽ enim quodammodo verſantur. quare coëunt aliquando, atque conſpirant: quod Apelli olim vſui venit, vt Dion refert in orat. 1. de fortuna. Is enim equi bello fatigati ſpumas cum conaretur penicillo imitari, nec poſt multum laborem opus ſuccederet: ſpongiam, in qua varij erant colores, circa frænum indignabundus impegit. ab alliſione illa ſpumæ admirabili opere, ac varietate, ſine arte, extitere. fortuna igitur artem interdum iuuat.*

De Prudentia. Cap. V.

DE prudentia vero, quid ſit, optime ſtatuemus, ſi quoſnam prudentes appellemus, perceperimus. *qui enim habitibus ſunt præditi, manifeſtiores nobis, quam ipſi habitus, ſunt. quapropter ab iſtis, eorumque functionibus habituum natura inueſtiganda eſt.* Ac prudentis quidem munus videtur eſſe, vniuerſe in ijs, quæ ad bene, beateque viuendum conducunt, conſultare poſſe: non ſingillatim in ijs, quæ ſibi bona, & ex vſu ſunt. Verbi gratia, quæ nam ad bonam valetudinẽ, & vires conferant. Cuius rei argumentum eſt, quod eos, qui bene in re aliqua particulari ratiocinando, quomodo ad honeſtum aliquem finem perueniant, propoſitum in ijs, quæ arte non continentur, aſſequuntur: prudentes in re aliqua, *non ſimpliciter prudentes*, appellamus; eos igitur, qui vniuerſe ad felicitatẽ cunctas actiones dirigunt,

ac ad bene in omnibus ratiocinādum ingenio valent, ſimpliciter prudentes iure optimo appellabimus. Conſultat autem nemo de rebus, quæ aliter ſeſe habere non poſſunt, nec ſunt in eius poteſtate: quare prudentia nec ars erit, nec ſcientia. Non erit ars, quia aliud eſt actionis, aliud effectionis genus. *actio vero prudentiæ eſt: effectio artis*. ſunt igitur diuerſæ. Non erit ſcientia, quia, quod ſub actionem venit, *cuiuſmodi ſunt, quæ prudentiæ ſubijciuntur*, ſeſe aliter habere poteſt. at ſcientia omnis cum demonſtratione coniuncta eſt: demonſtratio vero non eſt eorum, quorum principia ſe aliter habere poſſunt. (nam omnia, quæ ex principiis eiuſmodi infirmis, & mutationem ſuſcipientibus proficiſcuntur, poſſunt etiam mutationem ſuſcipere, atque aliter, & aliter ſeſe habere. *quare cum demonſtrationis munus ſit, certo concludere, ac polliceri ea, quæ per ipſam demonſtrantur, & concluduntur, ſeſe aliter habere non poſſe: non poterit ex fallentibus, & mutationem ſubeuntibus principijs conſtari. principia enim debent eſſe concluſione firmiora, certioraque) Scientia igitur non eſt de ijs, quæ ſe aliter habere poſſunt*. quare prudentia non eſt ſcientia. ſuadetur id ipſum ex eo, quod de ijs, quæ neceſſario ſunt, non eſt conſultatio: at prudentia conſultat: non eſt igitur ſcientia: quandoquidem ſcientia eſt de ijs, quæ neceſſario ſunt. Reſtat igitur vt prudētia ſit habitus, cum ratione vera coniunctus, ad agendum idoneus, in ijs occupatus, quæ homini bona, & mala ſunt. *Ex illis verbis*, ad agendum idoneus, *magis perſpicuum fit, prudentiam ab arte longe diſtare.* nam effectionis alius, quam effectio, finis eſt: *neque enim ædificationis finis eſt ipſe ædificandi actus, ſed ædificium*. at actionis non eſt alius finis ab actione diſtinctus: ſed ipſamet actio, ſeu res bene geſta. *quare cum ars in efficiendo verſetur, prudentia in agendo: ſequitur prudentiam non eſſe artem. Illa quoque verba*, in ijs occupatus, quæ homini bona, & mala ſunt, *prudentiæ conuenire, confirmatur ex eo*, quod Periclem ceteroſq; illi ſimiles viros, *vt Ariſtidem, & Themiſtoclem*, prudentes ob eam cauſſam arbitramur, quoniam ea, quæ hominum generi, ac ſibi bona ſunt, diſpicere, ac prouidere poſſunt: quales eſſe putamus eos, qui rei familiaris tuendæ, ac Reipub. adminiſtrandæ periti ſunt. *his enim prudentia maxime opus eſt*. Demum prudentiam eſſe habitum ad agendum idoneum, & in ijs, quæ homini bona, vel mala ſunt, occupatum, ex eo ſuadetur, quod temperantia σωφροσύνη dicitur apud Græcos: quaſi prudentiæ cōſeruatrix. *φρόνησις enim prudentia eſt. temperantia igitur* per doloris, voluptatiſq; moderationem, *prudentiam tuetur, & conſeruat*. Sed manifeſtum eſt temperantiam non eſſe conſeruatricem iudicij, quod circa verum & falſum fit in rebus contemplationi ſubiectis; nam dolor & voluptas, *etſi animum eneruant, exedunt, & ad munera obeunda lentum reddunt, ni-*

hilomi-

bilominus non corrumpunt eiuſmodi exiſtimationem, triangulum duobus rectis pares angulos habere, aut non habere: ſed eas duntaxat exiſtimationes directò deprauant, quæ ad res agendas pertinent, *quibuſue bonum & malum conſectamur: non verum & falſum: igitur prudentia ad agendum valet, non ad contemplandum: nec etiam ad efficiendum. nam ædificator ab intemperantia, ſeu dolore, & voluptate non fit ædificandi imperitior. Quare nihil probibet intemperantes tum eorum, quæ ad artem ſpectant, tum eorum, quæ ad contemplationem, eſſe peritiſſimos: ac ſummos artifices, viroſq; ſcientiſſimos profligatiſſime viuere. Hos vero, qui prauiter viuunt, prudentes eſſe, vnum ex ijs eſt, quæ fieri non poſſunt. habent enim exiſtimationem, quæ ad agendum valet, corruptam; nec vnquam aſſentientur huic principio, homines repugnando cupiditati, fieri temperantes.* Dolor autem, & voluptas corrumpunt iudicium in rebus agendis, quia finis in agendo principium eſt: voluptas vero, atque dolor facultatem eripiunt videndi finis: neque animum cernere verum ſinunt, vel finem appetitionum ſuarum intueri. Quare ſublato proſpectu finis, non poteſt cernere ſe honeſti huius, vel illius cauſſa omnia optare, atque agere debere: *ac omnino deſes iacet, erratue, vt nauta, cui per tenebras pharus non lucet:* tanta vis eſt vitij ad finis, qui principatum in agendo obtinet, cognitionem delendam, atque perimendam. *quod mire Homerus expreſſit, vbi de Ceſto Veneris balteo ait, Illic eſt amor, & cupido, & deceptio, quæ furantur mentem prudenter cogitantium. Prudentia igitur neque ſcientia eſt, neque ars.* Ceterum eam non eſſe artem, alijs quoque rationibus confirmatur. Nam ars dirigitur aliqua virtute morali: *Verbi gratia, ædificator iuſtitia inducitur ad bene, ac ſine fraude ædificandum:* at prudentia nulla virtute morali ad agendum eget, cum ipſa per ſe moueatur à bono fine, ac ſemper, quæ meliora ſunt, eligat. Deinde, qui volens in arte peccat, melior, & peritior eſt artifex, quam qui inuitus peccat: *ab artifice enim id primum requiritur, vt ex arte faciat: ac nemo illum conducturus, inquirit, an ſit temperãs: ſed an ſit peritus.* Quò ad prudentiam vero, qui ſponte ſua offendit, deterior eſt, vt in ceteris quoque virtutibus. *Malitia enim virtutem deſtruit: quare qui ſponte ſua peccat, nec prudens, nec bonus dici poteſt: quod ſi eum nolentem labi contingat, excuſatur magis, quam qui data opera.* Prudentia igitur virtus quædam eſt, non ars. Sed cum duæ ſint animi partes rationis participes, altera, quæ ad contemplandum valet, altera, quæ ad opinandum: prudentia eius eſt partis, quæ opinionum ſedes eſt: (doxaſticam Græci dicũt) nam in ijs, quæ aliter ſe habere poſſunt, tum prudentia, tum opinio verſatur. Non eſt autem prudentia habitus cum ratione coniunctus tantum: idq; ex eo perſpici poteſt, quod habitum cum ratione coniunctum, *ſi nulla re alia*

nita-

nitatur, obliuio delere poteſt: *vt ſcientiam*.. * prudentia vero non deletur obliuione: *præter rationem igitur, & habitum, naturale aliquod & firmum ea includit. eiuſmodi eſt appetitus honeſti, & acumen ingenij, atque mentis perſpicacia.*

SCHOLION.

* *PRudentia vero non deletur obliuione.] Cuius rei multæ poſſunt adduci cauſſæ. primam & præcipuam eam eſſe arbitramur, quam in contextu tetigimus. multum enim ad prudenter agendum ſolers natura, ingenium perſpicax, rectuſque appetitus habent momenti. in hac autem obliuio non cadit; nam obliuio reſpicit cognitionem, & eorum obliuiſci poſſumus, quæ per notitiam in mente, vel æſtimandi facultate habemus. quare artium & ſcientiarum integre poſſumus obliuiſci. Altera ratio adduci poteſt, ſed quæ minus firma eſt: quia prudentiæ vſus eſt frequens, & continuus, cum in agendo aſſidui admodum ſimus: qua ratione Ariſt. ſupra lib. 1. dixit, virtutes morales eſſe ſcientijs firmiores. Ceterum, quia prudentia lectione rerum ab alijs geſtarum, & ſapientum quoque præceptis comparatur: hac parte obliuioni ſubijcitur, vt ars & ſcientia. ſed prudentia plus naturæ debet, & habitibus morum, quam ſtudio: ac proinde ab obliuionis detrimento cenſetur immunis. Quo loco notandum eſt, prudentiæ principium eſſe, medium, atque finem. Quo ad principium, ea maxime pendet à natura. requirit enim ingenij ſolertiam, & perſpicaciam, idoneamq́; temperaturam: nam ſanguis feruidus officit prudentibus conſilijs. Quo ad medium ab vſu, exercitatione, labore pendet, atque præceptis ſapientum. per multa enim experimenta, magnamq́ue rerum ab alijs geſtarum lectionem quis prudens efficitur. Quo ad finem demum pendet à virtutum caterua, quæ finem proponunt, & ad bonum inclinant. prudentiæ enim eſt media inueſtigare, non finem. Ex his, quæ dicta ſunt, facile eſt cauſſam inuenire, cur ſenes iuuenibus prudentia præſtent. ſunt enim frigidæ, atque ſiccæ temperaturæ, moderato calore admixto: qualis apum eſt, & formicarum, quas prudentum elogio Poetæ ornant. pollent quoque longo vſu, atque multiplici rerum ab alijs geſtarum lectione. vacauit enim, licuitq́; per longam ætatem pectus complere nobilibus præceptis. quæ rationes multo ſunt aſtronomica illa firmiores: id eſſe, quia ſenibus Saturnus præeſt, qui firmitatem, conſtantiam, mentiſque acumen largitur: atque hos nihilominus progreſſu ætatis ad lunam, circulo facto, redire, & repueraſcere: cum luna pueris, & infantibus dominetur, ſitq́ue mutationis effectrix, & inconſtantiæ parens. Sed non video, vti cæcus, & neceſſario agens planeta, dum influit, ſenes à pueris diſcernere poſſit.*

De men-

De mente, ſeu habitu primorum principiorum. *Cap.* *VI.*

PRimorum principiorum habitus, à ſcientia, ceteriſque diſtinctus, neceſſario conſtituendus videtur. Nam ſcientia exiſtimatio eſt de rebus vniuerſis, ac ijs, quæ neceſſario ſunt; *(ſingularia enim atque contingentia, cum tandiu certa ſint, quandiu ſenſibus ſubiacent, non ſunt idonea ſcientiæ materia)* tum etiam rerum, quæ ſub demonſtrationem cadunt, omniſq; adeo ſcientiæ ſunt aliqua principia, cum ratione enim coniuncta ſcientia eſt: *ratio autem ab vno aliud infert.* Scientia igitur à principiis progreditur, quæ neque per ſcientiam, neque per artem, neque per prudentiam haberi poſſunt. Nam quod ſcientia comprehendi poteſt, demonſtrari poteſt. at principia eiuſmodi non demonſtrantur, *nec abire licet in infinitum; quod maxime fieret, ſi principiorum, per quæ ſcientia gignitur, ſcientia quæreretur. principiorum enim eſſent inuenienda principia, & horum alia. Itaque habitus primorum principiorum non eſt ſcientia; cum hæc non niſi per principia comparetur.* Neque eſt ars, vel prudentia. hæ nanque verſantur in ijs rebus, quæ ſe aliter habere poſſunt: *at principia, quæ ſcientiam pariunt, firma & æterna ſunt, & quidem magis, quam quæ ab illis deducuntur.* Nec demum eſt ſapientia. ſapientis enim eſt, nonnullarũ rerũ demonſtrationẽ expedire poſſe, *vt infra oſtendemus; at principia non demonſtrantur, nec demonſtrari poſſunt.* Cũ igitur in rebus, quæ ſe aliter habere poſſunt, vel nõ poſſunt, alij habitus, quibus verum enunciemus, ac nunquam mentiamur, non ſint, præter ſcientiam, prudentiam, *artem,* ſapientiam, & mentem, ſeu intelligentiam: & cum prima principia, quibus demonſtratio, certum ſciendi inſtrumentum, conſtat, neque per ſcientiam, neque per prudentiam, *neque per artem,* neque per ſapientiam habeantur: *à ſufficienti partium enumeratione* relinquitur, vt peculiaris quidam habitus principiorum ſtatuatur, qui mens appelletur. *Nec temere facultatis naturalis, cui inhæret, habitus iſte appellationem accepit. mens enim ex perceptione, atque notitia terminorum, vt Dialectici loquuntur, aſſentitur principijs. Verbi gratia, totum eſſe parte maius, admittit, ſtatim ac totum, atque pars quid ſignificent, intelligit, atque habitum ſibi conficit. quare cum habitus principiorum adeo ſit menti propinquus, ac tantum non connaturalis: merito mens dicitur. Quo loco poſſet obijci, habitus poni, vbi difficultas eſt aliqua: principijs vero per ſe notis quemque ſine difficultate aſſentiri: ac proinde non magis primorum principiorum eſſe habitum, quam oculi, dum inſpicit colores: neque enim ex eo, quod oculus*

lus videndi actum ſæpe exerceat, habitum illum acquirit, cum ſine difficultate videre poſſit. Ceterum hæc obiectio concludit, habitum primorum principiorum adeo eſſe menti proximum, & affinem, vt parum ab ea diſtet: quod vltro fatemur. eſt nihilominus tenuiſſima quædam in terminorum apprehenſione, ac forte in iudicio faciendo, difficultas; quæ, quod leuiſſima ſit, quaſi nulla cenſetur. hæc autem à ratiocinatione exiſtit. Neque enim is, cui primum hoc axioma proponitur, totum eſt maius ſua parte, ſine ratiocinatione, atque inductione illi aſſentitur: at oculo nihil obijcitur, quo à videndo vel minimum retardetur.

De Sapientia. Cap. VII.

Sapientiæ nomine ad artis excellentiam denominandam interdũ vtimur. quare peritiſsimos quoſque artifices ſapientes appellamus: vt Phidiam ſapientem lapidum ſculptorem: Polycletum ſapientem ſtatuarum ex ære fictorem: nihil hic aliud per ſapientiam, quam artis virtutem, & præſtantiam ſignificantes. *hæc igitur impropria quædam eſt appellatio ſapientiæ*, quam [1] Homerus vſurpat in Margite, cum ait,

Is nec foſſor erat, nec erat robuſtus arator:
Aut alia re aliqua ſapiens: ſic numina Diuum
Conceſſere. *Propria vero ſapientiæ appellatio ea eſt*, qua nonnullos vniuerſe, *ac ſimpliciter* ſapientes dicimus, & arbitramur: non ſingillatim in hac, vel in illa, vel alia re quapiam ſapientes. Quapropter perſpicuum eſt, ſcientiarum omnium limatiſſimam, & abſolutiſſimam eſſe ſapientiam. *eſt enim quaſi flos illarum; quandoquidem quicquid eſt in arte præſtantiſſimum, ſapientiæ nomine ornatur.* Sapientem igitur oportet, non ſolum ea intelligere, quæ ex principiis colliguntur: verum in principiis verſari, ac de ijs vere loqui, vereq; ſentire. itaque dicere licebit, ſapientiã tum mentem eſſe, tum ſcientiam: ac ſcientiam quidem rerum honoratiſſimarum, quaſi capitis inſtar obtinentem. Abſurde enim ille ſentiat, qui ſcientiam ciuilem, aut prudentiam omnium optimam eſſe putet: niſi forte omnium, quæ in mundo ſunt, homo ſit optimus, & præſtantiſſimus. *Neque enim maior ciuili facultati, & prudentiæ dignitas accedere poteſt, quam quæ ab homine, ac eius functionibus exiſtit, in quibus eæ verſantur. at ſapientia occupatur circa res honore maxime dignas: circa diuina ſcilicet, primasq; rerum cauſſas: quapropter ratione ſubiectæ materiæ erit prudentia, & ciuili facultate nobilior.* His accedit, quod ciuilis facultas, & prudentia in ijs vertuntur, quæ diuerſam proportionem ad alterum habent, & analogiam continent, vt bonum, vtile, ſalubre

at hæc analoga ſunt. aliud enim eſt homini, aliud piſcibus bonum, & ſalubre: *his videlicet in aqua degere: illis in aere ſpiritum ducere.* Sapientia vero circa ea, quæ eodem modo ſe habent ad omnia, nec analogiam continent, verſatur; vt circa album, & rectum, *quæ omnibus eadem ſemper ſunt.* Vna ergo & ſimpliciſſima ſapientia eſt: prudentia vero multiplex. Ac omnes idem ſemper eſſe, ac eodem modo ſe habere dicent id, quod ſit ſapientia præditum: *(ſimplex enim eſt, & vniforme)* at prudens aliud eſſe dicent, & diuerſum. quod enim circa ſemetipſum ſingula bene perſpicit, hoc prudens eſſe dixerint, & huic res ſuas committerent. *Cum igitur vtile aliud alij ſit, ſequitur prudentiam debere eſſe multiplicem, non ſimplicem, qualis eſt ſapientia. hæc igitur, quam prudentia, melior.* Itaque prudentia beſtiis interdũ tribuitur: ijs videlicet, quæ præſentiendi, quod futurum eſt, vim & poteſtatem habent: *puta, vrſis, formicis, apibus, araneis. at ſapientia beſtijs non tribuitur: tum quia nobiliſſima eſt, & diuiniſſima; tum quia ſimplex cum ſit, rebus adeo diuerſis aptari, & à mentibus ad beſtias traduci non poteſt.* Hinc liquet, ciuilem ſcientiam non eſſe eandem, atque ſapientiam. nam ſi ſapientiam dicent eam eſſe, quæ in ſuis cuique emolumentis comparandis, atque vtilitate captanda, occupatur, multæ reperientur ſapientiæ. non enim vna aliqua res eſt, quæ verſetur in omnium animantium bono: ſed in ſingulis alia, atq; alia: niſi forte omnium, quæ ſunt in rerum natura, vnam velis conſtituere medicinam. Neque vero quicquam ad rem attinet, quod reliquorum animalium homo ſit quiddam optimum: *quaſi prudentia ſit ſapientia, eo quod circa hominis commoda occupetur, qui omnium animalium eſt præſtantiſſimus: (ſapientia enim de rebus nobiliſſimis eſt.) id inquam non euertit, quæ à nobis poſita ſunt* Nam indicare licet alia, ſuapte natura multo, quam hominem, diuiniora: vt ea, quæ ſunt maxime in conſpectu poſita, è quibus conflatus eſt mundus: [2] *puta orbes, & aſtra.* Ex ijs igitur, quæ dicta ſunt, planum fit, ſapientiam eſſe mentem, atque ſcientiam rerum, quę natura ſua ſunt honore digniſſima. *Vnde factum eſt, vt prudentum, atque ſapientum appellationes ſeparatim vſurpentur.* nam [3] Anaxagoram, Thaletem, ceteroſq; tales viros ſapientes quidem eſſe dicunt: prudẽtes vero nequaquam; cum videant eos, quæ ſibi vtilia ſunt, ignorare. fatenturq; illos recondita quædam, eximia, admirabilia, difficilia, diuina tenere, ſed inutilia: quod humana bona, ſeu quæ homini vtilitatem afferunt, non quærũt: *ſed potius diuina: vel quæ nullam mortalibus afferunt vtilitatem.* Prudentia vero in rebus humanis, ac in ijs, de quibus conſultari poteſt, verſatur. Prudentis enim hoc maxime proprium munus eſſe dicimus, bene conſultare. De ijs autem conſultat nemo, quæ ſe aliter habere non poſſunt, *(hæc enim ad ſcientiam, vel ſapientiam pertinent)*

neque

neque de iis,quorum nō eſt finis certus,puta bonum, quod ſub actionem veniat. Bonus autem conſultor, *ac proinde vir prudens* abſolute is eſt,qui quod homini eorum,quæ ſub actionem veniunt, eſt optimum,ratione conſequi,ac explicare poteſt. *Demum aliud quoque inter ſapientiam, & prudentiam diſcrimen ſtatui poteſt.* Sapientia enim ſemper eſt vniuerſalium: at prudentia ne dum rerum vniuerſarum eſt, verum etiam ſingularium. hæc enim ei perſpecta eſſe debent, cum ſit ad agendum nata: in rebus autem ſingularibus omnis actio verſatur. Itaque 4 vſu periti,etſi inſcij *eorum,quæ in vniuerſum methodo aliqua præcipiuntur:* nihilominus tum in agendo, tum in aliis quoque rebus, ſunt ſcientibus aptiores, & compoſitiores: *quod hi,cum vniuerſalia norint,non habeant vſum ſingularium. at actiones ſingularium ſunt,non vniuerſalium.* Verbi gratia, ſi quis norit, carnes leues eſſe ad concoquendum faciles,& ſalubres: at, quæ nam carnes leues ſint, ignoret: bonam valetudinem non efficiet: ſed is potius efficiet, qui auium carnes ſcit eſſe leues, & ſalubres. Prudentia vero in agendo poſita eſt. danda igitur opera,vt vel vtramque cognitionem, vniuerſorum, ſcilicet, & ſingularium habeamus: 5 vel hanc poſteriorem potius, quam illam. *ſingularia enim ſunt actioni propinquiora.* Erit autem hic quoque princeps quædam, & quæ imperium habeat,prudentia *(multiplex enim eſt, & varia reſpicit, vt diximus) de qua paulo poſt agemus.*

S C H O L I A.

1 HOmerus in Margite.] Hos eoſdem verſus ex Margite refert Clemens Alexandrinus 1. Stromatum,vt ſapientum nomine ne dum ſophiſtas,verum & fabros ornatos oſtendat. quin etiam nautam ab Heſiodo refert ſapientem dici: Linum vero Citharœdū, cuiuſuis ſapientiæ peritum. Ceterum poema iſtud Homeri ne ſit, dubitaſſe Clemens videtur. certe Magnus Baſilius in Orat. de legen: Ethnicorum libris Pittaco adſcribit. Ariſtoteles nihilominus indubitanter Homero attribuit: tum Archilocus,Cratinus, & Callimachus in epigrammatis, vt hic Euſtratius teſtatur: Plato quoque in poſteriore Alcibiade, hunc verſum citat ex Homerico Margite:

Multa quidem norat,ſed mendoſe omnia norat;

quibus verbis ænigma contineri vult, quaſi malum illi fuerit,ea noſſe. Fuit autem poema ludicrum,& feſtiuum,quod Ariſtot.lib. de arte poetica ſcribit eandem comparationem habuiſſe cum Comœdia, quam habent Ilias, & Odyſſea cum Tragœdia: quaſi comœdiæ lineamenta ridiculis Homerus in Margite tradiderit: tragœdiæ vero formam rudem in Heroicis adumbrauerit.

2 Puta orbes & aſtra.] hæc nobiliora ſunt homine,ſi vna cum mentibus ſumantur, à quibus mouentur. nam & cæleſtia corpora ſunt hu-

manis corporibus meliora: & mentes, quæ orbibus præſunt, eoſque perpetuo circumagunt, ſunt, quam hominis anima, nobiliores. vſitatum vero Ariſtoteli eſt, cæli nomine mentem quoque illi aſſiſtentem comprehendere, vt quando ait, cælum viuere. 1. de cælo tex. 100. & 2. de cælo tex. 61. & 63. & cælum intelligere, atque velle 12. metaph. tex. 36.

3 *Anaxagoram, Thaletem.*] *hos potiſſimum appellat, quod Anaxagoras ingens patrimonium deſeruerit, vt liberius, attentiusque philoſopharetur: irridentibus non paucis, quod, quæ ad vitam degendam neceſſaria ſunt, diſſiparet, abijceretue: Thales vero non magis prudens ſit habitus. Nam cum deſiderio aſtrorum ortus, & interitus indagandi, noctu domo exiret in agrum: aliquando in foueam cecidit, & crus fregit: atque imprudentis nomine ab anu deriſus eſt, quod, cum eorum, quæ geruntur in cælo, ac nihil ad ſe pertinerent, curioſus eſſet, quæ ante pedes erant, magnumque illi detrimentum afferre poterant, non cerneret.*

4 *Itaque vſu periti.*] *in eandem ſententiam à Plinio vſus efficaciſſimus rerum magiſter appellatur. Cicero de Oratore ait, vſus omnium magiſtrorum præcepta ſuperat: etſi in Orat. pro Archia, forte vt inſeruiat cauſſæ, aſſerat, eruditum virum, & qui præcepta teneat, maiorem habere vim ad res gerendas, quam eum, qui periculo facto multarum rerum, didicerit.*

5 *Vel hanc poſteriorem potius.*] *vſus vero per ſua pericula acquiritur: non per aliena. quare magis inſtandum rebus agendis, quam ijs, quæ ab alijs geſta, & litteris conſignata ſunt, euoluendis. Aphranius vſum fortiorem indicat, quam diſciplinã, cum hanc fœminam facit: illi maris partes attribuit. ait enim.* Vſus me genuit, mater peperit memoria. *quæ ſapientiæ nomine prolata, prudentiæ magis conueniunt. Nam ſapientiæ appellatio ne dum ad prudentiam, verum etiam ad artis præſtantiam, vt diximus, traducitur interdum. Sapientia vero, vt quæ tota in rerum altiſſimarum contemplatione poſita eſt, non eſt vſui, vel experimentis alligata.*

Comparatur prudentia cum ciuili facultate, ac eiuſdem partes enumerantur. Cap. VIII.

CIuilis facultas, & prudentia ſunt idem *genere* habitus: verum natura, eſſentia, ſtatus non ſunt ipſis eadem. *Vtraque enim eſt recta ratio rerum agendarum in his, quæ homini bona, vel mala ſunt. quare genere conueniunt: at forma & ratione ſunt diuerſæ. Nam ciuilis facultas eſt in ratione tantum: quod eſt commune omnibus ſcientijs; prudentia vero habet aliquid in appetitione: quod eſt commune omnibus virtutibus. Deinde ciuilis facultas poteſt ſiſtere in cognitione re-*

ne re-

ne rerum agendarum: at prudentia vlterius deſcendit ad agendum. Poſtremo ciuilis facultas habetur per diſciplinam magis, quam per experimentum: at prudentia magis ab vſu fit, quam à diſciplina. Hæ vbi in vnum coeunt, habitum conficiunt perfectum, & hominem reddunt ad priuata, publicaq; gerenda peridoneum. Atque eius quidem facultatis, quæ ad ciuitatem pertinet, altera pars eſt tanquã princeps, & domina prudentia, quæ leges condit, (*nomothetica Græcis dicta*) altera vero in ſingularibus verſatur, ac retento cõmuni nomine ciuilis dicitur, cuius omnis opera in agendo, & conſultando conſumitur. nam plebiſcitum, quod extremum, ſeu ſigulare eſt, ſub actionẽ venit. *plebiſcita vero, vt & ſenatuſconſulta, ab ijs fiunt, qui conſultant, deliberant, & Rempub. adminiſtrant: non ab ijs, qui ſemoti à rebus agendis, in vniuerſorum rationes, cuiuſmodi leges ſunt, incumbunt.* Quare hos ſolos, qui ad agendum deſcendunt, πολιτεύεσθαι, hoc eſt, rempublicam adminiſtrare dicunt: hi enim ſoli, vt operarij quidam, in rebus gerendis verſantur. *de ceteris, etſi leges condunt, quaſi de hominibus à Reipub. adminiſtratione ſeparatis, nil eiuſmodi loquuntur.* [1] *Hæ duæ ciuilis ſcientiæ partes comparantur illa quidem architecto, qui ædificij formam deſcribit, nihil poſtea manu attingit: hæc vero fabro, qui ad formam ab architecto præſcriptam extruit opus. illa deſcriptas à ſe leges alijs cuſtodiẽdas relinquit, à ſtrepitu ipſa fori aliena: hæc datas leges accipit, &, vt ſanctæ ſint, ac inuiolatæ perſeuerent, curat. in priori genere Solonem Platonem, Demonaxam Cypriam recte collocaueris:* [2] *in poſteriore Periclem, Themiſtoclem, Demoſthenem.* Aliter quoque prudentia diuidi poteſt: vt alia ſibi vni proſpiciat, quæ maxime prudentia videtur eſſe: ideoq; communi nomine prudentia appellatur: alia vero proſpiciat alijs; & huius alia ſit rei familiaris procurãdæ ratio, [3] alia legum ferendarum ſcientia, alia leges exerceat. & huius poſtremæ alia quidẽ pars eſt, quæ ad conſultandum, & deliberãdum pertinet, *inquirendo, ſcilicet, quid exſpediens, quid noxiũ Reipub. ſit:* alia lites in foro dirimit, & iudicia tractat. Genus igitur quoddam *humanæ* cognitionis eſſe videatur ſua ſcire, ac ſibi vtilia noſſe, *eum ſit pars communis prudentiæ:* ſed multũ à ceteris prudentiæ partibus differre. Cenſent enim nonnulli eum, qui ſua, quæque ad ſe pertinent, habet cognita, & in eis occupatur, *nec aliena tractat, ſolùm & vnum* eſſe prudentem: eos vero qui ſe ad Rempub. contulerunt, *vti* multarum actionum ſtudio, atque curà rerum alienarum diſtentos, *minus ſapere: quaſi felicitatem corruperint ſuam.* qui forte error ab Euripide ortus eſt, apud quem Philoctetes ita loquitur.

Prudentem enim quis me putet mortalium,
Cui ſuppetebat abſque vllo negotio
In totius turba numerato exercitus

Sortem parem obtinere ſapientiſſimo?
* Præſtantiores nanque,& eos,qui pluribus
Se rebus implicant, male odit Iuppiter.
An non enim viri prudentes quærunt id,quod ſibi bono eſt,idq; vnum ſe agere oportere arbitrantur? Sed error iſte excluditur facile. ſuum enim negotium agere ſine rei familiaris, ac reipub.cura, forte nemo poſſit. *nam domeſtica, familiariaq; facta, noſtra ſunt propria, tum à communi reipub.ſtatu priuatorum ſalus pendet: illiusq; ruina ſecum penates omnes trahit*. Præterea ſcire, vti priuatæ res vnicuique ſint inſtruendæ, opus eſt difficile, obſcurum, & magna egens conſideratione. Cuius rei hoc argumentum eſt, quod iuuenes geometræ, ac mathematici fiunt, talibusq; diſciplinis imbuuntur: prudentes vero non fiunt. nam in rebus ſingularibus prudentia vertitur,quarum cognitio vſu comparatur. adoleſcens autem vſum rerum non habet, quòd illum ſola temporis *rebus agẽdis traducti* longinquitas ſit allatura. Nam hoc quoque conſideratione dignum videtur,quamobrem puer mathematicus effici poſſit: ſapiens aut phyſicus non poſſit. An quod mathematica ſint à materia diuulſa, ſegregataque: *nec requirant experimentum: ſed tantum quandam rerum abſtractarum exiſtimationem*; eorum vero,quæ ad ſapientiam,& phyſiologiam pertinẽt, principia ex vſu,& experientia naſcantur? & quod experimentis iuuenes non aſſentiantur, neque fidem habeant: ſed proferant ea tantum, *nec intelligant: vt qui in ebrietate* Empedoclis recitant verſus? Præterea, *quod magis auget prudentiæ acquirendæ difficultatem, illud eſt,quòd* quicquid in conſultationibus peccatur, vel ad res vniuerſas pertinet,vt omnes aquas graues eſſe inſalubres: vel ad ſingulares, vt hanc aquam eſſe grauem. *At vniuerſalia, quæ per experimenta colliguntur,pendent à ſingularibus, quorum experientia longa eſt,& difficilis,magnumque iudicium requirit. quare tarde ac difficile prudentia obtinetur: & cum multa verſare, atque tractare prudentiam gignat, à foro & ſtrepitu concionum non abſtinebit is, qui prudens fieri volet.* Prudentia vero non eſt ſcientia. nam ſcientia eſt rerum vniuerſarũ: hæc,vt dictũ eſt,extremi,ſeu ſingularium. ſingulare enim ſub actionem venit. Menti igitur,ſeu intelligentiæ prudẽtia opponitur. mens enim eorum terminorum eſt, quorum *quod ſummi ſunt, atque primi,* ratio afferri non poteſt: prudentia vera eſt extremi oppoſiti, *puta, ſingularium,quæ omniũm poſtrema ſunt*, & ſenſu, non ſcientia percipiuntur: ſenſu autem non illo,cui propriæ ſunt attributæ qualitates, quas ſentiat: *vt viſu, qui circa colorem, auditu, qui circa ſonum occupatur: nec, vt ſemel dicam, ſenſu corporis externo*: ſed eo, quo ſentimus extremum in mathematicis figuris,*quæ rectis conſtent lineis*,eſſe triangulum. nam *ab octagono, verbi gratia, per eptagonum,ceterosque*

deſcen-

deſcendendo, tandem in triangulo ſiſtit curſum ſuum, *cum nulla ſit rectis compacta lineis figura triangulo minor*. [5] *hic autem ſenſus exiſtimatio eſt, ex ſenſibus intra poſitis vnus; qui nulla certa qualitate arctatur: ſed promiſcue de omnibus, quæ per ſenſum communem, & phantaſiam incurrunt, exiſtimat*. Veruntamen ad hunc ſenſum prudentia magis, quam ad ſcientiam accedit: ſcientiæ vero alia forma, aliaque notio eſt.

SCHOLIA.

1 *HAe duæ ciuilis.*] *nomotheticam Homerus in Minoe expreſſit: alteram vero partem in* Rhadamanto, *quem iudicem peritum, & legum cuſtodem facit, non latorem, vt Plato notat in dialogo de lege.*

2 *In poſteriore.*] *Cicero ſcribens ad Varronem, vtramq; partem complectitur: atque hos Reipub. fabros appellat, illos architectos; quorum neutros ad Rempub. ædificandam ait defuturos.*

3 *Alia legum ferendarum ſcientia.*] *confundit prudentiam cum ciuili facultate. ſunt enim idem genere habitus.*

4 *Præſtantiores.*] *hoc eſt eos, qui volunt præſtare ceteris, ideoque ſe in moleſtias conijciunt, & quaſi feræ in cippum induunt.*

5 *Hic autem ſenſus exiſtimatio eſt.*] *an non diania, cui prudentia ineſt? porro vtraque ad prudentiam, reſque mathematicas opus eſt. ſed prudentia dianiæ magis innititur: res mathematica magis exiſtimationi, & phantaſiæ. confunduntur hæc ab Ariſtotele ſæpe ſæpius, ac vnum pro alio accipitur, ob affinitatem. diania enim exiſtimationi addit ratiocinationem.*

De recta conſultatione. *Cap. IX.*

TRes porro habitus prudentiæ famulantur: *Eubulia, Syneſis, gnome: de quibus agendum nobis eſt, ac primum de eubulia, ſeu recta conſultatione*. Ante omnia vero ſciendum, quærere, & conſultare non idem eſſe. nam qui conſultat quærit: & conſultare, aliquid quærere eſt: [1] *at quærere non eſt conſultare, nec omnis, qui quærit, conſultat, vt lib. 3. diximus*. Oportet autem diſtinctione adhibita, quid bona conſultatio ſit, videre: num ſcientia ſit aliqua, an opinio, an bona coniectura, an aliud quiddam. *Ac primum ſane ex dictis apparet, eam non eſſe bonam inquiſitionem. quærimus enim de numero aſtrorum, non conſultamus*. Nec eſt ſcientia. nam de ijs, quæ ſciuntur, quæri non ſolet. *ad quid enim?* at bona conſultatio conſilium quoddam, ſeu quædam deliberatio, *& inquiſitio* eſt. nam qui de aliqua re conſultat, quærit, & ratiocinatur. Iam vero neque coniectura eſſe poteſt. nam cum bona coniectura ſine ratione, *vel certe ſine longa rationis*

nis mora ſit: tum etiã velox quiddã eſt, & ſubitum; [a] conſultatio vero multum temporis ſibi ſumit. quare aiunt id, de quo conſultaueris, celeriter eſſe agendum: ſed lente conſultandum. Idem perſpicuum ex eo fit, quod aliud ſagacitas eſt, aliud bona conſultatio. *nam illa celeritate valet: hæc eget tempore.* at ſagacitas eſt cita quædam, veloxque coniectatio, *ſeu habitus ille, quo mentem ſemper propinquam, & præſentem habemus, ita vt non ſit neceſſe illam quaſi è longinquo reuocare:* quod & 2. poſter. lib. traditum eſt. bona igitur conſultatio non eſt bona coniectatio. Neque opinio eſt vlla. *hæc enim fertur ad verum: recta conſultatio ad bonum.* Sed quoniam, qui male conſultat, peccare: qui bene, recte conſultare dicitur: perſpicuũ fit, bonam conſultationem quoddam rectum eſſe. ceterum, nec ſcientiæ, nec opinionis rectitudo eſt. non ſcientiæ: nam eius nulla eſt rectitudo, quia nec vlla obliquitas, vel prauitas (*ſemper enim ſcientia verum tangit, quodque ſe aliter habere non poteſt*) non opinionis; nam eius rectitudo in veritate conſiſtit: *at bonæ conſultationis in bonitate, à qua & nomen traduxit.* deinde, id, cuius eſt opinio, iam eſt deciſum, & ſtabilitum apud opinantem; *qui vero conſultat, ambiguus eſt. nam vbi propoſitũ firmauerit, ceſſat à conſultãdo.* Adhuc *etſi* bona cõſultatio nõ eſt ſine ratione, & inquiſitione: *nihil tamen enunciat.* cogitatione igitur, ſeu diania *illa, quæ aliquid enunciat*, eſt inferior. opinio vero enunciatio eſt, non quæſtio; *igitur bona conſultatio, ſicut non eſt diania aliquid enuncians, ita nec erit opinio.* nam qui conſultat ſiue bene, ſiue male conſultet, quærit: omniſque conſultatio quæſtio eſt. Bona igitur conſultatio eſt rectum quoddam conſultationis. Sed quoniam rectum multis modis dicitur, *vere ſcilicet, & metaphorice: vt cum dicimus rectum adulterum:* perſpicuum fit, non omne rectum bonam conſultationem eſſe. mali enim & incontinentes malum ſibi proponunt: quod vt aſſequantur, apta, idoneaq; media per conſultationem venantur, & ratiocinatione conſequuntur. Itaque recte conſultaſſe videbuntur, *quandoquidem fine ſunt potiti:* ſed magno ſuo malo; *vt Medea, quæ meditans fugam, fratrem occidit, eiuſq; membra diſcerpta, qua iter faciebat ad mare, diſſeminauit; vt eorum collectione inſequentem patrem moraretur, donec ipſa nauim conſcenderet, ac elaberetur. Recte quidem illa conſultauit ad malum finem conſequendum, rectitudine inquam metaphorica: ſed ſimpliciter peſſime conſultauit.* At bene conſultare bonum quoddam eſt, *& ad bonum tendit.* nam illud conſultationis rectum, quod ad boni adeptionem valet, bona conſultatio eſt. *Hoc igitur primum eſt conſultationis vitium, cum malum ſib proponit.* Alterum eſt, cum ad bonum finem, per praua media contendit. fieri enim poteſt, vt quis ratiocinatione falſo concluſa, bonum adipiſcatur, nec veram ad conſequendum honeſtum

ineat

ineat viam: aſſequatur nihilominus, quod vult: ſed non ratione illa, qua oporteret: cum medium ratiocinationis terminum falſum aſſumat, *vt qui ad Tyrannum è medio tollendum illius vxori ſtuprum offert.* [3] *ſtuprum enim vti medium ratiocinationis ad finem conſequendum accipit, quod prauum eſt, nec admittendum.* Tertium conſultationis vitium in mora poſitum eſt conſultandi. poteſt enim contingere, vt alius prolixe, alius celeriter conſultando, propoſitum aſſequatur. non eſt igitur illa bona conſultatio, quæ moras deliberando trahit. *amittit enim rei bene gerendæ occaſionem,* [4] *quod ea præceps ſit, ac plerumque velociſſime dilabatur.* Recta igitur conſultatio eſt, quæ bonum ſibi finem proponit, nec talem, quo res reddantur deteriores: eumq; per licita media, quo modo oportet, perſequitur: [5] adde, cum in deliberando nimium temporis non inſumitur, ſed tantum, quantũ ſatis eſt. Dupliciter vero bene conſultare contingit: vel abſolute, vel ad certum aliquem finem. abſolute bona conſultatio ea eſt, quæ propoſito abſoluto, ac totius humanæ vitę communi fine, bene procedit: ad certum vero finem directa conſultatio ea eſt, quæ certum aliquẽ, & proprium finem ſpectat. Cum vero bene conſultare viri prudentis ſit, ſequitur ex iis, quę hactenus dicta ſunt, bonam conſultationem eſſe conſultationis rectum quoddam [6] ad vtilitatem accommodatum, ad aliquem finem relatum, cuius vir prudens foret exiſtimator.

SCHOLIA.

1 *At quærere non eſt conſultare.*] *quærit enim Aſtronomus de numero orbium, non deliberat.*

2 *Conſultatio vero multum temporis.*] Nihil enim magnis conſilijs tam inimicum, quam celeritas; *vt Liuius ait lib 31. Porrò non properanti omnia clara, aperta, certa: feſtinatio improuida & cæca. quare in deliberationibus lente feſtinandum, in iis inquam, quæ rectæ ſunt: ſecus plerumque in iis, quæ ad malum tendunt. nam vt ſcribit 1. Hiſtor. libro Tacitus:* ſcelera impetu, bona conſilia mora valeſcunt.

3 *Stuprum enim.*] *non me latet Ariſtotelem in contraria fuiſſe ſententia, vbi per ſtuprum ad Tyrannidis euerſionem itur. verum & ratio, & Chriſtiana dogmata repugnant. qua de re aliàs.*

4 *Quod ea præceps ſit.*] *occaſio, cum pedetentim ingreditur, apprehendi poteſt: vbi manus effugerit, in ſublime auolat, & inſequentes ridet, nec patitur, vt amplius capiatur. Ideo pictores anteriore partis capite comatam: poſteriore glabram fingunt, & Poëta ille,*

Fronte capillata, poſt hæc occaſio calua.

5 *Adde cum in deliberando.*] *laudatur Pericles à Thucidide, quod breuiſſima conſultatione ardua quæque negotia expediret. Intellige hic longam moram vituperari: qualis in Elephantorum partubus. nam paulo ante præcipitatas deliberationes vituperabat Ariſtot. Præpropere-*

ra vero feſtinantia originem à cupiditate ducit. qui enim cupit feſtinat: qui feſtinat, euertit. Multos in Romana aula vidi, quod ſecundis ventis, quibus vehebantur, præcurrere, anteuerterecq; ſtuduerint: impetu nimio abreptos, naufragium feciſſe: acutarum ſcilicet cupiditatum oeſtro præcipites actos, & immodica honorum, diuitiarumq; libidine ad ſyrtes afflictos. alijs caſu quodam bene eeſſit feſtinantia, impudentiaque; quorum felicem dicere poſſis temeritatem. ſed bonam deliberationē felici exitu metiri, nimis rude, craſſumque videtur. Commodum in hac re conſilium eſt, mature, ac tempeſtiue deliberaſſe; nec in arena, *vt dicitur*, conſilium capere. *illud enim gladiatorum eſt, atque ſeruorum, non eorum, qui imperant. Recte Cæſar lib. 5. tinket, ac eum omnia deficere videntur, qui in ipſo negotio conſilium capere cogitur.*

6 *Ad vtilitatem accommodatum.*] *hac particula malus finis, malaq; media excluduntur à bona conſultatione. vtraq; enim detrimentum afferunt. tempus conſultationi tribuendum, videtur Ariſtoteles omiſiſſe: ſed ſupplendum ex nuper dictis.*

De Syneſi. *Cap.* X.

SYneſis autem, (latine perſpicaciam vtcumque dixeris) cui contraria eſt aſyneſia, (latine hebetudo, ex quibus perſpicaces, & hebetes nominantur) neque idem prorſus eſt, quod ſcientia, & opinio (nam omnes eſſent perſpicaces, cum omnes opinentur) neque vna aliqua ex ſingularibus ſcientiis: vt medicina. (in cognitione enim rerum ſalubrium, aut in curanda valetudine verſaretur) neque vt Geometria: quandoquidem in magnitudinibus non eſt occupata: neque enim de rebus, quæ ſemper ſunt, ac nunquam mutantur, ſyneſis eſt: neque de quolibet eorum, quæ oriuntur: *vt de pluuia, & grandine:* ſed de ijs tantum, quæ in conſultationem veniunt, atque deliberationem. Quare in eodem, in quo prudentia, campo verſatur: ſed non ſunt idem. Habet enim vim quandam præcipiendi, & imperandi prudentia: propoſitus namque finis ei eſt, quid agendum, quid non agendum: ſyneſis autem vim ſolum habet iudicandi: ſyneſis enim, ſeu perſpicacia idem eſt, quod euſyneſia, ſeu bona perſpicacia. *ſemperq; hic in bonã partem accipitur.* nam & perſpicaces, & bene perſpicaces idem ſunt. Neq; vero ſyneſis eſt habere, vel conſequi prudentiã. vt enim *diſcere, ac docere diſtinguuntur:* & is, qui diſcit, tũ συνιέναι, ſeu perſpicax eſſe dicitur, cũ ea, quæ docetur, intelligit, & ſciẽtia vtitur: ita *prudentia ſeparatur à ſyneſi:* & cũ aliquis alio loquente & præcipiente, opinione vtitur ad exiſtimandũ de ijs rebus, de quibus prudẽtia iudicat, & probe exiſtimãdũ, *συνιέναι in illo genere* dicitur, ſeu perſpicax

ſpicax

ſpicax eſſe. *dixi ad exiſtimandum, & probe exiſtimandum. ſyneſis enim & euſyneſia, ſeu perſpicacia, & bona perſpicacia idem ſunt: tum* * bene, & recte pro eodem vſurpamus. Atque hinc natum eſt ſyneſis nomen, per quam nonnulli euſyneti vocantur: per eam, inquam, ſyneſim, quæ in diſcendo conſiſtit. ſæpenumero enim cum μανθάνειν, hoc eſt diſcere, ſeu diſcendi actum ſignificare volumus, dicimus συνιέναι. *Syneſis ergo eſt habitus in agendo poſitus, qui eſt principium ea diiudicandi, quæ prudentia præcipit. nam prudentia magiſtri, & præcipientis locum tenet: ſyneſis diſcipuli, & eius, qui docilis exiſtens, diſcit.*

SCHOLION.

* *TVm bene, & recte pro eodem vſurpamus.] Quia in voce composita* ἀσυνέτως *non* καλῶς *eſt, ſed* ἀ*: vt omnis dubitatio tollatur, adiungit, vtrumque idem valere.*

De Gnome. Cap. XI.

ΓΝώμη, latine, licet non ſatis proprie, ſententia, ex qua nonnullos ἀγνώμονας, ideſt, bene ſententia vtentes, & γνώμην ἔχειν, ideſt, ſententiæ dicendæ facultate præditos dicimus, eſt viri boni & moderati rectum iudicium. cuius rei ſignum eſt, quod virum bonum & moderatum ad ignoſcendum pronum eſſe dicimus: & æquum bonum eſſe affirmamus, in nonnullis delictis ſententiam, ſeu conſenſum accommodare, ideſt ignoſcere, & veniam dare. [1] Atque hic conſenſus, ideſt, venia, quæ datur errato, ſententia eſt ad iudicandum ex æquo, & bono apta, rectaque. Recta autem ſententia ea eſt, quæ veri hominis eſt. Merito autem hi habitus eodem pertinent omnes. dicimus enim gnomen, & ſyneſim, & prudentiam, & mentem *ſanam*, ad eoſdem referentes, quos dicimus ſententia, [2] & iam mente *ſana*, & prudentia, & perſpicacia valere; omniaque hæc ad eoſdem homines comportamus; omnes enim hæ animi poteſtates ſunt extremorum, & eorum, quæ ſingularia ſunt: atque in his capeſſendis omnibus ipſis conuenit. *Neque tamen eadem ratione, ac via vtuntur in eis indagandis: ſed alia, ac ſæpe diuerſa. Et qui eiuſmodi dotibus ornatus eſt, quemadmodum varia ſemina virtutum in animo habet, ita varijs modis appellatur.* Nam qua aptus eſt ad iudicandum ijs de rebus, de quibus prudens præcipit, συνετὸς ideſt, perſpicax dicitur; tum in ſententia ferenda moderatus: (Græce ἀγνώμων) ac demũ ad cõſentiendum, & ignoſcendum facilis, quem Græci συγγνώμονα dicunt. nam vir bonus in ijs, quæ ad alium ſpectant, æqua & moderata perſequitur. *Hæc autem omnia in ſingularibus verſantur.* in his enim numeranda ſunt ea, quæ ſub actionem veniunt: eaq; viro prudenti nota eſſe debent. Syneſis

vero,& gnome in ijs,quæ ſub actionem veniunt,& extrema,ſeu ſingularia ſunt, occupantur. Mens quoque extremorum eſt ab vtraque parte. nam & primorum terminorum eſt, videlicet, principiorum vniuerſalium,quorum non eſt ratio, *ſeu demonſtratio*: tum etiam eſt extremorum ſingularium. Et quidem mens, quæ in demonſtrationibus occupata eſt,immobilium, & primorum terminorum, *atque vniuerſalium* eſt *(ab ijs enim progreditur)* mens vero, quæ in artibus ad agendum vtilibus verſatur,eſt extremi ſingularis,quod aliter euenire poteſt, atque propoſitionis alterius generis: *ſingularis videlicet,non vniuerſalis*. Hæc enim ſingularia pronunciata ſunt principia illius, cuius gratia res eſt. *quibus videlicet vniuerſale concludimus, quod pro fine in demonſtratione à poſteriori proponitur. nam quia Chiron vulnus pedis ex lapſu improuiſo ſagittæ Herculis, Hydræ veneno illitæ, centaurea curauit: concluditur, herbam illam vulneribus venenatis in vniuerſum mederi*. Quare cum ex ſingularibus vniuerſalia oriantur, & conſtent: ſingularium ſenſu præditum eſſe oportet. Hic autem ſenſus mens eſt: *illa ſcilicet mens,quam dianiam ſupra nominauimus*. Quare, *cum ſyneſis, & gnome, & ſana mens in ſingularibus verſentur*, videntur etiam à natura nobis tributæ: cum nec ſapientia, *nec diſciplinæ* contingant à natura, *ſed induſtria comparentur*; nam nemo eſt natura ſapiens: eſt vero ſententiæ dicendæ facultate præditus, & perſpicax, & ſana, acutaque mente inſtructus natura. ideoq; hos habitus ætatum ſocios, & comites arbitramur: & ita loquimur: hæc ætas, *puta virilis*, mentis ſanitate, & acumine valet: & ſententiæ dicendę facultate pollet: quaſi horum ſit effectrix,& cauſſa natura. *Quoniam vero intellectu ad contemplandum, & agendum opus eſt*, mens principium,& finis eſt. *principium quidem ratione primorum principiorum: finis vero ratione ſingularium. tandem enim omnis actio eſt propter ſingularia*: demonſtrationes enim, *quæ de rebus agendis formantur*, ex ſingularibus conſtant, & de ſingularibus fiunt. *Nam in ſyllogiſmo practico [3] neceſſe eſt alteram propoſitionum, quæ præmittuntur, & concluſionem eſſe ſingulares. quod enim agendum eſſe concluditur, ſingulare eſt: ad hoc vero agendum animus non mouetur, niſi ab effato aliquo ſingulari moueatur: quod vniuerſalia præſtare non poſſunt. Et quoniam, vt ſupra diximus, mens, quæ ad operandum valet, ſeu diania, vſu, & experientia perficitur*: oportet vſu peritorum, atque ſenum, aut prudentum virorum pronunciatis, & opinionibus,quamuis non demonſtrentur,non minus attendere, atq; obtemperare, quam ipſis demonſtrationibus. Nam quia oculum quendã, & lumen vſu conſequuti ſunt: principia rerũ facile cernunt, *& optima promunt conſilia*. Quid igitur prudentia,& ſapientia ſint, in quibus verſentur, nec eſſe eiuſdem animi partis virtutes, dictum eſt.

SCHOLIA.

1 *ATque hic conſenſus.*] *qualem ergo rationem æquitas habet ad iuſtitiam, eandem gnome habet ad prudentiam.*

2 *Et iam mente ſana.*] Iam *dixit, quia poſt multam experientiā actiuus intellectus acquiritur: & intellectum iam habere ille dicitur, qui ex multorum vſu eum ſibi comparauit.*

3 *Neceſſe eſt alteram propoſitionum, & concluſionem eſſe ſingulares.*] *hoc modo. Qui hoſtilia agit, hoſtis eſt; ſed Philippus muros euertendo, agros populando, vicinos inuadendo, hoſtilia facit; igitur eſt hoſtis. vel ſic: Qui agros vaſtat hoſtis eſt: Philippus agros vaſtat; igitur eſt hoſtis.*

De vtilitate prudentiæ, ac ſapientiæ, tum etiam de ſolertia. Cap. XII.

SEd quærat forte aliquis, quam vtilitatem ſapientia, & prudentia afferant: cum ſapientia quidem longe poſita ſit à rebus agendis, atque ab ijs, quæ eſſe, ac non eſſe poſſunt, *ex quibus humana felicitas conſtat*: prudentia vero, etſi in ijs occupetur, nihilominus ſuperuacanea videatur: ſiquidem vir bonus in rebus iuſtis & honeſtis, hominique bonis, atque vtilibus *ſola naturæ propenſione*, eadem facit, quæ vir prudens eſſet facturus. Præterea ſapientiæ, atque prudentiæ præceptorum cognitio nihilo nos ad agēdum efficit aptiores: ſunt enim eæ habitus: *at habituum cognitio non facit, vt ex habitu agamus*: quemadmodum artis medicæ, vel eius, quæ bonam corporis conſtitutionem efficit, notitia non reddit cognoſcentem ad opera ſani, beneque conſtituti corporis efficienda aptiorem. Nam quæcumque ſana, vel bene conſtituta dicuntur: non quod artem ea efficiendi teneant, vel vim talia reddendi habeant, ſana vel bene conſtituta dicuntur: ſed quod eiuſmodi ſint ab habitu inhærente. nihilo enim magis medicus, & qui corpora exercet, eo quod artem teneant, ſanorū, & bene conſtitutorum corporum opera facere poſſunt. Quod ſi obijciatur, non propter has cauſſas prudentiam ſtatui: ſed vt probi ſimus: iſtud quoque fundamentum ſubruere conantur, aiendo: ſaltim ex hoc dignoſci, ijs, qui iam probi ſunt, prudentiam nihil profuturā. Sed nec ijs, qui virtute præditi non ſunt, proderit. [1] Nihil enim refert, ſi vel ipſi prudentes ſint, vel prudentibus auſcultent: idque ſatis fuerit: quemadmodum in valetudine curanda ſatis habemus obtemperare medicis: ac dum valere volumus, nihilominus medicinam nō diſcimus. Demum, ſi prudentia, & ſapientia ob rationem dictam ſunt homini vtiles, vel neceſſariæ; ſequitur principem locum pru-

dentiæ tribuendum eſſe. nam prudentia eſt, quæ efficit, cum occupetur circa ſingularia; ea vero, quæ efficit, in vnaquaque re agenda præeſt, & imperat. erit igitur prudentia, quam ſapientia, melior: at hoc falſum eſt: prudentia enim eſt deterior. Hæc igitur hactenus dubitata ſint, de quibus nunc dicendum. Ac primum quidem dicimus, eas virtutes, etiam ſi earum neutra quicquam efficeret, eſſe per ſe neceſſario expetendas; quod vtraque vtramque animi partem, *eam ſcilicet, quæ in contemplatione rerum æternarum, ac eam, quæ in rebus mutationem ſuſcipientibus pertractandis occupatur, ornat.* Deinde efficiunt illæ quidem vitam beatam: non *quaſi quid extra felicitatem exiſtens*, vt medicina valetudinem: ſed vt valetudo ſuamet opera perficit. *nam ſapientiæ, atque prudentiæ vſus felicitas eſt.* & cum ambæ ſint partes vniuerſæ virtutis, & in animo inſint, vt habitus: dum ſuo munere funguntur, faciunt hominem beatum. De prudentia vero ſeparatim loquendo; quis neget, ea nos ad agendum fieri aptiores? porro ex illa, & virtutibus morum *humanæ felicitatis* opus abſoluitur. [a] Virtutes enim morales optimum homini finem proponunt: prudentia vero illa, quæ ad finem obtinendum conducunt, inuenit. Quarta vero animi pars, in qua uis ineſt alendi, nulla tali virtute prædita eſt. non enim in ea poſitum, vt agamus, vel non agamus: [b] *erit ergo in tribus reliquis: videlicet, in mente, diania, & parte illa, in qua vigent appetitiones.* Quod vero ſupra obiectum eſt, nihilo nos aptiores ad res honeſtas & iuſtas à prudentia effici, paulo altius examinandum eſt, hinc initio facto. Quemadmodum enim quoſdam, qui res iuſtas agunt, nondum iuſtos eſſe dicimus: vt qui vel inuiti, vel ignorantes legibus obtemperant, vel propter aliud quidpiam, non propter leges ipſas, *& iuſtitiæ cultum:* cum nihilominus ea, quæ ſunt agenda, quæq; virum bonum agere oportet, agant; ſic par eſt vnumquemque, ſi bonus dici debet, certo quodam modo affectum agere, quæ agit: ſcilicet conſilio capto, *non temere*, vel inuite: ac earum rerum, quæ aguntur gratia: *non ob lucri, vel auræ popularis, vel rei alterius cupiditatem. virtutis enim opera propter ſe ipſa ſunt expetenda.* Rectam itaque electionẽ virtus moralis efficit: illa vero, quæ eius, quod elegimus, obtinendi cauſſa aguntur, diſpicere, *& omnino media ad finem deducentia venari*, non eſt virtutis moralis, vel alterius facultatis: de quibus accuratius, planiusq; dicẽdum. Eſt igitur uis, ſeu poteſtas quædam animi, quam ſolertiam vocant. hæc autem eiuſmodi eſt, vt quæ ad propoſitum ſcopum tendunt, agere, atque conſequi poſſit. ac ſi ſcopus quidem honeſtus ſit, & laudabilis: nomen retinet; ſin malus, ac turpis, verſutia nominatur. itaque & ſolertes, & verſutos vtroſque prudentes nominamus: *vt ſæpe facit Homerus.* Prudentia porro non eſt hæc poteſtas: ſed tamen

non

non eſt ſine hac poteſtate, quæ quaſi animi oculus dici poteſt, *cum longe proſpiciat:* ac per illam habitus virtuti morali coniunctus in nobis gignitur, vt diximus, & facile quiuis perſpicere poteſt. [3] Ratiocinationes enim, quæ rerum ſub actionem venientium principiũ continent, eatenus valent: quatenus finem talem ſpectant: optimum ſcilicet: quodcumque tandem illud ſit: etiam ſi forte fortuna quidpiam oblatum. *hoc enim nihil refert, modo bonum ſit. Finis quippe in ſyllogiſmo practico habet rationem principij: igitur ſi malum ille ſibi proponit finem, non eſt alicuius momenti.* finis vero bonus & honeſtus, non niſi bono viro cognitus eſt. Deprauat enim atque peruertit iudiciũ rationis vitioſitas, *atque falſum ſuadet*, efficitque, vt in iudicio de rebus agendis faciendo decipiamur. [4] Prudentiæ igitur, quæ ad finem dirigit, non poteſt eſſe ſine virtute morali: *alioqui illius opus impediretur.* quapropter nemo eſt prudens, qui non ſit vir bonus. *Ex quibus concluditur id, de quo fuerat antea dubitatum, prudentiam non eſſe ſuperuacaneam, eaque hominem reddi ad res agendas aptiorem.*

S C H O L I A.

1 *Nihil enim refert.] Prudentia proprie virtus eſt principis, ſeu gubernantis. 3. Polit. cap. 3. ſeruus vero non imperat, immo nec deliberat: ſed obtemperat: 1. polit. cap. vlt. prudentia igitur proprie non eſt eorum, qui non imperant. Eſt nihilominus quædam prudentia omnium communis, quæ ad ſeruos quoque, ac eos, qui parent, extenditur, non qua ſubditi, vel ſerui ſunt, ſed qua in ipſorum facultate eſt, ſe ad parendum diſponere, ac præparare: vel qua in ijs, quæ mandantur, exequendis, interdum eſt opus prudentia, & ratione.*

2 *Virtutes enim morales.] ad bonum in communi ſynderеſis nos inclinat: ad hoc vel illud bonum, hæc vel illa virtus moralis. Prudentia ita abſtinet fine, vt nihilominus circumſcribat, atque præcipiat modum tendendi ad finem; quatenus, ſcilicet, & quouſque: vt ſupra lib. 2. cap. 6. dictum eſt. Eſt autem ſynderеſis pars animi, innatum rationis lumen perpetuo ſeruans, etſi à cupiditatibus labefactatum, & fere extinctum: quo nihilominus vitijs perpetuo reluctatur: & hominem, quaſi ſtilo, ſubinde pungit, & à turpibus auellere nititur. Conſcientiam recte dixeris, cuius tribunal inteſtinum, atque in nobis ipſis fixum, & ineuitabile ait S. Gregor. Nazianz. in orat. de Affectata cathedra Conſtantinopolitana.*

3 *Erit ergo in tribus reliquis.] In mente, atque diania eſt, vt in ſubiecto: in appetitione autem, per poteſtatem, & vim operandi. mentem vero intelligo illam, quæ rebus agendis incumbit, & vniuerſalia tractat.*

4 *Prudentia igitur, quæ ad finem.] ſcilicet, quæ dirigit ad vniuerſum totius vitæ finem. hæc enim cum virtutibus moralibus ita coniuncta eſt, vt in hominibus improbis eſſe non poſſit. at prudentia particularis*

ad hunc,vel illum ſinem,puta ad nauigandum,ad victoriam in bello reportandam,& ſimilia,tum in bonis,tum in malis hominibus ineſt. Verum hec non eſt ſimpliciter prudentia ; ſed per analogiam. quæ vero ad malum nititur,æquiuoce prudentia dicitur, vt homo pictus. ita D. Thom.2.2.quæſt.47.art.13.

Solertiam eſſe à natura, quaſi inchoatam prudentiam: & ſine prudentia ceteras virtutes non eſſe perfectas. Cap. XIII.

RVrſus de virtute nobis agendum; vt enim prudentia ſolertiæ ſimilis eſt: non eadem cum illa; ſic & virtus illa,quæ proprie, ac præcipue virtus eſt,*acquiſita ſcilicet*, cum virtute naturali comparatur, *ſolertia enim incboata virtus eſt; vt virtutes quoque naturales*. Singulæ quippe morum propenſiones videntur natura inſitæ mortalibus. namque ad iuſtitiam, temperantiam, fortitudinem, ceteraſque virtutes ab ortu apti, habileſque ſumus. ſed ea propenſione ad bonum minime contenti, aliud quiddam, quod proprie bonum ſit, quærimus: & virtutes eiuſmodi quidem, *ſed præſtantiores*, aliter in nobis eſſe volumus: *certa ſcilicet ratione definitas*. Nam in pueris,& beſtiis naturales inſunt habitus, *& quidem vehementes*; ſed quia mente non reguntur, detrimentum afferunt: quod ex ſimilitudine humani corporis perſpicitur. nam vt robuſto, & valido corpori, quod ſine videndi ſenſu mouetur,graues offenſiones accidunt: ſic res ſe habet in ijs animi bonis, quæ à natura tribuuntur. Quod ſi mentem virtutes hæ naturales, *quaſi oculum*, adeptæ fuerint, incredibile eſt, quanto ceteris in agendo præſtent. Habitus autem *naturalis*, cum ſimilis illis *habitibus à ratione directis* extiterit, tunc proprie virtus erit. Vt igitur in ea parte animi, quæ ad opinandum valet, duæ ſunt formæ: ſolertia, & prudentia; ita & in ea,quæ moribus attributa eſt, duæ quoque inſunt: quarum altera virtus eſt naturalis: altera, quam proprie, ac præcipue virtutem appellari dicebamus. *virtus vero naturalis incboatio quædm eſt eius,quæ proprie dicitur virtus*. Et quidem ea ſine prudentia eſſe poteſt: hæc vero virtus proprie dicta ſine prudentia conſtare nequit. Vnde illorum opinio nata eſt,qui virtutes omnes prudentias eſſe dicunt. In quo Socrates partim quidem recte quærebat, partim errabat. Nam quod virtutes omnes prudentias eſſe putabat,in hoc errabat. quod autem eas non ſine prudentia eſſe dicebat, pulchre loquebatur. Cuius rei hoc argumentum eſt, quod nunc omnes, cum virtutem definiunt, poſteaquam eam habitum eſſe dixerunt, & in quibus verſetur docuerunt, addunt,

addunt, habitum iſtum eſſe rationi conſentaneum. recta autem ratio ea eſt, quæ prudentiæ congruit, eiq. obtemperat. *& qui rectam rationem dicit, prudentiam includit.* omnes itaque videntur quodammodo augurari, huiuſcemodi habitum prudentiæ conſentaneum virtutem eſſe. veruntamen paullum immutanda hæc definitio eſt: vel aliquid ei addendum. Non enim rectæ rationi conſentaneus ſolum, ſed etiam cum recta ratione coniunctus habitus, virtus eſt. prudentia vero eſt recta ratio de eiuſmodi rebus. *quare cum prudentia virtus coniungi debet. Diminute igitur iſti ſunt de virtute loquuti; cum, ſi recte rationi ea conſentanea eſſet, ſatis habuerunt. ita enim qui aliena prudentia vteretur, vt ſeruus, ipſe inops proprij conſilij, virtute morali præditus dici poſſet.* At Socrates *longiore excurſu limites tranſilijt*, & virtutes prudentias eſſe voluit, ſiue rationes. nam aiebat ² eas omnes eſſe ſcientias: *Nos mediam ineuntes viam*, cum ratione coniunctas volumus. Ex ijs igitur, quæ dicta ſunt, perſpicuum eſt, ³ nec ſine prudentia queniquam virum bonum eſſe poſſe, nec prudentem ſine virtute morali. *Nam vir bonus non eſt ſine virtute morali; hæc non eſt ſine recta ratione. Prudentia quoque non eſt ſine bono ſine, quem virtutes morum conſtituunt.* Ex quo etiam dilui; ac refelli ea ratio poteſt, qua contendere poſsit aliquis, virtutes inter ſe ſeparari; Non enim idem ad omnes virtutes eſt natura aptiſsimus. quare fieri poteſt, vt hanc, ad quam natus eſt, iam fuerit conſequutus: illam, ad quam non eſt factus a natura, nondum fuerit adeptus. Ceterum hæc ratio diluitur: Hoc enim in ijs, quæ a natura ingenerantur virtutibus, euenire poteſt: in ijs autem, ex quibus abſolute vir bonus nominatur, *& habitu perfectæ ac recta ratione conſtitutæ ſunt*, non poteſt. nam vna cum prudentia, quæ vna eſt, hæ omnes præſto aderunt. Perſpicuum quoque fit, prudentiam, etiam ſi ad agendum inepta eſſet, neceſſariam nihilominus futuram: tum quia partis animi virtus, *& perfectio eſt:* tum quia ſine prudentia, & ſine morali virtute bene eligere non poſſumus. Virtus enim moralis vt finem, prudentia vt ea, quæ ad finem pertinent, *ſtatuamus*, & agamus, efficit. ⁴ Nec propterea ſuperior eſt ſapientia; neque habitus eſt animi particulæ ſuperioris: quemadmodum nec medicina eſt bona valetudine ſuperior, *etſi eam reſtituat, & tueatur.* non enim valetudine medicina vtitur: ſed curat, vt ea adſit. illius igitur cauſſa præcipit, & imperat, non illi. *Hæc de prudentia erga ſapientiam ferme dici poſſunt. non enim illi præcipit, vti ſe in rerum diuinarum contemplatione gerere debeat: ſed potius viam, qua ad ſapientiam homines perueniunt, cuſtodit.* Demum ſub prudentiæ imperio ſapientiam eſſe dicere, ſimile eſt: vt ſi quis dicat, ſcientiam ciuilem Dijs præeſſe, quod omnia, quæ ſunt in ciuitate, inſtituat, & præcipiat. Porro, vti ſint

Ii colenda

colenda numina, ea imperat: ſed illis non præcipit. imperat igitur eorum cauſſa, non illis. Hactenus de virtutibus.

SCHOLIA.

1 *NAm vt robuſto.*] *Cyclopem Homericũ ab Vlyſſe excæcatum, grauibus offenſionibus opportunum, in exemplum adducere poſſumus: cui ab eandem rationem Alexandri defuncti exercitum Demades comparuit.*

2 *Eas omnes eſſe ſcientias.*] *ſcientia, & prudentia ſunt virtutes rationis; & prudentia eſt quaſi quædam bene agendi ſcientia.*

3 *Nec ſine prudentia quemquam.*] *Cum nulla ſit virtus ſine prudentia: & prudentia ſit coniuncta cum omnibus virtutibus: ſequitur, virtutes perfectas non poſſe vnam ſine alia exiſtere. quod ſi aliquando ſeparatæ reperiuntur, eæ ſunt imperfectæ. quare ob connexionem cum prudentia omnes neceſſario ſimul eſſe debent. qua de re D. Thomas egregie ſcribit, p. 2. q. 65. art. primo.*

4 *Nec propterea ſuperior eſt ſapientia.*] *commoda prudentiæ cum ſapientia comparatio. nam vt Prouerb. decimo ſcribitur, Sapientia eſt viro prudentia. Vt enim ſapientia progreditur per altiſsimas cauſſas; ita prudentia vniuerſa, quæ ſimpliciter prudentia dicitur, progreditur per vltimum finem.*

DE MORIBVS
LIBER SEPTIMVS.

EXplicatis ijs, quæ ad virtutes, & vitia pertinent: agamus iam de illis, quæ vel præſtantia, vel malitia vtraque excedunt: tum de alijs, quæ nec probitate nec malitia eadem æquant: ac poſtremo de voluptate; quando ipſa multitudini facit vitam beatam. huius enim gratia omnis hæc diſputatio inſtituta eſt. Alio igitur initio facto dicamus, [1] rerum in moribus fugiendarum tria eſſe genera: vitioſitatem, incontinentiam, [2] feritatem. Ac duorum quidem primorum contraria nota ſunt: virtus, inquam, & continentia. feritati autem commode opponimus eam, quæ ſupra nos eſt, Heroicam quandam, & diuinam virtutem; quam apud Homerum Priamus Hectori tribuit, quòd bonitate atque virtute excelleret, ait enim.

Namque illum haud eſſe putares
Mortali genitore ſatum, at genus eſſe Deorum.

[3] Itaque ſi, vt aiunt, propter excellentiam atque præſtantiam vir-

tutis

tutis homines Dij fiunt, talis profecto erit is animi habitus, qui habitui illi ferino opponitur. *Hanc vero oppoſitionem à ſimili, contrarijs inter ſe naturis ſpectatis, probare licet.* Nam vt in feram neque vitium cadit, neque virtus: ita neque in Deum. Sed in Deo eſt quid præſtantius virtute: in feris quid à vitio diuerſum [4] eoque deteſtabilius. *Ex quibus huiuſmodi ratio confici poteſt. Ei, quod eſt vitio deterius, opponitur aliquid virtute melius, & honoratius: ſed feritas eſt vitio deterior: igitur ei opponitur aliquid, quod ſit virtute præſtabilius: eiuſmodi eſt virtus heroica: hæc igitur opponitur feritati. Poteſt altera quoque ratio ad idem oſtendendum hoc pacto formari: Rariſsimo vitio rariſſima virtus opponitur; eiuſmodi ſunt feritas, & heroica virtus: opponuntur ergo.* Raro quippe eueniet vt vir diuinus exiſtat: quod ex familiari Laconibus ſermone perſpicuum fit. illi enim, ſi quem magnopere admirantur, *quaſi rarum in terris exemplū,* diuinum virum appellare, ac ſalutare ſolent. aiunt enim, O virum diuinum. Raro etiam inter homines aliquis reperitur, qui beluam ingenio, & natura referat. Sed ſi quis eſt, is maxime apud Barbaros exoritur. Nonnullas autem huiuſmodi immanitates morbi, & membrorum debilitationes pariunt; *de quibus in Problemate 27. ſectione 4. hæ vero immanitates etiam extra barbaras gentes non ſemel exiſtunt. Intelligendum autem eſt, iſtam immanitatem non ſolum conſtare in ſæuitia exercenda, & acerbitate naturæ; verum etiam in omni graui culpa, quæ humanum ingenium excedat.* Quare illos, qui ſuperant humanum captum vitiorum, ſic infamamus, ac turpi nota feros, [5] & immanes dicimus. *& quamuis in communibus & vſitatis vitijs volutentur, ſi tamen in ijs excedunt, hoc dedecore notamus.* Sed de hac quidem animi affectione aliquid nobis erit poſterius dicendum. De vitioſitate autem ſupra diximus. Nunc *de ſemiuirtutibus, & ſemiuitijs, ac de ceteris, quæ his adiuncta ſunt, agendum:* *videlicet*, de incontinentia, & mollitia, & luxu: itemq. de continentia, & tolerantia: quam patientiam, vel conſtantiam appellare licet. *Porrò hæ habent ſe medio modo. Non ſunt virtutes, cum in ijs ratio ab appetitu oppugnetur: non ſunt plena vitia, cum in incontinente ratio vigeat, & reluctetur aliquantulum appetitui; quod in homine abſolute prauo, ac vitioſo non contingit.* Neque vero de continentia, & incontinentia: & ceteris, quæ his coniuncta ſunt, perinde exiſtimandum eſt: aut quaſi ijdem habitus ſint, cum vitio, & virtute: [6] aut quaſi diuerſa ſint genera. Quod autem noſtri moris eſt, ijs primum, quæ ſunt in promptu, propoſitis, & in quæſtionem reuocatis: quæ maxime ab omnibus de his animi perturbationibus feruntur, oſtendemus: ſi non omnia, certe plurima, & præcipua. *Quod vbi præſtiterimus, plane munere noſtro functi fuerimus.* Nam ſi ea,

quæ difficilia & impedita ſunt, diſſoluantur, atq. expediantur: & relinquantur ea, quæ probabilia, & hominum opinionibus recepta ſunt, ſatis fuerit in rem præſentem. Videtur itaque continentia, & tolerantia in numero rerum eſſe laudabilium: incontinentia, & mollitia in malarum, & vituperabilium. Et continens idem videtur eſſe, ac is, qui facile in eo permanet, quod ratio præcipit: incontinens vero idem atque is, qui facile deſciſcit à iudicio rationis. Atque incontinens quidem, ſciens res, *quas dictat libido*, eſſe malas: tamen animi perturbatione concitatus eas agit: *vinciturq. à cupiditate, poſtea quam aliquandiu fuerit reluctatus*. Continens autem *a cupiditate oppugnatus*, cum nihilominus intelligat turpem illam, & malam eſſe, a ratione reuocatus, ſenſum ad mala trahentem non ſequitur. Ac eum, qui temperans ſit, continentem quidem, & tolerantem omnes eſſe volunt: eum autem, qui continens, atque tolerans ſit, eſſe quoque temperantem, alij aiunt, alij negant: eodemq. modo de intemperante erga incontinentem philoſophantur. alij enim intemperantem cum incontinente confundunt: alij diſtinguũt: & ſeparant. Prudentem qnoque interdum negant vllo modo incontinentem eſſe poſſe: nonnullos interdum, qui prudentes ſint, & ſollertes, incontinentes eſſe volunt. Adhuc incõtinentias varias faciũt, nam & iræ incontinentes, & honoris, & lucri dicunt. Atque hæc quidem ſunt, quæ de his, crebris hominum ſermonibus, feruntur.

SCHOLIA.

1 *Rerum in moribus fugiendarum.*] *Bona actio corrumpitur vel ab appetitu minus recto, vel quod non dirigatur a recta ratione. Si quidem igitur ratio recta eſt, ſed peccat appetitus: erit incontinentia. ſin adeo graſſatur appetitus, vt rationem corrumpat, & ex electione male agatur; intra communem nihilominus metam: malitia, & vitioſitas exiſtit: quod ſi in peccando nimium ſuperetur modus, feritas, & immanitas conſurgit.*

2 *Feritatem.*] *quæ & immanitas dicitur. de qua Iouianus Pontanus commentarium edidit. Eſt autem vitij quædam exuperantia, ad certã ſpeciem haud reſtricta: ſed per omnes vitiorum ſpecies vagans. Nam & in crudelitate feritas locum habet: qualis apud Homerum Odyſſ. lib. 6. deſcribitur Echetus Epiri Rex: hominum vaſtator.* tibi qui crudeliter aures Abſciſſas, nareſq., pudendaq. membra, manuſque Proijciet ſæuis canibus lanianda per agros. *tum etiam in re venerea: nam Salinarium Aegyptium Herodotus, lib. 2. refert cum recenti muliebri cadauere coiuiſſe; ac propterea conſtitutum, ne ante tertium, vel quartum ab obitu diem formoſarum mulierum corpora condienda traderentur. Nec mitiora monſtra aliquando Italia tulit. Nam Sigiſmundus Malateſta, cum mulierem Theutonicam, quæ voti rea Romam*

mam tendebat, deperiret, eam ex itinere apud Ariminum raptam, & quòd viuenti vim inferre nequiret, iugulatam vitiauit: cadauere, non amata muliere, potitus. Eadem Actiolinum Patauinum Tyrannum ex Theutonico ſemine genuit. quem ob inſignem crudelitatem Eumenidum partum iure dixerim. ab hoc enim ad triginta hominum millia partim carnificis manu trucidata, partim pedore illuuie, fame in vinculis necata, ſcriptores referunt. Quid quod ipſos Graciæ ſapientes idem immanitatis impetus interdum abripuit? Nam ſcribit Herodotus lib. 5. Periandrum Meliſſæ vxori defunctæ commixtum: ideoq. ab oraculo eidem exprobratum, quod in frigidum furnum panes ingeſsiſſet. Philoxenus quoque, gula, & voracitate infamis, perfecit, ne huius vitę excellentia Græcia barbaris concederet.

3 *Itaque, ſicut aiunt.] Virtus Heroica eſt exuperantia virtutū humanarum, tam appetitus, quam mentis; ſola excellentia ab ijs differens, nullamque per ſe conſtituens ſpeciem ſeparatam. At quamuis in ijs, quæ per doctrinam traduntur, atque adeo in artibus liberalibus conſtitui hæc virtus poſsit: vti Aeſculapius ob ſingularem medicinæ peritiam, Orpheus ob eximias modulationes Deorum filij habiti ſunt: ac proinde Heroes dici queant: magis tamen ad ceteras virtutes pertinet; & quidem eas, quæ vel principe viro ſunt dignæ: vel ſunt cum conatu, & contentione vehementi. in priori genere ſunt magnificentia; magnanimitas, prudentia, iuſtitia: in poſteriore fortitudo. Minos ob iuſtitiam Iouis filius dictus eſt: Achilles, & Hector ob fortitudinē ab Homero: Aceſtes ob magnificentiam à Virgilio Heroes appellati. Sancti Martyres, qui vitæ profuſione, Chriſto Domino illuſtre teſtimonium dederunt, Heroes vere ſunt: ſed abſtinemus hac appellatione, quoniam eccleſiaſtici ſermonis vſus id non patitur; vt ſcribit S. Auguſt. 7. de ciuit. Dei, cap. 21. Temperantes Græci Barbariq. olim Heroum appellatione haud ornarunt. illam enim, vt & caſtitatem, non tanti, ac nos, fecere. ſed quid probibet, viros ſanctos, qui protrito ſenſu omni delectationis, cum cacodæmone, atque cupiditate perpetuo confligunt, Heroas appellare? eiuſmodi fuere Paullus, Antonius, Baſilius: ceteræq. clariſsimæ religionis noſtræ faces. Hic vero notandum, non eſſe propoſitum Heroicæ virtuti, vt omnes animi affectus conuellat. id enim eſſet in Stoicorum errorem impingere, in commentario de affectionibus animi a nobis confutatum. Porrò ſi affectiones omnes eſſent natura praue, non tribuerentur Deo: quem nihilominus per metaphoram iraſci, dolere, amare, odiſſe dicimus. Hæc de Heroica virtute. At feritas illi oppoſita belluis nos ſimiles reddit: cuius rei typus à Nabuchodonoſoris in belluam metamorphoſi peti poteſt: tum a Minotauris, Lychaonibus, alijſque; qui ob vitiorum immanitatem in feras mutati, vel a feris orti finguntur. De his Plato dixit, ferarum*

animas

animas vagari per corpora hominum: & animos hominum per corpora iumentorum: ſcilicet, quo ad mores. Proclus, libro de Anima, & Dæmone ait, Quid miraris multos quidem per vitam eſſe lupos, multos porcos, plurimos autem alia quadam bruti ſpecie circumfuſos: cũ terrenus locus Circeos diuerſorium ſit, animæq; multæ ob immoderatam concupiſcentiam venenatis inæſcatæ ſint poculis? *Animus quippe noſter medius eſt inter ſuperiores mentes, & bruta: illis mente ſimilis: his vero ſenſu, & facultatibus appetendi. Vt igitur quandoque ſuperior pars hominis formatur, & extollitur ſupra naturam, vt fere diuinus euadat, & Heros appelletur: ſic appetentes hominis facultates interdum ita deprauantur, vt idem tantum non bellua fiat, eaq; fundamenta ſunt tum heroicæ virtutis, tum etiam feritatis. Quatuor igitur virtutum gradus, totidem vitiorum ſtatuere licet ex hactenus ab Ariſtotile dictis: naturalem ſcilicet virtutem, moralem, rationis, Heroicam: prima ſanos reddit, & valentes: altera bonos: tertia ſapientes, & prudentes: quarta Heroas. His opponuntur naturale vitium, morale, rationis, ferinum. primum valetudinem corrumpit: alterum mores inficit: tertium deprauat rationem, & dementes facit: poſtremum ex homine feram reddit.*

4 *Eoque deteſtabilius.] ſcilicet materialiter ſumptum. nam formaliter loquendo, deteſtabilius eſt hominis vitium, quã immanitas ferarũ.*

5 *Et immanes dicimus.] immanem Vitellij gulam vſurpamus: immanes libidines Neronis.*

6 *Aut quaſi diuerſa ſint genera.] nam continentia congener eſt temperantiæ: incontinentia intemperantiæ.*

De Continentia, & Incontinentia. An eæ ſint: Quid ſint. Cap. I.

DVbitabit vero aliquis, quomodo is, qui de rebus recte exiſtimat, ſanumq; retinet iudicium, incontinenter viuere poſsit. *Scit enim quid bonum, quid malum.* Eum vero, qui hæc ſciat, incontinenter viuere poſſe, negant nonnulli: quod graue atque difficile ſit, vt Socrates arbitrabatur, eum, in quo inſit ſcientia, alteri cuipiam rei ſubijci, & huc, illuc quaſi mancipium *contra, quam ſcientia dictet,* trahi: ac proinde Socrates, quaſi nulla ſit incontinentia, rationem eorum, qui eam ſtatuebant, oppugnabat. Neminem enim, qui bene de rebus exiſtimaret, quicquam aliud, quam quod ſit optimum, agere: & ſi agat, ob inſcientiam agere. Verum hæc oratio peccat: tum quia experimentis aduerſatur: tum quia poſito, motum incontinentis proficiſci ab ignorantia, erat ei inquirendum, quis

qualisve

qualiſve ſit huius inſcientiæ modus. Negari enim non poteſt, incontinentem ea, quæ agit, putare, non eſſe agenda: prius tamen, quam perturbatione concitetur. *Nam tria momenta in incontinente ſunt conſideranda. vnum eſt, quod antecedit actum; in quo quis cenſet non eſſe cupiditati indulgendum. alterum quod inſtat: dum, ſcilicet, peccat: tunc vero ignorans eſt, vt ebrius, qui parta ante ebrietatem ſcientia vti non poteſt. poſtremum quod ſequitur; in quo peracta re turpi, redit ſcientiæ actus, & pœnitentia ſubſequitur. Hæc ſi Socrates diſtinxiſſet, non fuiſſet veritus admittere incontinentiam: cum incontinens quidem agat contra ſcientiæ habitum: non contra actum.* Sunt autem nonnulli, qui ex his alia concedunt, alia negant. fatentur illi quidem nihil eſſe ſcientia potentius. Sed neminem quicquam præter id, quod ei melius viſum eſt, agere, non fatentur: *Nam ſi rerum agendarum opinionē habeat, non ſcientiā, poterit contra illam agere: quod opinio dubia ſit & infirma.* atq; ob hanc cauſſam dicunt, incontinentem, cum non ſit ſcientia firmatus, ſed opinione tantū imbutus, ſuperari à voluptatibus. *nam ſi ſcientiā haberet, non vinceretur.* Sed errant. Nā ſi incontinens opinionem haberet de voluptatibus reijciendis, non ſcientiam: ſeu infirmam, & imbecillam exiſtimationem, non firmā: eſſetque vt is, cuius in dubio eſt animus; ſequeretur, illi eſſe ignoſcendum, ſi in ea exiſtimatione aduerſus vehementes & firmas cupiditates non permaneret. *dum enim vacillat animus infirmitate ſententiæ, facile huc, illuc impellitur.* at improbitati, aut rei vlli cuiquam vituperabili, *qualis incontinentia eſt*, venia non datur. Alij vero cenſent, incontinentiam eſſe conatum, atque niſum contra prudentiam: eaque reclamante in res turpes labi, quod cupiditas res quædam ſit potentiſſima. At hoc eſt abſurdum. Sequeretur enim, eundem hominem ſimul prudentem, & incontinentem eſſe poſſe. id vero fieri non poteſt. nam nemo prudentis eſſe dixerit, ſua voluntate res improbiſsimas agere. *Incontinens ſponte in malum ruit: prudens vero minime: ſeparantur itaque.* Præterea ſupra docuimus eum, qui ſit prudens, ad res agendas eſſe aptiſsimum: quippe qui in extremis, hoc eſt, in rebus ſingularibus, verſetur, alijsq. virtutibus ornatus ſit. at qui eſt ad agendum aptiſsimus, & comitatu omnium virtutum inſtructus, quo pacto incontinens eſſe, *hoc eſt, peruerſe agere, ac rei turpi miſceri*, poteſt? Alij etiam exiſtimant, continentiam ab intemperantia non diſtingui. quod & falſum eſt. Nam ſi continentis proprium eſt, vehementibus, & malis incendi cupiditatibus: profecto neq; continens erit temperans, neque temperans continens. Nam neque immoderatum quicquam experiri, neque malis cupiditatibus affici, temperantis eſt. atqui ita eſſe oporteret, ſi tēperantia idem eſſet, quod continentia. *Quod ſi reſpondeant, cupi-*

ditates

ditates illas, quibus continentia reluctatur, non eſſe prauas, vel immoderatas: nec proinde concludi, continentiam non diſtingui a temperantia; contra opponam, ſi cupiditates iſtæ non ſunt prauæ, ſequi, vt malus ſit habitus, qui eas ſectari prohibet. non igitur bona omnis eſſet continentia. Adhuc ſi hæ cupiditates ſint imbecillæ, neque malæ: ergo eas vincere non erit glorioſum; ſin malæ ſint & imbecillæ, non erit magnum. *at continentia magni cuiuſdam, & glorioſi operis cenſetur: verſatur ergo circa vehementes cupiditates. hæ ſunt à temperantia remotæ; continentia igitur ac temperantia non ſunt idem. Alij etiam cenſent continentiam eſſe idem cum permanſione in propria ſententia: incontinentiam idem cum receſſu a ſententia.* Atqui ſi in omni ſententia perſeuerantem continentia efficit, mala eſt: puta, ſi ſententia praua fuerit. *nam in praua ſententia perſeueraſſe, malum eſt.* tum etiam ſi de omni opinione incontinentia facile dimouebit, incontinentia aliqua erit bona. Exempli cauſſa, Sophoclis Neoptolemus laudatur, quod non perſeueret in conſilio doloſo, & fallaci, quod ei Vlyſſes dederat, *vt Philoctetam deciperet; ac ſimulans ſe cum eo in Græciam tendere, ad Græcorum caſtra circa Ilium hominem deduceret. porro ab initio Neoptolemus ſubdole Philoctetam fuerat aggreſſus; poſt generoſus adoleſcens conſilium mutat, quod ei mentiri turpe ſit, & moleſtum: ac rem omnem Philoctetæ aperit, inquiens.*

O Iuppiter quidagam? ipſe deprehendar malus?
Dum falſa dico, & cœlo quæ non debeo?
Celabo te nil: explicabo at omnia:
Troiæ neceſſe eſt mecum vt adeas littora.

Mutatio itaque conſilij aliqua eſt laude digna: incontinentia vero ſemper vituperabilis: non ſunt igitur idem. Patet hoc ipſum in Sophiſticis rationibus, quas mentientes vocant, quibus aduerſarium ad aſſentiendum rebus inopinatis, & à communi ſenſu abhorrentibus, adigere volunt: vt ſi id aſſequuti fuerint, ſolertes, & acuti videantur. ijs enim ligatur mens, cum neque vult ſiſtere, quia non probat, quod concluſum eſt: neque longius progredi, ſeq. ab ijs vinculis expedire poteſt, propterea quod collectam rationem diſſoluere nequit. *quare vbi fuerit falſæ concluſioni aſſenſus, ſi poſtea recedat, laudatur.* eſſet *igitur aliqua incontinentia laudabilis.* Demum ſi incontinentia eſſet deiectio de ſententia, poſſet virtus ex duobus vitijs coaleſcere: ex imprudentia ſcilicet, & incontinentia. Da enim hominem incontinentem ſimul, & imprudentem, ac exiſtimantem aliquid, quod bonum ſit, eſſe malum; *vt non licere veſci carnibus, quod Pythagorei,* aſſeuerabant: hunc vero pone impetu incontinentiæ ab eo errore dimoueri: certe ex duobus vitijs functio exiſtet virtutis; & incontinentia ad

ria ad bonum fertur: quod dici vere non poteſt. *Sunt etiam, qui cenſent, continentiam eſſe de numero bonorum: incontinentiam de numero prauorum. recte id quidem: ſed peccant, quia non explicant in quo bonorum, vel malorum genere ſint: & num incontinentia ſit vitio deterior: an æque mala, vel minus mala. Videtur enim eam eſſe deteriorem intemperantia*. nam qui ea, quæ iucunda ſunt agit, & perſequitur, quia ita agi debere, perſuaſum habeat, melior eo videtur, qui repugnante opinione propria, ob ſolum incontinentiæ impetum, eadem perſequitur. facilius enim ſanari poteſt qui ex ignorantia peccat, cum remedium adſit, puta, ſi ex propria ſententia dimoueatur. At incontinens huius remedij ſpe fruſtratur: peccat enim contra dictata rationis: nihilq. adiumenti ex mutatione ſententiæ percipere poteſt. Quare in illum quadrat tritum communi ſermone prouerbium: Cum aqua fauces præmit, quid oportet ſuperbibere? *notum eſt autem ſingultui, & ſi quid fauces premit, remedium eſſe aquæ potum. talis eſt incontinens, cui, cum ratione abundet, ſuperuacanea eſt omnis admonitio, vel in contrarium allata ratio. Intemperantia vero facilior ſanatu videtur, quia ex praua opinione agit, quam facile abijciat. Hæc igitur erant diſſoluenda.* Poſtremo nonnulli cenſebant, continentiam, & incontinentiam non verſari in vna quapiam re definita, ſed in multis: vt in ira, honore, pecunia, & ſimilibus. Verum ſi incontinentia, & continentia latum adeò peragrarent campum, nemo ſimpliciter incontinens dici poſſet. Nemo enim in omnia vitia effunditur: nemo omni incontinentiæ genere affectus eſt, at aliquos dicimus ſimpliciter, & abſolute incontinentes: *non addendo ſcilicet incontinentem iræ, honoris, vel alterius rei. hi vero ſunt, qui modum nullum corporis voluptatum captandarum faciunt.* Et hæ quidem tales ſunt difficultates, quæ dubitationem afferunt; quarum aliæ tollendæ, aliæ relinquendæ: *cum alia verum concludāt, alia falſum*. Difficultatis enim & dubitationis diſſolutio *veritatis* inuentio eſt; *ac bene ille nodū ſoluerit, qui fuerit veritatē conſequutus.*

Soluuntur nonnullæ ex propoſitis difficultatibus: & oſtenditur, vti agant incontinentes. Cap. III.

PRimum igitur, vt difficultates proxime allatæ diluantur, videndum, an incontinentes peccent ſcientes, & quomodo ſcientes: deinde quibus in rebus continens, & incontinens verſentur: num in omni voluptate atque dolore: an in certis voluptatibus, & doloribus: & num continens, & patiens idem ſint, an differant: itemq. de alijs differendum, quæ ſunt huic diſputationi cognata. Inde vero

initium faciendum, An continens & incontinens inter ſe differant, & appellentur ex ijs rebus, in quibus verſantur: an potius ex habitu, ſeu affectione, quam ad eaſdem res ſibi ſubiectas diuerſam habent: an potius ex vtriſque? Deinde videndum, an in omnibus continentia, & incontinentia verſentur nec ne. Non enim qui abſolute incontinens eſt, in omnibus verſatur: ſed in ijs tantum, in quibus intemperans. Neque eo dicitur, quod abſolute ad ea, in quibus intemperans occupatur, affectus ſit (idem enim eſſet incontinentia, quod intemperantia) ſed quod hoc modo affectus ſit: diuerſo ſcilicet ab intemperante. nam intemperans conſilio capto ſeruit cupiditatibus, exiſtimans præſentem iucunditatem ſequi ſemper oportere: incontinens vero cum id exiſtimet non eſſe agendum, agit tamen; ac eaſdem ſequitur cupiditates, quas intemperans. *Verſantur itaque in ijſdem cupiditatibus, ſed non eodem affectu.* Nec qui cenſent, incontinentem agere peruerſe, quod cupiditatis fugiendæ opinionem habeat, non ſcientiam, aliquid afferunt, quod ad præſentē difficultatē enodandam faciat. Sunt enim qui ſuis opinionibus adeo pertinaciter hærent, vt non magis ab ijs diuelli poſſint, quam ſi rem demonſtratione tenerent. Si igitur ij, qui opinionem habent, propterea quod leuibus, & imbecillis adducti coniecturis, credunt rem ita eſſe, vt opinantur: facilius, quam qui ſciunt, contra propriam exiſtimationem agent: nihil inter ſcientiam intererit, & opinionē. Nonnulli enim non minorem habent fidem erroribus, de quibus opinionem habent, quam alij habeant ijs, quę ſciunt: *vtrique igitur, & qui opinantur, & qui ſciunt, aeque in propria erunt ſententia defixi*. Declarauit hoc Heraclitus, *qui omnia moueri aſſerebat, vt in Topicis relatum eſt, & Plato teſtatur in Cratilo; ac pertinaciter aſſeuerabat, in eundem fluuium neminem iterum ingredi poſſe: tum Cratilus ipſe, qui aiebat, ne ſemel quidem in eundem fluuium ingredi licere*: quapropter quo ad hoc pertinax opinio, & ſcientia eaſdem habent vires; ac æque ab opinione pertinaci prohibebitur incontinēs, ne contra illam agat, ac per ſcientiam prohibetur ab agendo contra ſcientiam. *Hæc quo ad primam dubitationem. Quod vero ſpectat ad illam, An incontinens agat ſcienter, nec ne*: aduertendum eſt, ſcire dupliciter dici: nam ſcire dicitur tam is, qui cum ſcientia ſit præditus, ea non vtitur, quam qui eadem præditus eſt, & vtitur. Intererit ergo, num quis, quæ ſcientia ſemel comprehendit, neque animo cernat, neque contempletur: an re ipſa, quæ ſcit, mentē verſet, agatq. ea, quæ ſcit non eſſe agenda. Mirum porro videatur, ſi in eorum, quæ ſcit, cogitatione defixus, contra id, quod ſciētia præcipit, agat: non ſi ab eorundem contemplatione longe poſitus, quid à ſcientia alienum perficiat. *talis eſt incontinens. hic enim*

vi per-

vi perturbationis, atq. cupiditatis de mente deiectus, quæ ſcit, contemplari, vel cogitatione decurrere non poteſt. Deinde cùm propoſitionũ, ſeu enunciationum aliæ ſint vniuerſæ, aliæ ſingulares; nihil prohibet, quo minus is, qui vtrumque genus tenet, generali, & vniuerſa enunciatione, non illa, quæ ad ſingularia pertinet, vſus, aliquid agat præter ſcientiam. *V. g. ſi hac quidem enunciatione vtatur: Abſtinendum turpibus; hac vero non vtatur, iſta voluptas eſt turpis:* atqui res ſingulares tantum ſub actionem veniunt, mouentq. ad agendũ. *vt mirum non ſit hunc, qui in ſingulari propoſitione deficit; labi, & peccare: quod etiam contingit in ijs, quæ contemplationi ſubijciuntur.* Quin etiam ipſius vniuerſalis propoſitionis aliquæ ſunt differentiæ. nam vel in ſe ipſa vertitur, & ſiſtir, vt, omni homini ſicca proſunt: *nihil vltra addendo:* vel ad rem accõmodatur, puta deſcendendo ad ſingularia; quæ quidem ſingularia ſunt duplicis generis. vel enim a nobis ignorari non poſſunt, vt omni homini ſicca proſunt, & hic eſt homo: vel poſſunt ignorari, vt omni homini ſicca proſunt, & hoc eſt ſiccum: *illud enim ſenſibus notum eſt, hoc non item.* Quare ſit ne hoc ſiccum, aut neſcit; aut ſi ſcit, ſcientis munere non fungitur. Incredibile igitur eſt, quantum hæc duo genera inter ſe differant; adeo vt, ſi quis vel ſciens, nec id, quod ſcit, mente voluens: vel in vniuerſa enunciatione ad ſingulare, quod ignoratur, deducta peccet, nihil ſit abſurdi: ſin priore affectus modo, valde mirũ. *At incontinens ſimilis ei eſt, qui ſingularem enunciationem ignorat, puta, hoc eſſe ſiccum. Nam vel ſimpliciter, vel ſaltim quo ad actum ignorat hoc, quod facit, eſſe turpe.* Præterea alio quopiam modo, præter dictos, ſcientia præditi ſumus, nec ea vtimur: adeo vt habitum quodammodo habere, vel non habere videamur: cuiuſmodi ſunt, qui dormiunt, & furioſi, & vinolenti. quibus ij adiungendi, qui perturbatione aliqua ſunt concitati: puta ira, cupiditate rerum Venerearum, & ſimilibus. hæ nanque perturbationes perſpicue corpus immutant: nonnullis quoque hominibus furorem immittunt. His etiam incontinentes ſunt ſimiles, eodemq. modo affecti. Neque vero, ſi incontinentes, vel alij ex dictis, rationes, & ſententias a ſcientia ductas pronuntiant, vt, *Non eſſe maculam per voluptates animo inferendam:* ſatis ſigni ſit, illos ſcientiæ conuenienter agere. Nam qui his animi perturbationibus æſtuant, demonſtrationes, ac verſus Empedoclis recitant; & pueri verba, quæ memoriæ mandarunt, connectunt, proferuntq.; ſed neutri intelligunt: *hi ob ætatem, illi ob perturbationem.* Oportet enim ea, quæ pueri didicerunt, vna cum ætate adoleſcere, *vt vis intelligendi robuſtior fiat, illaq. magis hæreant animo:* cui rei tempore eſt opus. Quo circa incontinentes non male comparauerim hyſtrionibus, qui non ex animo verſus proferunt in ſcæna,

ſed ſimulant: & ſententias effantur alijs, non ſibi, accommodatas. Adhuc etiam huius rei cauſſam ex natura ſpectare licet. nam cum opiniones aliæ ſint de rebus vniuerſis, aliæ de ſingularibus, quarum ſenſus eſt arbiter, ac dominus: vbi ex duabus iſtis enunciationibus vna effecta ſit, & illata enunciatio, ſiue concluſio, neceſſe eſt, in ijs quæ ſunt cognitionis, & contemplationis, animum id, quod cõcluſum eſt, enunciare, & affirmare: in ijs autem, quæ ad actionem ſpectant, ſtatim ſequi actionem. *Nam datis duabus his enunciationibus, omne compactum ex contrarijs corrumpitur: talis eſt adamas: mens neceſſario aſſentitur huic concluſioni: ergo adamas corrumpitur: &*, ſi quis concedat Omne dulce guſtandum eſſe, & hoc eſſe dulcẽ, neceſſe eſt (ſi poſſit, nec prohibeatur) ſimul atque dictum eſt, ſtatim guſtare. Tribus itaque enunciationibus incontinentis menti obuerſantibus: prima quidem vniuerſa, quæ *rationem ſequitur*, atque guſtare prohibet: altera vniuerſa illa quidem, ſed quæ malo accommodatur, vt, Omnia dulcia eſſe iucunda: poſtrema ſingulari, vt, hoc eſt dulce: (hæc autem eſt quæ mouet) ſi cupiditas forte adſit, ſequitur guſtatio. nam etſi prima illa opinio fugere iubet, cupiditas tamen, *alijs adiuta enunciationibus*, aliò trahit. poteſt enim vnãquamque animi partem, *illis fulta præſidijs*, commouere. Ita fit, vt à ratione, & opinione quodammodo naſcatur incontinentia: non quod opinio per ſe ſit rationi contraria, ſed ex euentu: ſcilicet, quia incontinens male ratiocinatur, deſeritq. propoſitionem illam vniuerſam, prohibentem guſtare, vel turpia facere. Totum vero id malum, quantumcunque eſt, non opinioni, ſed cupiditati tribuendum, quæ rationi rectæ aduerſatur: *& opinionem, ſeu propoſitionem illam vniuerſam, Omne dulce eſt iucundum, commouet contra rationem. nam ea per ſe non aduerſatur rectæ rationi*. Hinc etiam colligere eſt, cur beſtiæ non ſint incontinentes: ſcilicet, quia de vniuerſis non exiſtimant: cum hæc fiant ex ſingularibus per ratiocinationem, cuius belluæ non ſunt potentes: habeant vero tantum quandam ſingularium viſionem, & memoriam. Quo pacto autem incontinentes, inſcientia depulſa, ſcientiam recuperent, ex ebrijs, & dormientibus deprehenditur. eadem eſt enim iſtorum omnium inſcitiæ frangendæ, ac ſcientiæ recipiendæ ratio: non huius perturbationis propria. hæc autem ab ijs petenda, qui de rerum natura diſputant. *Ab his porro traditur, aſcendentibus vaporibus fieri ſomnũ, ligato ſenſu communi, qui etiam in ebrietate ab ijſdem obſtupeſit, ſiue confunditur: ijſdem euaneſcentibus, redire homines ad officium; ſomno, & ebrietate diſcuſſa. Ita incontinens, cum prius munere ſuo fungeretur, hærendo vniuerſæ propoſitioni, Turpia non ſunt admittenda; inſurgente interim propoſitione alia, Omne dulce iucunditatem*

parit,

parit, tum alia, Hoc eſt dulce, mente obſtupeſit, quaſi vaporibus in ſublime latis; compelliturque a cupiditate ad guſtandum. Sed tandem ſatiato appetitu, euaneſcunt nebulæ illæ, ac vis cupiditatis remittitur; mens, diſcuſſa caligine, ad ſe, munuſq. ſuum redit, repetit ſinceras voluptates, reuocat ad ſe præcepta integra virtutis: pœnitetq. illã, quod victã rerum iucundarum aſpectu, ab optimis conſilijs diſceſſerit. Non immerito etiam id, quod Socrates quærebat, ſcilicet, incontinentem eſſe ignorantem, euenire videtur: neque enim ſolum non conſiderat vniuerſam propoſitionem cupiditati aduerſantem: verum nec ſingularem, quæ eſt functionum domina: nam ne dum malas, atque turpes voluptates fugiendas non conſiderat: verum nec etiam ſingularem illam enunciationem, Hæc eſt turpis voluptas, niſi forte vinolentorum more, verſus Empedoclis recitantium: nam hoc modo ſcientiam habere, eſt quaſi non habere. Quoniam vero ſimilem vim ad efficiendam ſcientiam terminus vltimus, ſeu propoſitio ſingularis, & id, quod in vniuerſum enunciatur, ſeu propoſitio vniuerſa non habent, poſſet ſententia Socratis, ſcientem non poſſe incontinenter agere, aſſeuerantis, ad bonum ſenſum reuocari. *Propoſitio enim vniuerſa, vt quæ a ratione pendet, ſcientiam vere, ac propriè complectitur: propoſitio vero ſingularis, cum ſenſu nitatur, infirma eſt: & opinio potius dicenda, quam ſcientia.* Præſente igitur illa, quæ vere, ac proprie videtur eſſe ſcientia, non fit perturbatio; nec eã ſciẽtia a perturbatione conuellitur: ſed vbi ſingularis illa exurgit, quæ licet rationi non aduerſetur, infirma nihilominus eſt, & facile conuellitur: *qualis hæc eſt: In hoc facto, quòd ſe offert, ineſt turpitudo, hæc porro facile euertitur, vt opinio. fieri enim poteſt, vt quis cenſeat, poſſe actum excuſari, veniamq. ei dari: vnde ſtatim ſequitur incontinentis operatio. Atque hic alius eſt modus vltra prædictos, quo declaratur, incontinentem poſſe præter ſcientiam agere. neque enim agit contra vniuerſam illam firmamq. enunciationem; cum ea non vtatur: ſed contra opinionem ſingularem, & infirmam.* De eo igitur, quod eſt ſcientem, vel inſcientem incontinenter agere, & quomodo qui ſcit, incontinenter agat, hactenus a nobis dictum ſit.

S C H O L I O N.

CVm ſenſu nitatur.] non aliquo ex ijs, qui ſunt extra: illi enim vel numquam decipiuntur, vel quam rariſſime: vt Ariſtoteles docet lib. 3, de an. t. 90. ſed dianœa, vel exiſtimandi facultate.

De Materia Continentiæ, & Incontinentiæ. Caput. IV.

DEinceps vtrum ſit aliquis abſolute incontinens, an omnes incõtinentes ex parte ſint tales, ac certa in re peccent, dicendũ eſt.

Et

Et quidem continentes, & patientes, incontinentes, & molles in voluptatibus & doloribus verſari perſpicuum eſt. Sed quæ voluptatem pariunt, alia ſunt neceſſaria, vt quæ in victu, *& ad tuendam ſpeciem*, in Veneris vſu poſita ſunt: cęteraq. huius generis, quę ad corpus pertinent, in quibus temperantiam, & intemperantiam locauimus: alia non ſunt neceſſaria illa quidem, ſed nihilominus per ſe ſunt expetenda; itaq. expetenda, vt ſupra modum expeti poſſint: vt victoria, honos, diuitiæ, taliaq. bona, & iucunda. Igitur qui in his præter rectam rationem, quæ in ipſis ineſt, modum ſuperant, non dicuntur abſolute incontinentes, ſed cum adiectione: vt pecuniæ incontinentes, vel lucri, aut honoris, aut iræ: abſolute vero nequaquam, tanquam ab illis diſſimiles, & ex quadam ſimilitudine ſic appellentur: vt cuidam Olympiorum victori Homo nomen erat; appellabaturq. is communi hominum nomine, cum nihilominus eius ratio, etſi paullo à communi differret, alia tamen eſſet. *Cum igitur vno eodemq. nomine plures vtantur: non eſt mirum, ſi qui proprie non eſt incontinens vitio peculiari, incontinens communi nomine, ſed cum adiectione dicatur*. Signum etiam huius incontinentium diuerſitatis eſt, quia incontinentiam proprie dictam vituperamus non ſolum vt peccatum: ſed etiam vt vitium quoddam aut ſimpliciter, & abſolute, aut aliqua ex parte (neque enim eſt vitium conſummatum, vt intemperantia) illorum autem quos proxime poſui, incontinentium nemo vituperatur hoc modo, *ſed in alio quopiam genere per ſimilitudinem*. Is igitur, qui in illis corporis voluptatibus volutatur, in quibus temperantem, & intemperantem collocauimus: nec eo quod id conſilij ceperit, res iucundas nimium perſequitur: moleſtas, vt famem, ſitim, calorem, frigus, eaq. omnia, quæ ad tactum, guſtatumq. pertinent, præter conſilium tamen, nimis fugit, incontinens dicitur, non cum adiectione huius, vel illius rei, ſed ſimpliciter, & abſolute. Cuius rei hoc argumentum eſt, quod qui harum rerum, tactui, & guſtatui moleſtiam inferentium, nimium ferre non poſſunt, molles dicuntur: non qui à nimio diuitiarum, honorum, iræ vincuntur: *molles autem ſunt incontinentibus affines*. Atq. ob hanc cauſſam in eadẽ re incontinentẽ & intemperantem locamus: itemq. continentem, & temperantem: quia in eiſdem quodammodo voluptatibus, & doloribus verſantur. illorum vero, qui voluptates, doloresve guſtatui, & contactui ſubiectos non attingunt, neminem in eo ordine ponimus. Ea tamen inter intemperantem, & incontinentẽ differentia perpetuo viget; vt in ijſdem, non eodem modo verſentur. nam intemperans ita viuendi conſilium cepit: incontinens non item. Itaque magis intemperantem dicemus eum, qui vel nulla, vel leui cupiditate ductus, immo-

deratas

deratas voluptates perſequitur, & mediocres dolores fugit; quam eum, qui magnis, & indomitis cupiditatibus incenſus idem agat, *nam vbi magis eſt cupiditatis, ibi minus eſt conſilij.* Quid enim ille, qui nulla vel leui cupiditate inflammatus peccat, faciat; ſi acris, & vehementis alicuius cupiditatis accedant incendia, vel ob rerum neceſſariarũ penuriam ingens dolor aliquis eum excruciet? Verum cum cupiditatum, & voluptatum tot ſint genera, quot rerum iucũdarum: harum autem aliæ ſint natura bonæ, honeſtæ, expetendæ; aliæ his contrariæ: aliæ mediæ & interiectæ, vt pecunia, lucrũ, honor, victoria; ſciendum eſt, in his, quæ vel natura bonæ ſunt, vel medio modo ſe habent, vituperari homines, non quod afficiantur, cupiant, ament: ſed quod hoc modo cupiant, vel ament, & quod modum ſuperent in cupiditate. Quo circa qui ſecus, ac ratio præcipit, aut vincuntur, aut perſequuntur aliquod natura bonum, & honeſtum, vt qui nimio parentum, liberorum, honoris amore, ſtudioq. ducuntur, peccant, & vituperantur. Etſi enim hæc in numero bonorum habenda ſint, & qui ea perſequuntur, laudem conſequantur; nimium tamen in illis eſſe poteſt, ſi quis, [2] vt Niobe, cum Dijs pugnet *amori filiorum*: aut immodice patrem amet, [3] vt Satyrus ille, qui Philopater dictus valde in eo deſipere viſus eſt. Vitium igitur hic non naſcitur, quod ea expetantur, quæ nõ ſunt expetenda; ſed quod plus æquo ab immoderata cupiditate expetantur. omnis enim immoderata cupiditas, etiam ſi boni ſit, mala eſt, & fugienda. Similiter autem neque in prædictis eſt incontinentia; ea enim non modo fugienda eſt, *vti peccatum*: ſed vituperatione quoque digna, *vti turpis. In turpibus itaque locum habet: quales ſunt guſtatus, & contactus oblectationes præter modum ſumptæ: non in rebus, quæ etſi fugiendæ ſunt, nihilominus non ſunt fœdæ, atque turpes. eiuſmodi eſt nimia lucri, honoris'ue cupiditas; & immodicus in filios, & parentes amor. quare qui in his per exuperantiam peccat, non eſt incontinens.* Ex perturbationis tamen ſimilitudine, cum tam hi, quam incontinentes ſupra modum cupiant, & vtrique rationis terminos tranſiliant, poſſunt ijdem cum adiectione incontinentes dici: adiectione inquam facta rei, quam immoderate concupiſcunt: vt incontinentes lucri, honoris, paterni amoris: quemadmodum medicum, *qui male arte vtatur*, non ſimpliciter malum dicimus, nec hiſtrionem, *qui male fabulas agat*: ſed illum malum medicum, hunc malum hiſtrionem appellamus: *quod illorum peccatum non ſit vitium abſolute, cuius merito mali ſimpliciter dici poſſint: ſed vitium ſit in arte, quam exercent. quare cum adiectione dicuntur mali.* Vt igitur hi nõ dicuntur ſimpliciter mali; quia in medendo, vel fabulis agendis peccare, non eſt vitium *in moribus poſitum, a quo vno ſimpliciter mali dicimur.*

dicimur, ſed nihilominus proportione quadam & analogia vitio eſt ſimile, *cum vtrumque a recta ratione aberrare ſit: ac propterea medicos & hiſtriones cum adiectione malos reddit:* ſic nimirum exiſtimare debemus, eam duntaxat eſſe incontinentiam, & continentiam, quæ in iiſdem, atque temperantia, & intemperantia verſatur: iram vero, *lucro*, *honore*, *& ſimilibus*, ex proportione quadam continentiam incontinentiamq. conſtitui: ita enim cum adiectione dicimus iræ incontinentem, quemadmodum honoris, & lucri.

S C H O L I A.

1. VT euidam Olympiorum victori.] *Græcus interpres in proœmio, lib. 5. ait, hunc caruiſſe nomine. quid ſi dicamus ignoraſſe præcones vti appellaretur, ac proinde conclamaſſe, Homo vicit Olympia.*

2 Vt Niobe.] *Tantali filia, vxor Amphionis, duodena ſobole quondam felix: Sex enim mares, totidem fæmellas enixa eſt; ac vna menſa accubantes aſpexit. Sed cum auſa fuiſſet Latonæ, quæ duos tantum ſuſceperat, Apollinem ſcilicet, & Dianam, ſe anteponere: tam pulchra ſoboles, & numeroſa occubuit, ſagittis ab Apolline confixa. illa doloris magnitudine in ſaxum verſa eſt.*

3 Vt ſatyrus ille.] *Puellam hic deperibat, qua Soſtrati patris ope tandem potitus eſt. ab eo beneficio adeo patrem amauit, vt eodem defuncto, lucem auerſatus, e rupe ſe præcipitem dederit. tanto pluris apud ſtultum hominem fuit puellam accepiſſe, quam vitam.*

Incontinentiam non eſſe circa delectationes præter naturam, & quot, quæve ſint eius partes.

Caput. V.

RErum iucundarum varia ſunt genera. quædam enim ſunt iucunda natura, *vt cibus, & potus:* & horum alia ſimpliciter, & abſolute omnia animantia delectant, alia hæc, vel illa: *vt diuerſa ciborum genera. nam culmos aſellus amat, ſus glandes, aquila carnes:* Alia vero iucunda quidem ſunt, ſed præter naturam. id vero eſt, partim ob debilitationem corporis membrorum his voluptatibus inſeruientium, prauamq. illorum affectionem: vt qui ob ægritudinem acidum amant: dulce auerſantur: partim ex peruerſa inueterata conſuetudine: partim à naturali ingenij prauitate, ob prauam corporis conſtitutionem. In his ſingulis intueri licet habitus ferinos, & longo interuallo ceterorum malignitatem ſuperantes. Nam & [1] mulier *circa Pontum*, extitit, *omni fera tetrior, & immanior:* quam ferunt grauidis mulieribus perſectis, & apertis, fœtus deuorare ſolitam: & circa eundem Pontum populos quoſdam effe-

ratos nefandis cibis delectari, dicunt: & alios quidem crudis, alios humanis carnibus veſci: alios liberos ſuos interſe mutuo in epulas dare, conſueſſe: quale id quoque eſt, quod vulgo fertur de [2] Phalaride: *eum ſcilicet infantibus e nutricum mammis auulſis veſci voluiſſe. Habitus hi ſunt ferini a vitioſa natura inditi*. Sed alij ſimiles propter morbos, & furores nonnullis innaſcuntur: quali ille affectus erat, [3] qui matrem immolauit, *ceu victimam*, comeditque: & qui conſerui iecur comedit. Alij etiam vel ex morbo, vel ex conſuetudine proficiſcuntur: vt pilorum euulſiones, & vnguium corroſiones: terræ, atque carbonum liguritiones; *quod a nimia bilis atræ, humoriſq. acidi copia prouenit*: adhuc maſculæ veneris vſus: quæ quidem cupiditas alijs naturalis eſt, alijs ex conſuetudine naſcitur, vt qui à pueris conſueuerunt, *ac eos poſtea imitantur, quibus ætatis florem dederant abutendum*. His poſitis, eorum, quibus natura eiuſmodi cupiditatum cauſſam præbet, [4] incontinēs nemo dici poteſt: quemadmodum neque mulieres, quod viris ſubijciunt ſeſe, minimeq. eos ineunt, nemo dixerit incontinentes. *ita enim ſe gerunt, vt natura poſtulat: cum in ſeipſis concipiant*. Qui etiam ex conſuetudine ſunt ad eiuſmodi morbos proni, non dicuntur incontinentes; quia conſuetudo vertit in naturam; quare habent illi iudicium plane corruptū, quod non eſt in incontinente. *Idē iudicij faciendum eſt de morbis, qui habitus ferinos inducunt: ſcilicet, neminem propterea incontinētem dici, cum naturam corruptam gerat*. Improprie tamen in hæc immania vitia cadit incontinentia, quatenus in ijs vel tentari, extra vitij terminos egredi eſt, quemadmodum & feritate ad belluarum naturam proxime accedere: *ita vt in his enormibus factis non ſit incontinens, qui non conſilio capto labitur: ſed qui omnino tentatur grauius, etiam ſi non labatur: tantum ab ijs nos abeſſe decet*. Similiter qui ſuperat eiuſmodi cupiditates, continentis laude non eſt ornandus, niſi per ſimilitudinem; quemadmodum iræ incontinentem eum dicimus, qui non vincitur ira. *ita dicere licebit continentem vel incontinentem nefandæ libidinis, vel ferinæ voracitatis*. ſimpliciter vero continentem, vel incontinentem, & ſine adiectione dicere, non licebit. Nam omnis modum ſuperans amentia, timiditas, intemperantia, ſæuitia, & vt ſemel dicam, omnis eiuſmodi vitioſitas vel ferina eſt, *(aſſuetudine ſcilicet adſcita, aut natura indita.)* vel morboſa, *hoc eſt a morbo inducta*. nam qui natura talis eſt, [5] vt omnia extimeſcat, etiam occentum ſoricis, ferina quadam timiditate timidus eſt. Alius erat, qui felem metuebat: ſed propter morbum. Et ex amentium numero ij, qui natura ſtulti, & [6] inconſiderati ſunt, ac ſolo ſenſu viuunt, ferarum ſunt ſimiles: vt quædam longe a Greciæ finibus poſitæ barbarorum nationes: &

hi quidem natura tales ſunt, alij vero hoc habent a morbo veluti comitiali, & furore: atque hi morboſi dicuntur. Nihil vero interdum obſtat, quo minus aliquis his vitijs affectus tentetur quidem, at non vincatur: vt ſi Phalaris, cum puſionem concupiſcat, vel vt eius carnes edat, vel vt nefariam Veneris voluptatem, 7 *cuiuſmodi fellare eſt*, percipiat, ſe nihilominus cohibeat. nihil etiam obſtat, quo minus immanibus eiuſmodi flagitijs tentetur, & ſuccumbat. *porro nec ille ſimpliciter continens dicetur, nec iſte incontinens: ſed cum adiectione, vitij immanis*. Et quemadmodum improbitas alia dicitur abſolute improbitas, puta, quæ in hominem cadit; alia cum adiectione, non abſolute, quia improbitas ferina, vel morboſa: ſic nimirum incontinentia alia eſt ferina, & immanis, alia morboſa; & vtraque cum adiectione, non abſolute incontinentia dicitur: alia ſimpliciter talis appellatur: & ea ſola hoc nomine appellatur, quæ, ſcilicet, humanæ intemperantiæ conuenit, *ac per eius veſtigia, humanos terminos non egreſſa, incedit.* Incontinentiam igitur, & continentiam in eiſdem verſari, in quibus intemperantia, & temperantia: & in alijs aliud incontinentiæ genus ſitum eſſe, quod nihilominus ex translatione nominis, nõ abſolute dicitur tale, perſpicuũ eſt.

S C H O L I A.

1 *MVlier circa Pontum.*] *Aſpaſius ait Lamiam appellatam.*

2 *De Phalaride.*] *idem Athenæus ex Clearcho antiquo ſcriptore.*

3 *Qui matrem immolauit.*] *Aſpaſius Xerxem Perſarum regem hic notari vult: alij alium.*

4 *Nemo incontinens.*] *habent enim iudicium corruptum. quare ſi ex eo genere ſimilitudo aliqua ijs petenda eſt, ea magis ab intemperantibus accipienda, ſed intemperantiam, & omne humanum vitium ea ſuperat improbitas. Nec probo quod hic ait Ariſtoteles, id vitij a natura interdum dari. vbi enim hominis arbitrij libertas? vbi rationis in omnem cupiditatem imperium? vbi humanæ voluntatis inuictum robur? Hæc certe multum ab ijs, quæ in 3. lib. de Hominis libera in agendo facultate Ariſtoteles ſcripſit, diſcrepant. quare hic eũ ad vulgi ſenſum dixerim loquutum, ac forte ad Platonis Androgynorum alluſiſſe fabulam: vel erraſſe. num enim pudeat pietatis tuendæ cauſſa impie loquentem deſerere magiſtrum? poro ſi improbitas illa eſſet in certis hominibus a natura, non poſſet immaniſſimum crimen pœna vlla iure plecti.*

5 *Vt omnia extimeſcat.*] *Anthemon perpetuo galeatus prodibat in publicum, metuens ne quid supernè caderet, ſibiq. idem, quod Aeſchylo contingeret, vt ſcribit Heraclides. Phrynicus poëta tragicus apum examina, vt gallus gallinaceus, metuebat; quod etiam abijt in prouerbium: Aelianus, lib. 13. var. hiſtor.*

6 Et

6 *Et inconſiderati ſunt.*] *vt Pſilli libiæ populi, qui arma in Auſtrũ ventum, à quo moleſtarentur, ſumpſere: ac arena à vento excitata, ad vnum omnes obruti ſunt. Auctor Herodotus lib. 4. & refert quoque Gellius, lib. 16. cap. 11.*

7 *Cuiuſmodi fellare eſt.*] *eandem nefariam voluptatem Tyberius captauit è puſionibus.*

De incontinentia iræ, & voluptatum differentijs. Caput. VI.

IRæ incontinentia minus eſt turpis, quam incontinentia cupiditatum. nam illa rationem audit aliqua ex parte: ſed negligenter & confuſe, vt miniſtri illi, qui priuſquam id omne, quod eis iniungitur, audierint, exſiliunt: *quales interdum in comœdijs ſerui inducuntur*, deinde ab agendo aberrant: & vt canes, qui, ſi quem fores pulſaſſe, vel alio modo increpuiſſe, ſenſerint, prius quam attenderint, ſit ne domeſticus, nec ne, ſtatim latrant. Sic ira audit quidem illam rationem *aliquatenus*: at ob feruorem, & celerem naturæ motum, imperio non exaudito, nec plene percepto, ad pœnas repetendas omni impetu fertur. Ratio enim aut viſio, ſeu phantaſia in facto cõtumeliam, vel contemptum ineſſe, oſtendit: inde ira, veluti ſi ratiocinando concluſerit, bellũ ei, qui contempſerit, aut læſerit, inferri oportere, continuo ſæuit, & excandeſcit, & acerbitatem in eũ exercet. Cupiditas autem, ſi deprauata ratio, vel ſenſus illud eſſe iucundum dixerit modo, ad voluptatem incitatur: *veram autem rationem non amplius audit*. ita rationem ira quodammodo ſequitur: cupiditas minime. hæc igitur turpior eſt, quam illa; cum iræ incontinens a ratione quodammodo ſuperetur, illud eſſe ludibrium concludente, ac vere concludente; ille autem alter a cupiditate vincatur, non a ratione. Idipſum alia quadam ratione confirmatur. Nam ignoſcendum ei magis eſt, qui naturales appetitiones ſequitur: vnde ijs cupiditatibus, quæ ſunt omnium communes, *vt cibi, & potus*, veniam damus, & quatenus ſunt communes: *nullo ſcilicet adſcito nimis delicato condimento. cum iſta communitas argumento ſit a debilitate, vel propenſione naturæ illas proficiſci*: at ira, & ſæuitia, *in offendentem*, magis naturalis eſt, & communis, magisq. natura transfunditur ad eos, qui ab iracundis originem ducunt, quam cupiditates immoderatæ non neceſſariæ; magis igitur iræ ignoſcendum, quam cupiditatibus. Hac excuſatione ille vſus eſt, cum ſe defenderet, quod patrem verberaſſet. Nam iſte, inquit, ſuum verberauit, & ille ſuum; & paruulo filio ſuo demonſtrato, addidit, hic quoque vir

factus, me verberabit. eſt enim hoc nobis cognatum. Et qui a filio trahebatur, (forte pedibus) vbi ad fores ventum eſſet, eum trahendi finem facere iubebat; nam a ſe quoque ad eum vſque locum patrem ſuum tractum fuiſſe. *Cum igitur filij magis in acerbitate naturæ, quã in cupiditate parentes imitentur; cenſendum eſt, iram eſſe magis naturalem, & genuinam. Et certe res ita ſe habere videtur. nam iracundia non adeo aſſuetudine comparatur, vt cupiditates ventris, & inguinis. illa igitur magis eſt a natura, vt quæ a ſanguine confeſtim excitatur. Cupiditates etiam ſequuntur maiori ex parte phantaſiam: ira vero tẽperaturam. hæc igitur magis connata eſt homini, quam illa.* Quarto, quo quis eſt occultior, & inſidioſior, eo magis eſt iniuſtus, & vituperatione afficiendus. at homo iracundus minime eſt inſidioſus, ſed apertus, vt & ipſa ira: cupiditas vero fallax eſt, & inſidioſa, quemadmodum Poeta *lyricus* Venerem appellauit, Nectentem dolos. & Homerus.

Sic ait; & nitido zonam de pectore ſoluit,
In qua cuncta inerant illectamenta, doliq.:
Hic amor, hic deſiderium, blanduſq. ſuſurrus,
Hic fraus eſt, quæ vel prudentes decipit ipſos.

Vt ergo cupiditatum incontinentia iniquior eſt, quam iræ: ita etiã turpior: eſtque ea abſolutè incontinentia, & quodammodo vitioſitas. Quinto, nemo ſtuprum dolens infert, vel contumeliam aliam facit, ſed cum voluptate. at qui ira incitatus aliquid facit, dolens facit; ſi igitur ea, propter quæ iure optimo iraſcimur, ſunt iniuſtiora; profecto incontinentia ob cupiditatem ſuſcepta multo erit iniuſtior. *ira enim cauſſam habet inſurgendi: non cupiditas*. Incontinentiam igitur eam, quæ in cupiditatibus verſatur, iræ incontinentia turpiorem eſſe: continentiam quoque & incontinentiam in cupiditatibus, & corporis voluptatibus verſari, perſpicuum eſt. Iam vero ad voluptatum differentias tranſeundum, vt quæ illæ ſint, cognoſcamus. Nam quemadmodum initio diximus, aliæ ſunt humanæ, & naturales, tum genere ſuo, tum magnitudine *humanum captum non ſuperante*: aliæ immanes & ferinæ: aliæ ex corporis debilitationibus, morbiſq. natæ. Porro temperantia, & intemperantia, verſantur in primis illis: non in aliis. itaque temperantes, vel intẽperantes belluas non dicimus, niſi per ſermonis translationem: etſi omnino animantium genus aliud ab alio libidine, & profuſa in rem veneream petulantia, rerumq. omnium edacitate differat. vacant enim conſilio, nec rationis agitatione vlla ſunt prædita: ſed ab eiuſmodi natura, non ſecus ac furentes homines, recedunt. Eſt autem feritas *belluarum*, minus quidem malum vitioſitate, ſed horribilius tamen. neque enim in belluis corruptum eſt id, quod eſt optimũ,

puta

puta iudicium, vt in homine : ſed eo carent. *malum vero priuatio eſt boni : & vbi bonum eſſe non poteſt, ibi nec priuatio proprie eſt : nec malum, quod vere malum dicitur. eſt nihilominus horribilius, quia magis detrimentoſum : vti in agente magis fero, & immani poſitum.* Hæc vero inter ſe comparare perinde eſt, ac ſi quis inanimum cum animato conferat, vtrum ſit peius : *leo, an vngues : ſiccarius, an ſica.* ſemper enim innocentior eſt eius improbitas, quod non habet *offendendi* principium, vt ſica : minusq́. eſt pernicioſa. mens autem principium eſt *offendendi. vitioſitas igitur, quæ a mente eſt, pernicioſior & deterior videtur.* Similis quædam collatio fit iniuſtitiæ ad hominem iniuſtum. nam fieri poteſt, vt vtrumque ſit altero peius, *homo, ſcilicet, iniuſtus iniuſtitia, & homo prauus beſtia. Cum enim iniuſtitia ex ſe ad malum tendat, ac proinde res ſit horribilis; malum tamen nullum facit, niſi ab iniuſto homine exerceatur. quod item in omnibus inſtrumentis reperire eſt.* Adde, infinitis partibus plura mala inferri ab homine vitioſo, & improbo, quam a fera : *quoniam ratio ad plura mouet, quam natura : quare ſi ei accedat inprobitas, ad plura, & grauiora mala erumpet. Eſt ergo vitioſitas, quam feritas, deterior.*

Comparantur continentes, & incontinentes cum conſtantibus, & mollibus. Cap. VII.

QVi a cupiditatibus guſtatus, & contactus vincitur, vt ſupra diximus, incontinens eſt : qui earundē victor remanet, continēs. ita etiā qui doloribus à guſtatu, & cōtactu prouenientibus vincitur, fractus eſt, & mollis : qui ſuperior ijs euadit, conſtans, ſeu patiens, vel tolerans. *nam qui vini penuriam moderatè fert, tolerans, qui dolorem inde percipit, mollis dicitur.* Et quidem, habitus illi, qui *ad doloris tolerantiam, vel voluptatum vſum pertinentes,* in vulgaribus hominibus reperiuntur, ſunt inter hos interiecti; magis tamen ad vitioſos vergunt. *plerique enim e vulgo ſuperantur à doloribus, quibus tolerans ſuperior eſt : & eos quoque dolores vincunt, quibus mollis infringitur. voluptates item refrænant, quibus incontinens vincitur : ſuccumbunt ijs, quibus continens reſiſtit. ſunt itaque medij : ſed ita medij, vt, (quæ natura vulgi eſt) in deterius inclinent.* Voluptatum autem aliæ ſunt neceſſariæ, aliæ non neceſſariæ. & illæ quidem ad certum terminum ſunt neceſſariæ; ſed earum neque nimium, neque parum ſunt neceſſaria. Similiter de cupiditatibus, & doloribus eſt ſentiendum. Qui iucunditates immoderatas, & non permiſſas, vel permiſſas & honeſtas immoderate perſequitur conſilio capto, &

propter

propter ipſas capto, non propter aliquid aliud, quod ex eis redeat; *(vt qui mœchatur, vt lucrũ faciat.)* is eſt intemperans. Et quoniã non eſt facile, vt eum facti pœniteat, inſanabilis eſt. Nam qui ita natura comparatus eſt, vt eum errati non pœniteat, is ad ſanitatẽ nunquam reuertitur. Intemperanti opponitur is, qui modum deſerit in voluptatibus expetendis. medius temperans dicitur. Similiter quoque intemperans eſt, qui dolores corporis fugit; non quia vincitur, ab illis (*id enim mollis quoque facit*) ſed quia conſilium cepit ita viuendi. *Hic mollem ſuperat, quia ex deliberatione agit, & cum proprio careat nomine, communem accipit intemperantis appellationem, vti molli deteriorem. eſt enim natura pluſquam mollis.* Eorum autem, qui non conſulto ita viuunt; nec electione labuntur, alius voluptate trahitur, quam ſe ſperat percepturum, eiuſque cupiditate quouis impellitur; alius, quia dolorem fugit ex cupiditate, ni expleatur, imminentem. hic mollis eſt, ille incontinens. itaque inter ſe differunt, vt docuimus. *Quibus explicatis, ſupereſt vt prædictos habitus inuicem comparemus.* Porrò communi omniũ iudicio deterior ille eſt, qui nulla, vel leui cupiditate affectus, turpe aliquid admittit, quam qui vehementi compulſus: & qui non iratus alterum pulſat, quam qui idem faciat ira incitatus. quid enim ille faceret, ſi vel ira, vel cupiditate inflammaretur, cum etiam non perturbatus inferat iniuriam? Quod ſi ita ſe res habet, intemperans erit incontinente deterior. *vt enim ita ſibi viuendum eſſe decreuit, ita modica incenſus cupiditate, turpe admittit. incontinens vero cum decreuerit turpia non facere, non niſi magna cupiditate ſuperatur.* Incontinenti autem continens opponitur; molli patiens. nam continentia, in vincendo conſiſtit: (*ſuperat enim cupiditates*) patientiæ in reſiſtendo; *nam tolerat dolorem.* Aliud autem eſt reſiſtere, aliud vincere; quemadmodum aliud eſt non vinci, aliud vincere. *nam reſiſtere, non vinci eſt.* quare continentia optabilior eſt, quam patientia. *præclarius enim eſt vincere, quam ferre, ſiue non vinci.* Neque vero omnes, qui quibuſuis doloribus non reſiſtunt, ſtatim ſunt molles dicendi; ſed qui non ſunt ijs ferendis pares, quibus plerique obſiſtunt, & obſiſtere poſſunt. hi porrò molles ſunt, & delicati: nam delicię mollities quædam eſt; vt qui veſtem trahit, ne quid in ea attollenda ſentiat laboris, vel doloris; & cum ægrum imitetur, *animoq. ſit fluxo,* miſerum ſe eſſe non aduertit, qui tamen ſit miſero ſimilis. *Eiuſmodi ſunt homines effæminati, qui non niſi famulis inniꝑi gradiuntur, vt mulieres in vtero gerentes, vel delicatiſsimæ virgines, robuſti alicuius baachio ſub axillam inſerto.* Idem de continente, & incontinente ſentiendum. *Neque enim qui leuiſsimam aliquam vincit cupiditatem, continens eſt.* Neque qui a vehementibus, & immodicis voluptatibus ſu-

bus ſuperatur, vel doloribus, incontinens. immo ſi reſiſtendo ſuccumbat, venia interdum ſit dignus: vt apud Theodectem Philoctetes a vipera *manum* ictus, *dū in Lemno repurgat aras ad ſacrificium. Diu enim vehementiſſimos cruciatus pertulit, & vocem continuit: ſed tandem dolore victus, exclamat, Succurrite precor mihi, & manum abſcindite*. Cercyon quoque, apud Carcinum in Alope fabula, filia a Neptuno ſtuprata, ac ſtupro & ſtupratore cognito, etſi multū contra dolorem conatus fuerit, nihilominus eius magnitudine victus, in lamenta, quæ diu compreſſerat, laxatis habenis effuſus eſt; non ſecus ac qui, cum riſum continere conentur, vniuerſum poſtea effundunt, quod Xenophanto accidit. *hic enim cum id maxime nollet, in cachinnum crepuit. Iſti ergo, qui ab immodicis voluptatibus aut doloribus ſuperantur, nec molles ſunt, nec incontinentes: ſed potius venia digni*. At ſi quis ab ijs voluptatibus vincatur, quibus multi poſſunt obſiſtere, incontinens erit: & qui ſimiles dolores ferre non poterit, mollis iure optimo dicetur; ſi modo id eis non contingit, vel propter generis naturam, ſeu gentis vitium, quemadmodum Perſarum, ſeu Scytharum regibus mollities propter genus innata eſt; vel propter morbum, *vt apoplecticis, quibus motio omnis moleſtiſſima eſt: vel propter naturæ infirmitatem*, vt fœminis, quæ *robore, & conſtantia*, longe a maribus diſtant. *Hi neque ſunt molles, neque incontinentes, quia in ipſis ſitum non eſt, ijs voluptatibus, & doloribus obſiſtere, quibus vulgus reſiſtit. erunt nihilominus tales, ſi quæ fœminæ non ferant ea, quæ ceteræ ferre ſolent: & ſi quis ex illis regibus ijs non reſiſtat, quibus eius gentiles obſiſtere conſueuerunt*. Atque etiam is, qui ludo, & ioco magnopere deditus eſt, intemperans quidem videtur; ſed mollis eſt potius. ludus enim requies eſt, & remiſſio animorum. *at mollis requiete oblectatur, & voluptate; nec dolet*. iocoſus vero eſt, qui requietem immoderate cupit, & in eo modum ſuperat. hic igitur mollis eſt. Denique ſciendum eſt, incontinentiam ex gemino fonte naſci; ex temeritate ſcilicet, & imbecillitate. alia enim eſt feſtinatio præceps; alia imbecillitas. Ab imbecillitate incontinenter agunt ij, qui, cum ſtatuerint, non obtemperare cupiditati, non perſtant in ſententia, victi magnitudine perturbationis. A temeritate vero prodeunt illi, qui nulla habita deliberatione, aſpectu rei iucundæ ſubito abducuntur. *(Planum inde fit, incontinētem quoque eſſe eum, qui non eſt reluctatus cupiditati, ſi tamen peccet conſilio minime capto.)* Sed multi reſiſtunt voluptatibus eo vſi remedio, quo illi, qui cum præſentiunt ſe ab alijs fore titillandos, prius ſe ipſos titillant, & aſſuefaciunt, ne ad externum contactum poſtea titillationem ſentiant. ita nonnulli, cum aduertant turpes voluptates vicinas eſſe, *& quaſi truculentas feras ad pugnam ſe accingere,*

cingere, ſe ipſos mature expergefaciunt, armant rationẽ, inſtruuntq́. ad pugnam, ita vt minime vincantur à perturbatione, ſiue iucunditatem ea oſtentet, ſiue dolorem intentet. Sed cum, vt paullo ante diximus, duo ſint incontinentiæ fontes, & ipſa quoque duplex ſit pro ratione principij; in ea, quæ præceps, ac temere fertur, valent ij, qui tum acuta, tum atra bile vexantur; acuta enim ob celeritatem non permittir rationis iudicium exſpectari; atra vero ob concupiſcentiæ vehementiam nec ipſa præbet rationi locum. *quod enim cupit, nimis cupit*. quare vtrique bili familiare eſt, vt, quodcumq. per viſionem, ſeu phantaſiam oblatum fuerit, illud ſtatim ſequatur.

SCHOLIA.

* *TVm acuta, tum atra bile.*] *acuta bilis flaua eſt: vellicatq́. corpus ſua acrimonia, vt in febrium tertianarum rigoribus videre eſt. Melancolicus vero humor, qui natura ſua frigidus eſt, & ſiccus, ſi calore non naturali corripiatur, & in atram bilem degeneret, tum vehementiora alia inducit ſymptomata, tum pruritum excitat intollerabilem, ſæuosq́. dolores. Cui rei fidem faciunt Elephantiaſis. cancri, quartanæ febres, & quiuis alij morbi ex il.o humore orti. tantam enim acrimoniam acquirit, vt aceti inſtar, terram fermentet. quare ob ſpirituum impuritatem vtraque turbulentas, at poſterior pertinaces magis excitat in animo imaginationes. Sunt enim melancholici obſtinatiſſimi. Sed nihilominus moderata melancholia confert ſapientiæ, tum ad inueniendum, tum ad inuenta firmiter retinenda. eſt enim frænum ſanguinis. Ideo pleroſque ſapientes melancholicos fuiſſe ſcribit in Problemat: Ariſtoteles.*

De varijs incontinentiæ, & intemperantiæ differentijs. Caput. VIII.

INtemperantem, vt ſupra diximus, non facile ſuorum factorum pœnitet; perſtat enim in conſilio ſuſcepto. incontinentem vero facile pœnitet. *neque enim ex conſilio agit: ſed vel temere, vel vi cupiditatis*. quare non ita ſe res habet, vt ſupra obijciebamus, *cum incontinentis deſperatam eſſe ſalutem ex aliorum ſententia diceremus, quod contra rationis dictata peccet:* ſed hic quidem ſanabilis eſt, *cum iudicium integrum retineat:* ille inſanabilis, *quod idem omnino corruptum gerat*. Similis enim vitioſitas eſt intercuti, *quæ aſsidua, & perpetua eſt:* incontinentia vero Epilepſiæ, *quæ non perſeuerat.* ita illa permanet, hæc non eſt perpetua improbitas. atque in ſumma aliud vitioſitas eſt, aliud incontinentia. hæc enim non eſt abſoluta vitioſitas, nec latet habentem, *cum ſit rationi coniuncta, quæ vitio-*

ſitatem

ſitatem agnoſcit: at vitioſitas latet; *cum corrupta ratio animi morbum non percipiat*. quare inſanabilis eſt intemperantia, quia vitioſitas plena eſt, & latet habentem, vt curari non poſsit. Incontinentium vero ij ſunt meliores, qui facile de ſententia migrant, *quod præcipites ſint, & quaſi exeant è poteſtate:* quam qui, cum rationem in conſilium adhibuerint, minime poſtea illi parent. primum, quia hi à minore perturbatione ſuperantur; *cuius argumentum eſt, quia locum rationi relinquunt: vbi vero plus eſt rationis, ibi minus poteſt eſſe cupiditatis*. deinde quia ex deliberatione peccant; *(imperfecta tamen)* non ſine deliberatione, vt illi alij. *hoc vero animum denotat malo firmius defixum*. Similes vero ſunt incontinentes hi, quos imbecillos diximus, ijs, qui cito, & modico vino, & pauciore, quã multitudo, offenduntur, & ebrij fiunt. trahuntur enim à minori cupiditate. Incontinentiam igitur non eſſe vitioſitatem, niſi forte aliqua ratione, cum non ſit ab electione perfecta, perſpicuum eſt. vitioſitas enim eſt a conſilio & electione. Sed functiones habent *adeo* ſimiles, *vt vix diſtinctio in ijs agnoſcatur*. quare in incontinentes quadrat illud, quod Demodocus in Mileſios iactauit: non eſſe quidẽ illos ſtultos: ſed nihilominus ea facere, quæ ſtulti faciunt. Sic incontinentes non ſunt illi quidem iniuſti, *hoc eſt, vitioſi:* ſed iniuſte faciunt tamen. Sed cum ſupra intemperantem non pœnitere diximus, incontinentem pœnitere: vtriuſque dicti ratio afferenda nunc eſt. quia enim ille ſibi perſuaſit ita viuendum eſſe, & cum habitum contraxerit voluptates immoderatas perſequendi, eas perſequitur, non facile de ſententia deducitur. hic vero cum eaſdem ſectetur voluptates, at non perſuaſus ita agendum eſſe, *ſed vi tantum cupiditatis impulſus*, facile de ſententia dimouetur, *cupiditate videlicet ceſſante, quæ nec diu admodum perſeuerat.* Nec mirum. intemperans enim errat circa principia: non incontinens. Virtus porro principium, eiuſque notitiam, ſeu rationem conſeruat, & tuetur: vitioſitas perimit. principium autem in rebus agendis finis eſt. nam nemo agit, ni conſtitutum prius in animo habeat, quid moliri velit. idq. initium eſt agendi. Quare vt principia in Mathematicis ea ſunt, quæ poſita & conceſſa dicuntur, *vt a puncto in punctum licet lineam ducere;* ſic finis principium eſt, & primum in rebus agendis. Et quemadmodum in Mathematicis principia per demonſtrationem, ſeu rationem haberi non poſſunt, ita nec in ijs, quæ ſub actionem cadunt. ſed virtus, ſiue naturalis illa ſit, *& naturæ bona propenſio*, ſeu per conſuetudinem parta, ea tradit, eſtq. de principio recte ſentiendi magiſtra. Temperans igitur, vt qui virtute imbutus eſt, integrum habet principium: intemperans vero, vt vitioſitate inquinatus eſt; ita corruptum habet agendi principium: prauo ſibi fine

 conſtituto,

conſtituto, quem ſequi oportere, arbitratur. Manifeſtum vero eſt eum, qui a principio aberrat, difficile in viam reuocari poſſe. At incontinens vi cupiditatis de ſententia, quaſi de gradu deijcitur: ab eaq. hactenus vincitur, vt, quod monet, & præſcribit ratio, non agat: vt vero ſibi perſuadeat huius generis voluptates impudenter, improbeq. perſequendas eſſe, hoc non efficit, nec eatenus incontinentem ſuperat. Quare intemperante melior eſt. nec abſolute improbus. Salua enim in illo eſt res omnium optima; dico principium, *hoc eſt, rectam rationem, atque boni ſeu finis notitiam.* Sed & hic contrarium habet illum, qui cum decreuerit abſtinendum eſſe a voluptatibus inhoneſtis, permanet in conſilio, neque ob animi perturbationem de eo, quod conſtituit, dimouetur; continens hic dicitur. Eſt igitur perſpicuum, hunc habitum eſſe bonum; illum malum, & vitioſum.

Continentem, & pertinacem in aliquibus conuenire, in aliquibus diſcrepare, Cap. IX.

IAm vero videndum eſt, an continens ſit is, qui in quolibet conſilio, & ratione perſtat, an potius qui in recto conſilio: & vtrum incontinẽs ſit is, qui in quolibet conſilio, & ratione nõ permanet, an potius qui in ratione falſa, & cõſilio minus recto nõ permanet, quẽadmodum ſupra dubitatum a nobis eſt. Et quidem continens per ſe quidem in recta ratione, rectoq. conſilio permanet, incontinens non permanet: ex euentu vero ille in quauis ratione, & in quouis conſilio, *ſiue bono, ſiue malo* perſeuerat, hic in quouis conſilio, etiam malo non perſeuerat. ex euentu vero aliquid ſectamur, cum illud non propter ſe ipſum, ſed propter aliquid aliud expetimus. hoc enim per ſe, illud ex euentu ſectamur. *Quare continens, qui in hac praua eſt opinione, Non licere veſci carnibus, per ſe quidem in bona electione perſiſtit, cum cenſeat, ſe de ea re bene ſentire: & ob opinionem, quam habet, in decreto perſtet; ex euentu vero in praua perſeuerat. Contra incontinens per ſe quidem in bona electione non perſeuerat; ſed ſi cum praue de re aliqua ſentiat, cenſeat ſe vere ſentire, vt, Non licere iungi vxori, victus tamen cupiditate vxori miſceatur, hic porrò per ſe in mala ratione perſtat. nam quantum in ſe erat, ab vxore tanquam à re turpi abſtinere decreuerat: at ex euentu bene deliberauit, cum vxori ſe miſcuit: ex euentu, inquam: nam cupiditate impulſus fecit, quod per ſe non feciſſet. quare in malo conſilio vir incontinens ex euentu non perſeuerat: at ex ſe in malo perſtat.* Quod autem per ſe eſt, id ſimpliciter, & abſolute eſt, continens igitur in

bono conſilio ſimpliciter perſeuerat: incontinentes non perſeuerat. ſed ex euētu poteſt ille in qualibet opinione permanere; hic ex qualibet depelli. Sunt autem quidam qui de ſententia ſe adduci non ſinunt: quos pertinaces, & in ſententia obfirmatos appellamus: quales ij ſunt, qui ægre ſibi aliquid perſuaderi patiuntur: *vel cum errant, admoneri*. Hi ſimile quiddam habent cum continente, vt prodigus cum liberali, & audax cum fidente. *Continens enim & pertinax vterque in opinione ſua perſiſtit: ſicut liberalis, & prodigus vterque ſua effundit: & audax, atque fidens vterque confidit.* ſed diſcrepant in multis. Continens enim a perturbatione non deijcitur de ſententia; tamen paratus eſt, de falſa opinione decedere, ſi ratio ſuadeat. pertinax vero obfirmate adeo hæret opinioni, quam habet, vt de ſententia, etiam ratione ſuadente, nolit decedere.
Id mali voluptas efficit. Nam magna hominum pars cupiditates vltro quærit, & ijs ſe ducendam permittit. Sunt autem non pauci in ſententia obfirmati, qui præcipuas quaſdam ſententias in animum induxerunt: homines indocti, & agreſtes: in quibus porro ſententijs propter voluptatem, & dolorem ſunt pertinaces. lætantur enim; quaſi *magnifice*, vicerint, ſi de ſententia ſua non deducantur: dolent, quaſi victi, ſi deducantur, veluti decretis proprijs reſciſſis, & infirmatis. Hi, *etſi cum continentibus conuenire videntur*, ſunt nihilominus incontinentibus ſimiliores, *quia perſtant in malo, nec parent rationi*. Alij ſunt qui in ijs, quæ decreuerant, non perſtant: non quidem incontinentia impulſi, ſed honeſta voluptate, vt in Sophoclis Philoctete Neoptolemus. Perſuaſum enim ei fuerat ab Vlyſſe, vt mentiretur; quod facere in animum adoleſcens induxerat. Sed mutauit conſiliū; quod, ratione adhibita, vera loqui, & pulchrū, & honeſtū ſibi eſſe intellexiſſet. Nō enim quiſquis voluptatē ſequitur, cōtinuo intēperans eſt, vel improbus, vel incontinēs: ſed qui turpē. Quoniam vero aliquis etiam eiuſmodi eſt, qui minus quā debeat, corporis voluptatibus delectetur, & in ratione nō permaneat: propterea inter hūc & incontinentem continens medius locatus eſt. Incōtinens enim in rationis campo ſeſe non continet, quia magis, quam oportet, voluptatem ſectatur: hic autem, nomine vacans, in eodem cāpo non permanet, quia minus, quam oportet, voluptatibus oblectatur. Continens vero in rationis gyro permanet, neque propter alterutrum, *quod, ſcilicet, vel magis, vel minus, quam oportet, voluptatibus afficiatur*, ſententiam mutat. Neceſſario autem, quoniam continentia bonum eſt, ambo habitus contrarij mali ſunt. Sed quia ipſorum extremorum alter in paucis, & raro reperitur, idcirca, vt temperantia videtur vnam habere contrariam intemperantiam, ita continentiæ vna videtur aduerſari incontinentia. *nam*

alter extremus habitus eſt innominatus. Ceterum quia multa ex ſimilitudine dicuntur, *vnde nonnulli continentem, & temperantem eundem eſſe, ſunt opinati:* fit, vt continens temperans ex ſimilitudine quadam appelletur. Neuter enim quicquam facit à ratione alienum impulſu corporis voluptatum. Sed hoc inter eos intereſt, quod continens prauis tangitur, & afficitur voluptatibus, & cupiditate infeſtatur: temperans non item. Et hic eiuſmodi eſt, vt nulla re præter rationem delectetur; ille eiuſmodi, vt delectetur quidem præter rationem, at non vt trahatur. Similes quoque ſunt inter ſe incontinens, & intemperans. & cum inter ſe alioquin differant, vt non ſemel ſupra diximus, ambo corporis delectationes perſequuntur: ſed hic ita, vt exiſtimet eas ſequi oportere: ille, vt non exiſtimet.

SCHOLION.

**Et ratione non permanet.*] adde, *Vel ſolum qui in recta non permanet.*

Prudentiam, & incontinentiam in eodem homine ſimul eſſe non poſſe. Cap. X.

NEque vero fieri poteſt, vt idem vnà prudens ſit, & incontinens. nam ſupra oſtendimus, non eſſe prudentem eum, qui non ſit bonus vir. Præterea non ex eo ſolum prudens aliquis eſt, quod ſciat, ſed ex eo etiam, quod ad res gerendas ſit idoneus. at incontinens eſt ad agendum ineptus; *cum interdum non ſit potens ſui.* Sollertia vero ſecum patitur eſſe incontinentiam: quare nonnulli videntur interdum eſſe prudentes, & incontinentes, cum ſollertia prudentiæ ſimilitudinem gerat, vt ſupra diximus libro ſexto; ſintque hæc duo ratione, *ſeu natura* finitima, *cum media ad finem conducentia vtraque perſequantur.* Sed electione, atque conſilio differunt; *prudens enim ea tantum accipit, quæ ad bonum finem perducunt: ſollers vero ea etiam, quæ ad malum.* Ceterum, cum ex alia parte, *vt diximus, ſint natura finitima, facile quis vnum pro alio accipiat, & eum, qui ſollers eſt, prudentem appellet: quem, cum incontinentem videat, cenſeat quoque cum incontinentia prudentiam eſſe.* Eſt igitur incontinens vt is, qui ſcit, & dormit, vel vino eſt obrutus. Et ſua ſponte facit quidem ille; ſcit enim quodammodo quid, & cuius rei gratia faciat: ſed improbus non eſt, niſi dimidia ex parte. conſilium quippe eius bonum eſt: ſed actio praua. Nec eſt iniuſtus, quia non eſt ſubdolus, aut inſidioſus; *cum non agat ex propoſito, ſed magis nolens, quam volens, vt explicuimus.* Sunt enim ex ijs nonnulli, qui non perſtant in eis, quæ deliberauerint. alij autem ſunt, qui ne ad conſultandum quidem idonei ſunt; quod in ijs atra, *& acuta* bilis efficit.

exeunt

exeunt enim e poteſtate ad primum voluptatum conſpectum: nullo rationi ſpatio relicto. Similes ergo ſunt iis ciuitatibus, quæ leges habent bonas, & ſapienter decernunt: ſed legibus nō vtuntur, nec iis quæ decreuerunt: quod falſe *in Athenienſes* Anaxandridas iactauit,

Conſultat, a quâ ſpernitur lex, ciuitas

At mali homines, *vt intemperantes*, & leges habent malas, & malis vtuntur. *corruptum enim iudicium inſtar prauæ legis eſt*. Continētia vero, & incontinentia in eo verſantur, quód magnæ hominum partis habitum ſuperat. Continens enim magis in recta ratione permanet, quam maxima hominum pars: incontinens vero minus in eadem perſtat, quâm maxima pars hominum faciat. Ex duplici vero, quam poſuimus, incontinentia, ſanabilior ea eſt, quæ ab atra *& acuta* bile naſcitur, quam quæ eſt ex debilitate, ob quam non permanent in ſententia, *nam ſi illa rationem admittat, quod facile obtinebitur, ſpes eſt, vt corrigatur. hæc vero, cum rationem audierit, nihilominus exilit. quare aduerſus remedia durior videtur, & ad pugnam ineptior, & infirmior*. Incontinentia quoque a conſuetudine profecta ſanatu facilior eſt, quam quæ à natura. nam procliuius eſt conſuetudinem mutare, quam naturam; cum ideo mutatu ſit conſuetudo difficilis, quia naturam imitatur, *& ad eam quodammodo accedit*: vt Euenus ait:

Multos, quod partum eſt meditando, permanet annos,
Atque in naturam tandem conuertitur vſus.
Sed de his hactenus.

S C H O L I O N.

ANaxandridas.] *Rhodius, comicus. dicterium iſtud adeo amarulentum Athenienſibus viſum, vt eius auctorem in vinculis inedia confecerint.*

De Voluptate: Proponuntur argumenta quæ contra illam faciunt. Cap. XI.

CVm ciuilis vir ſit architectus beatæ vitæ: ac veluti vltimi bonorum omnium, cuius intuitu bona malaq. omnia definimus, magiſter; operepretium habet de voluptate, ac dolore diſputare. *hæc enim conducunt maxime ad conſequutionem vltimi finis: vel eam impediunt*. Sed & alia illi ſubeſt huius diſputationis neceſſitas. conſiderat enim virtutes morum, atq. vitia, quæ maxime in voluptatibus & doloribus locauimus. ac demum pleríque mortalium vitam beatam, *quæ nobis in hoc opere propoſita eſt*, cum voluptate coniungunt: itaq. & μακάριον, latine beatum, ἀπὸ τοῦ μάλιστα χαίρειν, ideſt, à

maxime gaudendo, nominarunt. vt omnino hæc de voluptate diſputatio a nobis præteriri non poſsit. Primum igitur ſunt nonnulli, qui nullam voluptatem bonum eſſe cenſent: neque per ſe, neque ex euentu. non enim idem poteſt eſſe bonum, & voluptas. Alij nonnullas eſſe bonas, nonnullas malas dicunt. Tertii diſputant, etiam ſi voluptates omnes ſint bonum: tamen fieri non poſſe, vt ſummum bonum ſit voluptas. Igitur qui omnino voluptatem nullam bonam eſſe poſſe, aſſerunt, his mouentur rationibus. primum quia voluptas eſt generatio ſenſilis in naturam, ſeu inſtauratio indigentiæ ipſius naturæ, ſenſu percepta: *quod & in primo de arte dicendi traditum eſt.* at nulla generatio eius eſt generis, cuius eſt finis: quemadmodum nulla ædificatio eſt domus; *finis autem, ad quem voluptas tendit, bonum eſt: ergo ipſa non eſt bonum. ſic hominis generatio non eſt homo: nec ergo boni generatio, erit bonum.* Deinde, *qui virtutis nomine ornantur, non perſequuntur voluptates: non ſunt igitur in bonis habendæ.* nam temperans eas fugit: prudens indolentiam ſequitur non voluptatem. *idque illis eſt ſatis.* Tertio, quia voluptates, præſertim Venereæ, prudenter ſentiendi facultatē impediunt: eoq. magis, quo quiſque magis delectatur. in ea enim voluptate nemo quicquam animo agitare, aut ratione explicare poteſt. Quarto, voluptatis nulla eſt ars: at omne bonum eſt artis opus. Demum, quia ſoli pueri, & beſtiæ voluptatem ſectantur: *vtpote à ratione alieni.* Qui vero non omnes voluptates bonas faciunt, eo nituntur principio, quod aliquæ ſunt turpes, & quæ vitio vertuntur, & damnum quoque afferunt. nam eorum, quæ iucunda ſunt, non pauca morbos gignunt. Denique illi, qui voluptatem ſummum bonum eſſe negant, id ex eo concludunt, quia voluptas non eſt finis, ſed potius ortus, & initium quoddam: ſeu generatio ſenſilis; vt diximus. Atque hæc fere ſunt, quæ contra voluptatem diſputantur.

Soluuntur rationes contra voluptatem allatæ.
Cap. XII.

VErum ex his, quæ allata ſunt, non effici, vt voluptas neque bonum ſit, neque ſummum bonum, ea, quæ mox dicemus, declarabunt. Et primum quidem, cum bonum aliud per ſe, & abſolute bonum ſit: aliud alieni, non per ſe & abſolute, bonum: eandem quoque partitionem naturæ, & habitus: ac proinde motiones, & ortus, ſiue generationes ſequentur. *Omnia enim ad alterum bonorum tendunt, & illi conformantur.* Voluptatum etiam, quæ prauæ videntur, aliæ ſunt ex ſe, & abſolute prauæ: ſed

uæ: ſed alicui optabiles : *ut intemperanti ea, quæ ab adulterio percipitur*: aliæ tum ex ſe prauæ ſunt, tum ne alicui quidem ſimpliciter optabiles: ſed aliquando, & non diu: *vt ſupra modum edere, vel bibere; quod ne intemperanti quidem, niſi donec famem ſitimq. ſatiarit, optandum eſt:* aliæ demum ne voluptates quidem ſunt, ſed videntur: quæcumque ſcilicet cum dolore coniunctæ ſunt, & curationis gratia adhibentur: cuiuſmodi ſunt ægrotantium voluptates. *illi enim ſemper noxia appetunt, illisq. delectantur, a quibus ſani moleſtiam perciperent: vt acidis, & amaris cibis: quibus ſe curari, vel præſentem moleſtiam tolli poſſe, falſo opinantur. His ita conſtitutis perſpicuum fit, eos, qui voluptatem eſſe dicunt generationem ſenſilem in naturam, non bene dicere.* Nam cum bonum aliud ſit operatio, aliud habitus, *vt virtus*: ex voluptates, quæ in naturalem habitum reſtituunt, iucundæ ſunt ex euentu, non per ſe. *ipſa enim inſtauratio eius, quod habitui naturali deeſt, non eſt voluptas, cum via quædam ſit ad bonum, & cum labore coniuncta: voluptas vero potius generationem, ſeu inſtaurationẽ conſequitur: ex euentu tamen ſunt iucundæ, ob delectationem, quæ habitus generationem in operando conſequitur.* In omni autem cupiditate ineſt operatio habitus, & naturæ aliqua re carentis. *quare neceſſario cum triſtitia coniuncta eſt.* At non omnes voluptates eiuſmodi ſunt. nam functiones in contemplando occupatæ, *& aliæ ſimiles*; ſunt doloris, & cupiditatis expertes, nihil deſiderante, nullaq. re egente natura. *Et quidem hæ ſunt verè voluptates, quæ ſcilicet à natura per habitum perfecta manant, nulliusq. rei egente: quæ vero habitibus, & naturis conſtituendis, ſeu perficiendis capi ex euentu poſſent, non ſunt veræ delectationes.* Hoc verum eſſe, argumento eſt, quod non ijſdem rebus iucundis homines delectantur, cum natura expletur, quibus delectantur, cum eadem natura in ſuo ſtatu permanet: ſed natura conſtituta, rebus delectantur abſolute iucundis: * cum expletur vero, etiam contrariis. *dulci enim natura per ſe, cum integra eſt, gaudet. eadem corrupta*, amaris acidisq: delectatur, quorum nihil neque natura, neque abſolute iucundum eſt: quare nec ipſe voluptates ſunt abſolute iucundæ. Sicut enim iucunda inter ſe diſtant, *& conſtituuntur:* ita & voluptates, quæ proueniunt ab illis. Qui vero negant voluptatem eſſe ſummum bonum, id aſſerunt, quia cum ipſa ſit generatio, finis illius erit ipſa melior. Sed hoc non eſt neceſſarium. voluptates enim non ſunt generationes: immo nec omnes ſunt cum generatione coniunctæ: ſed potius muneris functiones, & fines. Neque enim cum gignuntur res aliquæ, ſed cum aliquibus rebus vtimur, eueniunt, & exiſtunt voluptates. Neque omnium voluptatum finis eſt ab iis diuerſus, ſed earum tantum, quæ ad naturæ perfectionem perducunt, & indigen-

tiam

tiam naturæ explent. *nam in ijs, quæ naturam perficiunt, finis eſt ab operatione diuerſus. vt in medicina, cuius finis non eſt eiuſdem operatio, ſed ſanitas.* Quapropter nec recte dicunt voluptatem eſſe generationem, quæ ſenſu percipi poſſit: ſed potius dicendum fuerat, eſſe functionem, ſeu operationem habitus cum natura conſentientis: & loco illorum verborum, quæ ſenſu percipi poſſit, ſubſtituendum, non impeditum. *eiuſmodi enim operationi voluptas neceſſario complicatur.* Nonnulli vero voluptatem generationem quandam eſſe exiſtimant, quia operatio propriè bonum eſt: operationem vero eādem cum generatione faciunt. *quare cum voluptatem extollere volunt, eam deprimunt, & ad imperfectas motiones deducunt.* at operatio, & generatio ſunt diuerſa. *generatio enim ad habitum conſtituendum, & naturam perficiendam tendit: operatio vero ab habitu conſtituto, & natura perfecta exiſtit.* Quod autem declarari ex eo putant alij, quaſdam voluptates eſſe malas, quia nonnulla iucunda morbos pariunt: eadem ratio contra ſalubria facit: quia eorum nonnulla ſunt ad pecuniam tuendam inutilia; *cum caro emantur:* hac igitur ratione tam voluptates, quam ſalubria eſſent mala. ſed non ideo ſunt *ex ſe* mala, *ſi alicui, & aliquo tempore nocent.* nam etiam rerum cauſſas contemplari, ac diſcere interdum nocet valetudini. *At quis dicat, voluptates, quæ ab eiuſmodi ſtudijs percipiuntur, eſſe prauas?* Sed neque illud magnum faceſsit voluptati negotium: prudentiam, aliosq. ſtudioſos habitus ab ea impediri. nam voluptas nō impedit habitum illum, à quo proficiſcitur: ſed alienæ, & extraneæ voluptates hoc faciunt. V. g. quæ ex rerum contemplatione, ac diſciplinis manant, ne dum nos a contemplando non reuocant, vel impediunt: ſed potius vt magis, & magis contemplemur, & diſcamus, perficiunt, *quæ autem ſunt diſciplinis extraneæ, vt quæ a ſpectaculis, aut ludo percipiuntur, a diſciplinis nos auocare poſſunt.* Sed neque, quod voluptas non ſit artis opus, mirum videri debet, aut inde minus bonam illam eſſe, cenſeri poteſt. *Nam voluptas functio quædam eſt,* functio vero muneris non tam artis eſt, quam facultatis, *quæ per artem operatur. Quid ſi addamus, non omne bonum, quod a nobis fit, eſſe artis opus: ſed illud tantum, quod motione corporis perficitur, cuiuſmodi non eſt voluptas?* Verum & artes quædam aſſignari poſſent voluptatis effectrices; qualis vnguentaria eſt, & culinaria. Quod vero addunt, temperantem fugere voluptates, prudentem ſequi vitam a dolore vacuam, *neutrum vero ad voluptates ferri,* ſed pueros tantum & beſtias eam conſectari, hæc, inquam, omnia vna eademq. ratione diſſoluuntur. Nam quoniam expoſuimus, quemadmodum ſint abſolutè bonæ voluptates, *quæ ſcilicet virtutem conſequuntur:* & quemadmodum non omnes bonæ: has tales

pueri & beſtiæ perſequuntur: harumq. indolentiam vir prudens ſectatur: eas inquam, quæ cum cupiditate, & dolore coniunctæ ſunt, & quæ ad corpus pertinent, (ſunt enim hæ huiuſmodi, *ſcilicet, cum cupiditate, & dolore coniunctæ, puta,* voluptates Veneris, & cibi, atque potus immoderati) earumq. omnium exuperantias, ex quarum appetitione intemperans dicitur, & eſt intemperans. Has vero temperans fugit, vti turpes. Sunt autem & temperantis propriæ quędã voluptates, *quas, quod honeſtæ ſunt, non fugit. nam, dum temperanter agit, delectatur.*

SCHOLION.

CVm *expletur vero, etiam contrarijs.*] *Natura in indigentia conſtituta auide accipit, cuiuſquemodi offerantur, etiam ex parte inimica. Quare Darius in fuga, cum aquã cadaueribus inquinatam bibiſſet, negauit ſe vnquam bibiſſe iucundius. Iob etiam, cap. 6.* Animæ eſurienti etiam amara dulcia eſſe videntur.

Aſſeruntur argumenta pro voluptate.

Cap. XIII.

COnuenit inter omnes dolorem eſſe malum, & fugiendum: alius enim abſolute malum eſt, *vt, qui ex inhoneſtarum voluptatum abſentia percipitur:* alius eſt aliquo modo malum, nempe, quod impedit bonum: *vt qui in contemplatione rerum, a ſanguine coniunctorum interitu capitur, & animum a contemplando reuocat.* Ex his neceſſario ſequitur, voluptatem eſſe bonum. Nam quod rei fugiendæ, qua fugienda, & mala, contrarium eſt, bonum eſt: voluptas vero eſt dolori contraria, quà malus eſt, & fugiendus. Nec ea, quam Speuſippus afferebat, diſſolutio quadrat: Voluptati duo eſſe contraria: dolorem ſcilicet, & id, quod medium eſt, puta indolentiam: ſicuti maius duo habet contraria: minus, & æquale. *Vt ergo in extremis, inter quæ medium intercedit, non licet a bonitate vnius extremi ad alterius malitiam arguere, & ex eo, quod V. g. prodigalitas mala ſit, auaritiam bonam eſſe concludere (datur enim inter hæc medium, liberalitas) ita non licet a doloris prauitate ad voluptatis bonitatem inferre: vtraq. enim extrema ſunt, & mala: mediumque habent bonum, indolentiam.* Sed fallit hæc Speuſippi diſſolutio. Nemo enim dixerit, voluptatem eſſe aliquid malum: nec igitur extremum: ergo mediũ. Iam vero nihil prohibet, ſi nonnullæ voluptates, vt quidam dicebãt, malæ ſunt, quo minus voluptas aliqua ſit ſummum bonum: quemadmodum etſi aliquæ ſunt [a] ſcientiæ malæ, *vt circulatoriæ, & venenariæ,* aliqua tamen eſt optima, *vt ſapientia, vel ciuilis prudentia.*

Fortaſſe vero neceſſarium etiam eſt, aliquam voluptatem eſſe optimam, maximeq. expetendam, ſi vniuſcuiuſq. habitus, *ſeu virtutis* functiones liberæ ſunt, & non impeditæ. Eiuſmodi enim functioni voluptas ineſt: *ac neceſſe eſt praſtantiſsimæ operationi maximam coniungi voluptatem*. idq. verum eſt, ſiue beatitudo ſit functio muneris omnium virtutum; ſiue alicuius: *puta contemplationis. cum enim in omnibus ita voluptas inſit, vt ſeparari non poſſint, nec vnum ſine alio appeti, tandem ea erit hominis felicitas*. Erit igitur aliqua voluptas ſummum bonum, etſi multæ forte ſint abſolute malæ. Atque ob hanc cauſſam vitam beatam iucundam eſſe omnes exiſtimant, & beatitudinem cum voluptate connectunt, non iniuria. *Dixi, beatitudinem eſſe functionem non impeditam*. Nulla enim muneris functio, ſi impediatur, perfecta eſſe poteſt. at beatitudo in rebus perfectis ponitur. quocirca, ne hæc impediantur, & corporis, & externa bona, & fortunam quoque beatus deſiderat. *hæc enim ſi abſint, impeditur virtutis functio: nec voluptatem parit: nec proinde felicitatem affert*. Qui autem ei, qui in rota crucietur, & qui maximis calamitatibus afficiatur, modo vir bonus ſit, beato eſſe licere dicũt: ſiue ſponte ſua, ſiue inuiti *ad tuenda ſemel male poſita decreta* id dicant; nihilominus nihil dicunt. Quoniam vero felix fortunæ bona deſiderat, inde nonnulli opinati ſunt idem eſſe vitam beatam, atque ſecundam fortunam: cum longe aliud ſint. nam ſecunda quoque fortuna, ſi ſit immoderata, impedimento eſt vitæ beatæ: nec iam fortaſſe, vbi modum tranſierit, ſecunda fortuna iure nominatur. definitur enim & circumſcribitur ex ipſius cũ vita beata comparatione: *eatenusq. talis dicenda eſt, quatenus ad illam confert*. Quod autem nonnulli contra voluptatem, vt eius turpitudinem oſtenderent, afferebant: omnes beſtias, & pueros ad eam tendere: id porro argumento eſt, eam quodammodo eſſe ſummum bonum. omnes enim beſtiæ, & homines voluptatem perſequuntur. *eius igitur appetitus a natura inditus eſt, & bonus. Nec cenſendum omnes homines, dum vna de re aliqua ſentiunt, decipi. Nam Heſiodus ait:*

Fama autem haud dubie non funditus interit illa,
Quam multi celebrant populi. Sed quoniam nec vna natura eſt, nec vnus habitus, qui optimus ſit, vel videatur omnibus; nec eandem quidem omnes ſequuntur voluptatem. *alios enim alia delectant*. omnes tamen perſequuntur voluptatem. Fortaſſe etiam ſequuntur non eam, quam putant, dixerintve; ſed *omnes* eandem. In omnibus enim diuinum quiddam natura ineſt, *cuius impulſu ad eandem voluptatem feruntur: ad eam ſcilicet, quæ a vera felicitate percipitur: quam nihilominus non omnes aſſequuntur, quod varia de rebis iucundis, & honeſtis faciant iudicia*. Cum autem, quæ in

animo

animo inſunt voluptates, præcipue ſint tales, magisq. propriæ, quã quæ ſunt corporis: hæ tamen nominis hæreditatem ad ſe traxerunt, quod vt plurimum homines ſeſe illis dedant, eorumq. velint omnes fieri participes. notiores itaque ſunt: atque idcirco ſolas illas putant eſſe voluptates. Perſpicuum etiam illud eſt: ſi neque voluptas, neque operatio *cum voluptate coniuncta bonum ſit*, virum beatum iucunde non victurum. *Quo enim pacto quis a voluptate diſiunctus, iucunde viuat?* quod ſi voluptas non ſit bonum, cur à quopiam deſideretur? immo vero fieri poterit, vt beatus in dolore atque moleſtia ætatem agat. nam ſi voluptas non eſt bonum, nec dolor erit malum. cur itaque dolorem vir beatus fugiat? Et ſi ipſius probi, & felicis viri operationes iucundæ non ſunt, vita quoque illius non erit iucunda. *Vitam vero beatam à iucunditate ſeparare, illam corrumpere eſt.*

SCHOLIA.

1 ET ex eo, quod V.g. prodigalitas.] hoc argumentum, Prodigalitas eſt mala, ergo auaritia eſt bona, non valet: quoniam auaritia non eſt contraria prodigalitati, vt mala eſt: ſed vt prodigalitas eſt; vtraq. enim egreditur virtutis terminos. At voluptas eſt contraria dolori, vt malus eſt, & natura aduerſatur, eamq. labefactat; quæ incommoda voluptate reſarciuntur. Ita ſenſiſſe videtur Ariſtoteles infra lib. 10. cap. 2. ad finem. Lingonienſis aliter hunc nodum ſoluit. ait enim voluptatem eſſe mediam inter dolorem, & ἀλυπίαν, quaſi intriſtitiam. a deſtructione vero contrarij extremi ad aſſertionem medij, valere argumentationem. vt ſi auaritia damnanda eſt, igitur liberalitas laudanda.

2 Scientiæ malæ.] abutitur hic ſcientiæ nomine pro quauis facultate aliquid efficiente.

3 In omnibus enim diuinum quiddam.] ſcilicet propenſio ad bonum & felicitatem. tandem enim omnia quam optime ſe habere, volunt.

De voluptatibus corporis. *Cap. XIV.*

DE corporis voluptatibus eos diſſerere oportet, qui nonnullas voluptates magnoperè expetendas eſſe dicunt: quales ſunt honeſtæ: non eas, quæ ad corpus pertinent, & in quibus intemperans verſatur. Qui fit igitur, vt dolores, his voluptatibus contrarij, praui ſint, *ſi ipſæ quoque ſunt prauæ?* malo enim bonum opponitur. An dicendum, eas corporis voluptates eſſe bonas, quæ ſunt neceſſariæ, ita tamen eſſe bonas, vt potius non malæ, quam bonæ dicendæ ſint? nam etiam quod non eſt malum, *aliqua ratione* bonum eſt. An po-

tius dicendum eſt, eas vſque ad aliquem finem bonas eſſe? *& quidem hoc verius dictum videtur. Nam voluptates neceſſariæ, vt cibi, & potus, eatenus bonæ ſunt, quatenus in mediocritate conſiſtunt.* Quibus vero in habitibus, & motibus nimium non reperitur eius, quod eſt melius: ne voluptatum quidem, quæ ab ijſdem oriuntur, nimium eſt. *voluptas enim ſequitur naturam habitus, vel functionis, a quibus manat. melioris autem, vel optimi non datur nimium: cum omne nimium ſit vitioſum: quare eius, quod melius eſt, quanto plus eſt, tanto eſt magis bonum, nec proinde nimium eſſe poteſt, vel vitioſum. Animi ergo voluptates nimiæ eſſe non poſſunt, vt quæ a contemplatione percipiuntur. nã nec contemplatio poteſt à nimio fieri vitioſa. quare iſtæ voluptates ſunt ſimpliciter, ne dum ad certum finem bonæ, & laudabiles.* Corporis vero bonorum aliquod eſt nimium, *vt & voluptatum ab ijs manantium;* & malus quiſque eſt, quod immoderatas voluptates ſequatur, non quod neceſſarias. Delectantur enim *fere* omnes quodammodo obſonijs, vino, & rebus Venereis: *& obſonijs quidem, ad tuendum indiuiduum, ſinguli: Venere autem ad ſpeciem propagandam, non ſinguli, ſed vniuerſi: vino demum plurimi.* Sed non ita, vt oportet. *Corporis igitur immoderata voluptas fugienda: moderata laudatur, ſi ſit neceſſaria, nec natura ſua turpis.* At in dolore contra fit. Nam non ſolum fugimus nimium dolorem, *vt nimiam tantum voluptatem ex ijs, quæ neceſſariæ ſunt,* vitamus: ſed omnino omnem dolorem fugimus. Etſi enim voluptatis nimio dolor non ſit contrarius, *niſi & ipſe nimius ſit;* nihilominus in eo, qui nimium voluptatis perſequitur, aliter ſe res habet. *Nam ſi vel paululum a voluptuoſis intemperans abſtineat, continuo afficitur dolore. Quare paruus quoque dolor voluptati modum ſuperanti eſt eo in homine contrarius, ac proinde ipſi moleſtus, & inuiſus. vitant ergo dolorem omnem, nedum nimium doloris.* Quoniam autem non ſolum oportet vera loqui, verum etiam cauſſam, cur falſa pro veris habita ſint, aperire: (hoc enim ad fidem faciendam valet: & cum rationi conſentaneum aliquid adductum fuerit ad oſtendendum, cur aliquid, quod verum non erat, pro vero acceptum ſit, tum magis vero fidem adhibemus) idcirco ratio exponenda eſt, quæ fucum in hoc facit, & corporis voluptates magis expetendas eſſe, ſuadet. Primum igitur immoderatam voluptatem, & omnino eam quæ ad corpus pertinet, auide perſequuntur, tum quia dolorem diſcutit; tum quia immoderatis doloribus curandis quaſi medicamentum quoddam eſſe videtur. Curationes autem omnes ſunt vehementes, *(qualis eſt corporis voluptas)* eoq. ſtudioſe quæruntur, quod contraria pellere videntur. Vnde eas non eſſe bonas ob hæc duo perſpicuum eſt: quod partim ſint vitioſæ naturæ actiones, aut a primæuo ortu, vt belluarũ: aut propter

ter

ter conſuetudinem; vt ferorum hominum: partim ſint curationes, *& inſtaurationes;* cum ſint eius, quod aliquid deſiderat: easq. haberi, quam *foris* quæri, præſtitiſſet. Hæ autem voluptates percipiuntur, cum explentur cupiditates, & cum ij, qui illas deſiderant, in perfectam naturam reſtituuntur. Ex euentu igitur bonæ ſunt, *vt ſupra declarauimus*. Deinde ij, quibus aliæ delectationes non ſuppetunt, has conſectantur; quia ſunt vehementes. Nam cum honeſtis deſtituantur, ad has deuoluuntur: vtque maiores percipiant; ſitim quandam ſibi ipſi quærunt, & accerſunt. Vbi igitur innoxias ſequuntur, *vt qui ad excitandam famem corpus exercent*, non ſunt reprehendendi: vbi vero damnoſas, & perniciosas, male faciunt, & vituperantur. Alias vero voluptates non habent, à quibus delectentur: ac, ſi neutræ præſto ſint, multi dolore, moleſtiaq. propter naturæ vitium afficiuntur. Perpetuo enim labore fatigatur animal, vt, libri de natura ſcripti teſtantur, in quibus ſcriptum eſt, videre, & audire laborioſum, ac moleſtum eſſe: ſed quotidiana conſuetudine fieri, vt minus ſentiamus, vt aiunt: *quod conſuetudo, naturæ æmula, ea, quibus aſſueuimus, facilia reddat, & ſuauitate quadam perfundat. Cum igitur plerique ſinceris, ac liquidis careant voluptatibus; & in continuo labore ſint, non eſt mirum, ſi a corporis voluptatibus leuamentum quærunt, ſeq. totos ad eas traducunt.* In adoleſcentia quoque, propterea quod ea ætate corpus augetur, & vires creſcunt, homines afficiuntur, vt vinolenti. *nam vt hi eo magis ſitibundi ſunt, quo magis pocula exhauriunt, ita iuuenes, quo magis incrementum corporis accipiunt, eo magis, vt defectui ſuccurrant, edere, bibereq. appetunt. quare ob hanc quoque cauſſam plerique mortalium eas voluptates ſequuntur*, ac iuuenum ætas iucunda eſt, *& ad voluptates prona.* Alij quoque ſunt, qui atra bile affliguntur natura ſua. hi continua egent curatione; propterea quod aſſidue vellicantur, ac mordentur temperaturæ vitio: quare ſunt in vehementi appetitione, qua continuo vexantur. *ideoq. inſtauratione continua egent: ſeu à voluptatibus, quæ bilis acrimoniam ſedent: ſeu a cibo, & potu, qui adurentem illum calorem temperent, ne inteſtina conficiat.* Voluptas autem dolorem pellit, ne dum ea, quæ præſenti dolori contraria eſt, *vt ſiti potus*; verum quælibet alia, ſi valida ſit, & vehemens. *ea enim ad ſe hominem rapit, efficitque, ne dolorem ad tempus ſentiat, vel ne nimis ſentiat.* His igitur de cauſſis homines voluptatibus corporis ſe frequentes dedunt, ac intemperantes, & vitioſi efficiuntur. Quæ autem ſine dolore ſunt voluptates, *vt quæ a contemplatione proueniunt*, eæ nec nimium agnoſcunt, nec immoderatum quid habent. Atque hæ ſunt, quæ ex rebus natura, non euentu, iucundis proficiſcuntur. Ea vero euentu iucunda appello, quæ curationis cauſſa

adhi-

adhibentur, *ſeu ad naturam inſtaurandam: nec, niſi præſente contrario, voluptatem gignunt: vt in fame cibus: in ſiti potus.* Nam quia euenit, vt medicamento curetur aliquis parte ea, quæ ſana & integra ſubeſt, aliquid agente; *puta, vi nutriendi, quæ integra eſt, munus ſuum peragente:* ideo videntur eſſe iucunda. *Sed hoc ex contrarij præſẽtia, non ex rei natura contingit. perit enim voluptas in ſatietate.* Natura vero iucunda ea dico, quæ actionem naturæ iucundam *nulliq. dolori admixtam* eliciunt, atque expromunt. *eiuſmodi contẽplatio eſt; hæc enim a nulla indigentia proficiſcitur, nec ad vllam naturæ inſtaurationem tendit. & cum natura ſua bona ſit, nec nimium, nec immoderatum agnoſcit.* 3 Nobis vero nihil idem ſemper eſt iucundum, *etſi naturæ ſua multa ſint iucunda.* neque enim ſimplicis naturæ ſumus: ſed multa inſunt diuerſa, diſpariaq., vnde neceſſarius ſequitur interitus. Itaque quod altera pars agit, hoc alteri parti præter naturam eſt, *& moleſtum: vt ſenſibus ea, quæ ſunt mentis propriæ functiones, vnde ſequitur hominis in contemplando defatigatio.* Cum vero ambæ hominis partes, *animus videlicet, & corpus*, exæquatæ fuerint, *vt vnum non ſit ab alio alienum*: quod vni eſt natura ſua iucundum, ſi non erit alteri iucundum, ſaltim non erit moleſtum. *Corpori enim quantumuis ab animo ſubacto iucunda quidem non eſt contemplatio: verum nec moleſta.* Cuius vero natura ſimplex fuerit, ei actio eadem ſemper erit iucundiſsima. Itaque ſemper vna, & ſimplici Deus voluptate potitur. *Potitur autem voluptate Deus, etſi non immutetur.* non enim voluptas functio tantum eſt motionis, verum etiam vacuitatis a motione: magisq. eſt in quiete, quam in motu. Mutatio vero rerum omnium dulciſsima eſt, 4 vt ait Poeta: ſed propter naturæ vitium, & hominis improbitatem. Vt enim homo vitioſus ingenio mobili & mutabili eſt, ſic ea natura, quæ mutationem deſiderat, mala, & vitioſa eſt. non enim ſimplex neque bona eſt. De continentia igitur, & incontinentia, de voluptate ac dolore, quid eorum vnumquidque ſit, & quo modo eorum alia bona ſint, alia mala, dictum eſt. Reſtat vt de amicitia dicamus.

S C H O L I A.

1 VT libri de natura.] In lib. de ſomno & vigilia ſcribit Ariſtot. animal egere ſomno ad leuandum faſtidium, ab ijs, quæ continuo videntur, & audiuntur, infuſum. audire autem, & videre non eſt ſine voluptate, a cognitione rerum percepta.

2 Ita iuuenes.] hi etiam, ut ſanguinis commotionem & agitationem ſpirituum ſedent, ad uoluptates confugiunt. Eiuſmodi enim motionibus, dum incrementum accipimus, obnoxia eſt hominis ætas.

3 Nobis uero nihil.] Pindarus ait, etiam mel, & iucundos Veneris

flores,

flores ſæpius repetitos, faſtidium, & ſatietatem parere.
4 *Vt ait poeta.*] *Electra ad Oreſtem fratrem verba videntur apud Euripidem.*

DE MORIBVS LIBER OCTAVVS.

Proponuntur amicitiæ commoda, quorum merito hæc diſputatio ſuſcipitur. Caput. I.

DEINCEPS nobis eſt [1] de amicitia diſſerendum: [2] cum vel virtus ea ſit, vel cum virtute coniuncta: omnino vero ſit [3] ad vitam degeudam maxime neceſſaria. Nemo enim eſt, qui ſine amicis vitam optabilem eſſe ducat: etiam ſi ceterorum bonorum omnium copia circumfluat. Nam & amicorum operam, officiumq. beatus maximè deſiderat, etiam ſi diuitiis immenſis, maximoq. imperio, ac ſumma potentia ſit inſtructus, & ornatus: & huiſmodi rerum proſperitas [4] nullum fructum afferat beneficentia ſublata, quæ & in amicos confertur maxime, & cum in eos exercetur, ſummis laudibus digniſsima eſt. Præterea quo nam modo ſine amicis cuſtodiri, & incolumis tanta bonorum copia ſeruari poſſit? [5] nam quanto maior eſt, tanto pluribus caſibus, & periculis expoſita eſt. Iam vero in paupertate ceteriſq. rebus aduerſis vnicum perfugium in amicis repoſitum eſſe putant. *ideoq. Scythæ in amicorum multitudine diuitias collocarit; ut apud eos non ſit ille ditiſſimus, qui latifundia poſſidet, & millia iugerum ſoli: ſed qui multos habet amicos.* Sed & omni ætati prodeſt amicitia, adoleſcentibus quidem id affert commodi, vt ab amicis moniti non peccent: ſenibus vero, vt colantur, & in honore habeantur: atque ſi quid ipſi ob naturæ infirmitatem perficere non poſſunt, id fiat ab amicis: ijs demum qui florente ſunt ætate, vt res magnas, & præclaras gerant. [6] *Vix enim egregium facinus aliquod ſine ſocijs adminiſtratur. Quare apud Homerum Diomedes magno capitis periculo nocte hoſtium caſtra exploraturus, itineris, & diſcriminis ſocium poſcit, inquiens;*

Nelide, meanimi robur, generoſaq; virtus
Incitat hoſtiles nunc explorare phalangas
Vicinas: ſed ſi mecum mittatur & alter,
Maior erit ſpes, & maior fiducia. Namque

Si bini ſimul ire parent, cito præuenit alter
Conſilium alterius; quo res ſuccedere pacto
Vtiliter queat. at ſolus ſi conſulat ipſe
Tardius, & leuius, quicquid conſultat, habetur.

Ambo enim agendi, atque intelligendi maiorem habent, quam alter, facultatemq. Natura quoque videtur maxime amicitiam commendare, cum inter gignentia, genitaq. naturæ inſtinctu ea intercedat: quod cum in auibus, & plurimis animantibus, ac in ijs demum quæ inter ſe ſunt eiuſdem generis verum eſt, tum maxime in hominibus. *In ijs enim, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, conſtat adbuc amicitia, etiam ſi alter ab altero non ſit procreatus. quare ſæpe gregatim cerui multi incedunt, multi lupi.* Hinc maxime laudamus eos, qui humanitate pollent, & a Græcis φιλάνϑρωποι, *nomine ab amore in homines ducto*, appellantur. In erroribus quoque viarum, *a quibus per obuios quoſque reuocamur*, cernere licet; quam ſit homo homini propinquus, & ad opitulandum accommodatus. *Eiuſmodi verò res adeo fuit antiquis curæ, vt ſi qui aliam a recta viam commoſtraſſent, ſacris interdicerentur, ac pro abſtentis haberentur: vt illa apud Diphilum Comicum teſtantur. Scis in execrationibus illud adijci. Si quis non recte monſtrauerit viam: ſi ignem ſuccenderit, aut aquam corruperit. In ſolitudine quoque vel exilio amici præſentia ſummopere iuuat. Quare Philoctetes apud Sophoclem in inſula Chriſe, in qua decennio integro ſolitarius vixerat, Neoptolemum audiens grecè loquentem, exclamat: O loquela voxq. dilectiſsima: Heu quale talis hominis alloquio frui Perlongo ita in tempore. amicum enim idioma arguebat.* Videtur etiam ciuitates amicitia firmare, & continere, ac legum latoribus maiori, quam iuſtitia, curæ eſſe: *vti vinculum, atque neruus ciuitatis. quod enim efficit neruus in animalis corpore, id amicitia præſtat in ciuitate.* Hinc latores legum concordiam, quæ amicitiæ ſimillima, & genuina eſt, ſummopere expetunt, & cordi habent: & ſeditionem illi inimicam omni ſtudio eijciunt, atque exterminant. *vnde fortaſſis conſtitutum non ſemel ab ijs eſt, vt ſi quid damni priuatim quis paſſus eſſet, ſilentio præteriretur; ne ſeditio aliqua exiſteret, vel diſcordia coaleſceret: cuiuſmodi leges eſt non paucas reperire.* Quin magis ciuitati amicitia, quam iuſtitia conducere videtur. nam ſi ciues inter ſe amicitiam colant, nihil fit, quamobrem iuſtitiam deſiderent, *neque enim amicus amicum vexat.* at ſi ciues iuſti ſint, amicitia tamen egent *ad congreſſus ciuiles*. Quare cum multa ſint iurium genera, quod maxime ius eſt, *ſanctiſsimum, ſcilicet, & inuiolabile*, illud videtur ad amicitiam pertinere. *Sanctiſsimo enim ea iure nititur, quod violaſſe fuerit quaſi ſacrilegum. Demum etſi nullum aliud ab amicitia emolumentum perciperetur, vel hoc ſolo neceſ-*

ſaria eſt mortalibus, quod ſolitudinem, qua beatitudo corrumpitur, fugat. Vita enim ſine amicis traducta, ingratiſsima eſt, & repudianda. Addo eum, qui ſua ſibi felicitatis ſecreto conſcius eſt, non ſibi videri beatum, ni inuulget, communicetq. Atque hactenus quidem de amicitiæ neceſsitate. Neque vero neceſſaria ſolum res eſt, ſed etiam honeſta. Nam & eos laudamus, qui amicos amant: & amicorum multitudo in rebus pulchris, & honeſtis numeratur. Multi etiam cenſent eoſdem eſſe viros bonos, & amicos: pulchra igitur res eſt amicitia. Sed quid ea ſit, & in quo conſiſtat, magna lis eſt, & controuerſia. Alij enim ſimilitudinem quandam eam eſſe ſtatuunt, & eos amicos eſſe volunt, qui ſunt ſimiles. vnde illa *apud Homerum Odyſs. ρ Deus* ſemper ſimilem ad ſimilem *ducit:* & Graculus cum Graculo: *dicitur enim ſimilitudo amoris mater, & maxima maximi.* Alij contra opinantur, hos tales ita inuicem affectos eſſe inter ſe, vt figulos; *quos dixit Heſiodus figulis eſſe inuiſos, vt & fabris fabros.* Ac de his ipſis diſputationem altius, & magis à natura repetunt: Euripides primum, qui *ex pugnantibus amicitiam conflat; vbi* ſic loquitur.

Tellus quidem imbrem amat, vbi campus aridus
Ob ſiccitatem ſterilis humore indiget:
Cælum at beatum, cum refertum eſt imbribus,
Ardet cadendi mira in humum libidine.

Heraclitus quoque aiebat, contrarium, & repugnans prodeſſe: & è diuerſis ſonoris naſci pulcherrimum concentum: & omnia ortum habere a diſcordia: *a pugna, ſcilicet, & contentione. Amicitiam itaque ex partibus pugnantibus coaleſcere volunt: eaq. pugna orbem, ne diſſoluatur, contineri. nam ſine diſcordia non eſt elementorum concurſus, nec proinde rerum coagmentatio:* Verum his cum multi alij aduerſantur, tum Empedocles, qui ſimile a ſimili expeti, & ex ſimilibus ſtabilem rerum exiſtere ſtatum aſſerit. Sed has de natura dubitationes miſſas faciamus: & eas, quæ ad hominum mores, affectioneſq. pertinent, videamus: quales hæ ſunt: Vtrum inter omnes, etiam malos, amicitia eſſe poſsit: &, Vtrum vnum ſit amicitiæ genus, an plura. Qui enim ob eam cauſſam vnum eſſe putant, quia magis, & minus recipit: *diciturque amicitia maior, & minor,* non ſatis firmo nituntur argumento: multa enim quæ ſpecie, & forma differunt, de quibus ſupra dictum eſt, recipiunt magis & minus: *Nam quod per ſe eſt, magis eſt ens, quam quod ad aliud refertur, vt libro primo, cum contra Platonis ideas diſputaremus, expoſuimus. hæc tamen forma differunt, & ſpecie ſubalterna: multiplex igitur amicitia eſſe poteſt, etſi recipiat magis, & minus.*

SCHOLIA.

1 *De amicitia diſſerendam.] ſancta quadam res eſt amicitia, quam qui caſte, integreq. coluerunt, pro Dijs aliquando habiti ſunt. Scythæ homines alioqui natura barbari, Pyladem, & Oreſtem, quaſi numina ſunt venerati, quod amicitiam perſancte cuſtodiuiſſent, quos propria lingua Coraſtis, hoc eſt, Deos amicitiæ præſides appellarunt: vnde in eam venere mentem, vt exiſtimarent; nihil eſſe, in quo ipſis elaborandum foret magis, & gloriandum, quam ſi opitularentur amicis: vt Lucianus refert in Toxari. Quis vnquam Phalaride immanior innotuit? ille tamen, quaſi rem ſacroſanctam violaturus eſſet, ſi amicitiæ cultores vexaret, non eſt auſus capite plectere Caritonem, & Menalippum, ne inſigne amicitiæ monumentum è medio auferret, vt ſcribit Aelianus var. hiſtor. lib. 2. Quin eius fulgor, atque dignitas hominem honeſti oſorem Dionyſium ad ſe illexit, vt in amicitiam Damonis, & Pythiæ, qui in ipſum coniuraſſe falſo fuerant, recipi poſtularit; tantum amicitiæ ius valuit apud tyrannos omni fera immaniores. Hæc poſſeſsio eſt ſimul vtilis, & iucunda; quod paucis poſſeſsionibus contingit. Nam qui multis præditus eſt amicis, non præſentia tantum intuetur, vt oculi: ſed longinqua etiam, quod mentes ſupernæ faciunt. poteſt in multis disiunctisq. locis eſſe, & in omnibus operari: multas percipere voluptates: multis animis fortunatus eſſe: multis corporibus voluptate perfundi. Augent amici felicitatem: minuunt calamitatem. Quin facilius miſeriam vel duriſsimam quis ferat cum amicis; quam ſolus maximam contineat voluptatem. Vita enim ſine amicis ſolitudo quædam eſt, ac deſperationi vicina. merito igitur Ariſtoteles duos ei libros dicauit: hunc, & ſequentem; cum in alijs virtutibus explanandis breuius egerit.*

2 Cum vel virtus ea ſit.] *Notat Aſpaſius amicitiam poſſe dici virtutem, tum quia verſatur circa quendam amoris affectum, illumq. componit; ne vel odio habeat, vel nimis diligat: nam* Vſque ad aras amicus: *tum quia media eſt inter adulationem, & affectum huic contrarium, nomine vacantem, qui ruſticitas dici poteſt: neſcitq. familiaritate ad aliquam voluptatem vti. ille enim in omnibus placere vult: iſte nunquam; in medio amicus conſiſtit. addit eandem poſſe dici cum virtute coniunctam, quaſi iuſtitiam ſequatur; nam amicitia æqualitatem quærit. Ego, vt prædicta non improbo, ſic duplicem amicitiam diſtinguo: alteram naturalem, quæ in naturæ propenſione conſiſtit: alteram moralem aſſuetudine comparatam. prior illa eſt affectio quædam: poſterior vero ea eſt, quam vel virtutem dicimus, vel cum virtute coniunctam: & forte poſtremum hoc magis probetur. Eſt enim amicitia quidã omnium virtutũ effectus, qui natura ſua hominẽ in viros bonos propenſũ reddit. quare non videtur diſtincta virtus à ceteris,*

3 Ad

3 *Ad vitam degendam maxime neceſſaria.*] & quidem magis, quam ignis, & aqua. *Plutar. lib. de amico, & adulatore.*

4 *Nullum fructum afferat.*] *Dionyſius filium reprehendebat, quod tot aureis poculis acceptis a patre, neminem ijs donandis amicum ſibi feciſſet. Ideo diem ſe perdidiſſe Titus doluit, quo nemini fuiſſet gratificatus. Porro bonum quærit natura ſua in alios effundi: in quo diuinam naturam imitatur.*

5 *Nam quanto maior eſt.*] *Dion monuit Dionyſium iuniorem, Principes non pecuniarum indigentia perire, ſed amicorum: atque Tyrannos, dum trucidantur, ab amicis opem vociferando poſtulare, non a pecunijs. Amicus enim amici diſcrimina reputat ſua: & in amico ſuum peti iugulum exiſtimat, ſibi animam eripi. Exemplo ſunt Pylades, & Oreſtes, qui, cum amorem velut mutuorum affectuum arbitrum, accepiſſent, perinde ac in vno eodemq; vitæ nauigio ſimul nauigarunt. Quin eoſdem, conglutinatis animis, vna mente in duobus corporibus, quæ vnico animarentur ſpiritu, vixiſſe, alterumque alterius incommoda ſubijſſe; non inſulſe dixerim: quod in commentario de affectionibus, cum de amore ageremus, fuſe explicuimus. Ideo Gerion plures dicitur habuiſſe manus, brachia, crura, pedes. & Briareus ille centimanus a poëtis decantatus, ſcilicet, ob copiam amicorum.*

6 *Vix enim egregium facinus.*] *Vt manus, in digitos diſtributa, eſt ad operandum aptior, & valentior: ita plurium vna ſentientium conſpiratio eſt efficacior, quam conatus vnius.*

7 *Ingratiſſima eſt.*] *multis idem confirmat in orat. de amicitia Themiſtius.*

8 *Et Graculus cum Graculo.*] *Huc ſpectant ſenarij a Plutarcho relati.*

Seni ſenilis lingua iucundiſſima eſt,
Pueroq; puer, & mulier apta fœminæ.

Quid amabile ſit, quid amicitia.
Caput II.

HAE autem, quas propoſuimus difficultates, tum demum planæ fient, ſi, quid ſit amabile, fuerit explicatum. Amabile enim eſt, quod amatur. at non omnia videntur amari, ſed bonum tãtum, vtile, iucundum. Vtile id eſt, quo bonum aliquod, vel iucundum comparatur: amatur vero vt medium, quod conducit ad finẽ. Bonum autem, & iucundum amantur vt fines, *atqui bonum hic pro honeſto accipimus.* Amat vero quiſque non quod ſimpliciter bonum eſt, & iucundum: ſed quod ſibi bonum, & iucundum. hæc enim ſæ-

pe inter ſe diſcrepant. Nam abſolute amabile eſt ſummum bonum: huic vel illi amabile, quod huic vel illi eſt, ſeu videtur bonum. amat enim vnuſquiſque non quod ſibi reipſa bonum eſt, ſed quod videtur. Id vero noſtra nihil intereſt. erit enim amabile quod bonum eſſe videbitur. Cum ſint autem tria, in quibus amandi cauſſa ineſt, *vtilitas, voluptas, honeſtas*, 1 ad inanima non pertinet amicitia. Nam neque mutuo amant, neque illis quiſquam vult bene eſſe. Ridiculus enim videatur is, qui dicat, ſe vino bene euenire velle: ſed vt quam liberaliſsime agamus, hoc ei dabimus: vt velit vinum ſaluum, & incorruptum manere, vt ipſe habeat, & vtatur. Atqui amicitiæ ratio id poſtulat: vt illi eius cauſſa, non noſtri, bene cupiamus. *Ex quibus colligitur non omnem amorem eſſe aptum ad amicitiam conſtituendam. amamus enim inanima vtilitatis noſtræ cauſſa, cum quibus amicitiam habere non poſſumus*. Sed qui amicis bene euenire volunt, 2 ſi non par pari ab illis referatur, beneuoli appellantur, non amici: *cuius conditionis defectu inter matrem, & filium in cunis vagientem non eſt amicitia, ſed tantum matris erga illum beneuolentia*. Quare amicitia erit amor quidem, ſeu beneuolentia, ſed inter eos, qui in amore par pari reddunt. adde, Non occulta, neque incognita. Multi enim, homines quos nunquam viderunt, amant, eoſq. viros bonos, ac ſibi vtiles fore exiſtimant, & forte redamantur ab illis: inter hos autem beneuolentia intercedit, non amicitia. Quamobrem enim eos, quorum alter de alterius in ſe animo nihil habeat exploratum, amicos appellem? 3 Ad amicitiam igitur conſtituendam oportet ijs, qui mutua ſe beneuolentia complectuntur, & quorum alter alteri bonum euenire vult, hanc voluntatem eſſe cognitam, atque ex vno aliquo trium illorum, quæ dicta ſunt, proficiſci.

S C H O L I A.

1 *AD inanima non pertinet amicitia.*] *videnda quæ ſcripſimus in comment. de Affect. animi. de Amore, cap. 8.*

2 *Si non par pari.*] *Plato in Lyſide ait, Niſi vterque amet, neutrum eſſe amicum.*

3 *Ad amicitiam igitur.*] *colligi poteſt hinc amicitiæ definitio. Nam illæ, quas Plato in Lyſide, Cicero, & D. Auguſtinus, in lib. de amicitia proferunt, amicitiæ potius explicant effectus, quam naturam. Noſtra vero definitio hæc eſt.* Amicitia eſt beneuolentia mutua, hinc inde cognita, mutuis officijs confirmata, ex probitatis amore profecta, ad vitæ coniunctionem. Beneuolentia) *vſus ſum hoc vocabulo potius, quam amoris: nam hæc propria eſt hominis: amor ad bruta quoque pertinet.* Mutua, *& quæ ſequuntur, ob rationes ab Ariſtotele allatas.* Mutuis officijs confirmata. *nam ad amicitiam tria requiruntur, vt Plutarchus libro de Amicorum multitudine docet: Virtus, vt pul-*

chrum:

chrum: Conſuetudo vt iucundum: Vſus, vt neceſſarium. Ex probitatis amore profecta. *Nam vt Seneca ait, ſolus ſapiens amat. Plato in Lyſide malos ab amicitia, vti ſtolidos, & inſtabiles, repellit: eoſq. tantum ait eſſe amicos, qui ſtudio compare tendunt ad virtutem; idque dum faciunt, Deum venerari, eumq. ſibi amicum reddere. propterea illis tertium accedere amatorem Deum, amicitiæ cuſtodem perpetuum, atque nodum indiſſolubilem*. Ad vitæ coniunctionem. *quærit enim amor facere quam maxime vnum. Hic finis eſt amicitiæ. Cauſſa vero eiuſdem efficiens eſt virtus. Materia eſt homo, quem ſub beneuolentiæ vocabulo complexi ſumus. Forma demum ceteris definitionis partibus continetur*.

Tres eſſe amicitiæ ſpecies. Cap. III.

SEd cum tria ſint, quæ amantur, bonum ſiue honeſtum, vtile, iucundum; totidem erunt amationes, & amicitiæ. cuique enim amabilium generi, ſua reſpondet mutua amatio, neque incognita, neque obſcura. Qui etiam amant inter ſe, alter alteri, qua amant, omnia bene euenire volunt. Quare qui vtilitatis cauſſa amant, non propter ſe, neq. ſua cauſſa inter ſe amant, ſed propter bonum, quod in alterum ab altero proficiſcitur: ſimiliſq. illorum ratio eſt, qui ob voluptatem amicitia iunguntur. Facetos enim diligimus, quia nos delectant, non quia tales, vel tales in ſe ſunt. quare illi amicitiam vtilitate metiuntur, hi voluptate. vtriq. vero non amicum, ſed, quod ab amico in ipſos proficiſcitur, amant. Ex euentu igitur conſtant hæ amicitiæ. non enim amicus diligitur, ſed quæ ab eo capitur vtilitas, vel voluptas. Quapropter facile dirimuntur, cum ij qui vtiles, vel iucundi erant, non ijdem perſeuerent. tunc enim fit amandi finis, diſſoluiturq. amicitia, defluentibus, & euaneſcentibus amoris cauſſis, ac eo, quod amicitiam contraxerat, diſſoluto: perinde ac amicitia cum iucunditate, & vtilitate, non cum hominibus eſſet inſtituta. Eius generis amicitia in ſenibus maximè cernitur, tum in iuuenibus, & ætate florentibus, ſi qui ſunt, qui emolumento ducuntur. Hi enim vt etiam ſenes, vtile in amicitijs venantur non iucundum. Tales autem iuuenes compendio dediti, ſocietate vitæ non admodum inter ſe coniunguntur. nam *quod ætati illi ineſſe, & ab ea appeti ſolet, ne illis quidem aliquando ineſt*, nec interdum iucundi ſunt. Quare talium hominum conſuetudo non expetitur, niſi ſint vtiles. cito enim iucunditas dilabitur, cum illi tantiſper ſe iucundos præbeant, quamdiu ſe commodum aliquod ſperant reportaturos. Atque in hoc genere hoſpitalis quoque amicitia

etiam locatur: *vt quæ vtilitate apud vulgares conciliatur*. Iuuenum autem amicitia voluptatis cauſſa comparatur, *& inconſtans eſt:* tum quia perturbationibus animi ſeruiunt: tum quia quod iucundum ſibi, quodq. præſens eſt, ſequuntur maxime: *eorum, quæ conſequuntur, nullam gerunt cogitationem.* Quoniam vero mutata ætate, mutantur ea, quæ ſunt iucunda, (nam aliud adoleſcentem delectat, aliud virum, aliud ſenem) idcirco iuuenes celeriter amici fiunt, & amare deſinunt: eorum videlicet amicitia vna cum eo, quod eis iucundum erat, immutata, & dilabente. talis autem voluptas celeriter mutatur, *cum ſit ſuapte natura inſtabilis, & fluxa.* Sunt quoquoque adoleſcentes in molles teneroſq. amores magnopere proni. rem vero amatoriam magna ex parte perturbatio regit, & gubernat: parit, atque efficit voluptas. *vtrique vero ſumma inconſtantia adiuncta eſt.* Amant igitur, [r] citoq. amandi finem faciunt, ita vt ſæpe vno eodemq. die voluntatem mutent. Volunt autem hi [2] totos dies vna traducere, vitæq. ſocietate coniungi. hac enim ratione id eis contingit, quod maxime, ab amicitia quærunt; *puta iucundum. Omnis autem amicitiæ fructus a conſuetudine percipitur. Atque horum quidem amicitia in vtili, & iucundo conſtituta ſic ſe habet.* Sed virorum bonorum, & virtute ſimilium perfecta amicitia eſt, *non ex euentu conflata, vel vlla ſui parte diminuta.* Hi enim mutuo ſibi bona euenire volunt, qua ſunt boni: ſunt autem per ſe boni, quare maxime ſunt amici. bona enim cupiunt amicis illorum cauſſa: *non vt ipſi compendium faciant, vel voluptate vlla perfundantur.* quod qui faciunt, maxime ſunt amici. nam ita per ſe ſunt animati, non ex euentu. Tamdiu vero manet horum amicitia, quamdiu ipſi boni ſunt. virtus autem diuturna quædam res eſt, & maxime ſtabilis. ſtabilis igitur & amicitia virtuti innixa. Eſt etiam vterque tum ſimpliciter, & abſolute bonus, tum etiam amico. Nam viri boni & abſolute boni ſunt, & inter ſe vtiles, atque iucundi: quandoquidem boni, & abſolute iucundi; & inter ſe iucundi ſunt. Nam ſuis quiſque, atque talibus, qualis ipſe eſt, actionibus delectatur. bonorum vero tales, quales ipſi ſunt, aut omnium maxime ſimiles, ſunt actiones. *ex illis ergo viri boni voluptatem capiunt.* Quare cum in bonorum amicitiam omnia concurrant, quæ in amicis eſſe debent: ſcilicet honeſtum, vtile, iucundum: ea porro merito firma, & ſtabilis futura ſit. Omnis enim amicitia vel propter bonum aliquod contrahitur, vel propter iucundum: & quidem vel propter abſolute bonum, & abſolute iucundum: *quod in bonorũ amicitia ineſt:* vel propter id, quod tale eſt ei, qui amat, ac ſimilitudine quadam, non vere, bonum eſt, & iucundum. In hac vero proborum, hominum amicitia quæ per ſe bona, & iucunda ſunt, inſunt. Nam viri probi

non

non tantùm, *virtute, ſed vtilitate, & iucunditate*, ſunt inter ſe ſimiles. Denique quod abſolute bonum eſt, id abſolute quoque eſt iucundum. Illa autem, in quibus omnes amandi rationes coniunguntur, maxime ſunt amabilia, quare amare in eis maxime viget, & amicitia in illis maxima, optimaque, *ac proinde firmiſsima* cõſurgit. *Talis ergo eſt amicitia in rebus honeſtis fundata.* Sed credere par eſt eiuſmodi amicitias eſſe raras. magna enim eſt bonorum virorum paucitas. Præterea tempore, ac vitæ conſuetudine opus eſt ad amicitiam conciliandam. Verum enim illud eſt prouerbium, Multos modios ſalis ſimul edendos eſſe, vt homines inter ſe norint; *poſsitq. alter alteri fidem habere, minimeq. in amicitia vacillare.* Nec quemquam in amicũ eligere oportet, nec vllos inter ſe amicos eſſe, priuſquam capto per longum tempus experimento, alter alteri dignus, qui ametur; & cui fides habeatur, viſus fuerit. Qui vero cito ea, quæ amicitiæ propria ſunt, inter ſe præſtant, amici quidem illi eſſe volunt, ſed non ſunt: niſi etiam digni ſint, qui amentur, idque certum alter de altero habeat, & exploratum. Amicitiæ igitur conciliandæ voluntas celeriter illa quidem ſuſcipitur, ſed non ſtatim amicitia naſcitur. Hæc igitur & tempore, & reliquis perficitur: & ex his omnibus exiſtit. Similitudinem denique vtriuſque amicorum cum altero continet, quod in amicis ineſſe debet. *amicitia enim æqualitas eſt. æqualitas vero maxime inter uiros bonos intercedit.*

S C H O L I A.

1 *Citoq. amandi finem.*] *vide Scholion 6. cap. 3. lib. pri.*

2 *Totos dies.*] *has amicitias Theophraſtus nimias dixit, & diſsidij cauſſas.*

3 *Multos modios ſalis.*] *eodem prouerbio vtitur, lib. 7. ad eadem Theognis:*

Haud noſſe ingenium viri licet, aut mulieris,
Vt nec iumenti, ni experiare prius.

Huc illud ſpectat: Nota morum, & index tempus eſt mortalibus, *& illud:* Ne cuiuis dexteram temere ineceris. *Plutarchus vt nummum, ita amicum probatum eſſe vult, antequam eo ſit opus. Merito igitur Ariſtippus mirari ſolebat, quid eſſet, quod in auctionibus homines vaſa, omnemq. ſuppellectilem diligenter inſpicerent: vitam vero illorum, quos in amicitiam ſibi adiungunt, diſpicere non magnifaciunt.*

Veram amicitiam inter viros bonos tantum intercedere. *Cap. IV.*

Illæ autem amicitiæ, quas iucundum, & compendium conſtat, ſimiles ei ſunt, quæ inter bonos intercedit. viri enim boni tũ vti-

les inter ſe ſunt, tum iucundi. Permanent autem tum maxime, cum par pari refertur: & ex vna eadéq. re redditur: vt fit inter vrbanos, & facetos. hi enim eodem delectantur, redduntq. inuicem, quod accipiunt: puta voluptatem. Secus vero inter amatorem, & eum, qui amatur, contingit. Non enim ijſdem hi delectantur: ſed amator illius amore: is qui amatur, amatoris erga ſe ſtudio, & obſeruantia. quare ſtabilior illorum amicitia eſt: horum infirmior. Nam [1] forma euaneſcente, amicitia quoque interdum euaneſcit, quòd, cum amatori eius, qui amatur, facies deſinat eſſe iucunda, hic ab illo neque colatur, neque obſeruetur amplius. Plerique autem in amicitia permanent, ſi ob vitæ conſuetudinem, *præter formam, vel compendium & obſequium*, adhuc mores dilexerint, cum ſint inter ſe ſimilis ingenij: *tunc enim alia quædam amicitia remanet, non illa prior.* Quod ſi in rebus amatorijs non iucundum, ſed vtile permutant: cum minus amici ſunt: tum [2] minus diu in amicitia, & in eadem inter ſe voluntate permanent. *Neque enim uinculum ſupereſt, quo ligentur, vbi prius illud pulchritudinis, ſeu uoluptatis a forma profectæ laxatum fuerit.* Facillime vero, qui amicitiam utilitate metiuntur, ea ſublata, diſiunguntur. non enim ſe mutuo amabant, ſed compendium. *& cum non ſint moribus ſimiles: immo potius alter alteri, lucro captando, obſit: nulla alia inter eos remanet amicitia, qua, priore illa diſſoluta, ligentur.* Ex his perſpicuum fit, malis inter ſe: & bonis cum malis: & ijs, qui nec boni, nec mali ſunt, cum qualibuſcumque eam poſſe intercedere amicitiam, quæ propter vtile, & iucundum coaleſcit. Propter ſe uero amici ſunt inter ſe ſoli viri boni. Mali enim familiaritate mutua non delectantur, niſi utilitatem aliquam alter ab altero percipiat: *cum ſint ingenio plerumque diuerſi*. Sola uero bonorum amicitia criminationibus, & calumnijs uacat. Non enim facile quicquam de eo crediderís, quem ipſe diu probarís: *quod uiri boni faciunt*. Præterea horum alter alter[illegible] *[illegible]lius uir[illegible]em ſibi perſpectam*, fidem habet maxime: & ſumm[illegible] diligenciam, ne alteri iniuriam inferat: cet[illegible] inuicem, quæ uera amicitia requirit. In[illegible] atque ſocietatibus nihil prohibet, qu[illegible]da inſint. [3] *Hæc igitur ſola uera eſt* [illegible] que amicos appellant, qui utilit[illegible] ut faciunt ciuitates, (inter eas eni[illegible] ſocietates contrahi uidentur) tu[illegible]ntur, ut pueri: fortaſſe nos q[illegible] plura amicitiæ genera poner[illegible] amicitiam nomin[illegible] *tute agunt*: reliq[illegible]

tione, qua eſt in eis boni quidpiam; ſeu aliquid boni ſimile: *puta iucundum, vel vtile.* iucundum enim bona res eſt, *ſeu magis videtur iis, qui rebus iucundis ducuntur: quod etiam de vtili affirmamus.* Sed hæ amicitiæ, quæ vtili, & iucundo conſtant, non admodum ſæpe coniunguntur: nec iidem inter ſe fiunt amici propter vtilitatem ſimul, & iucunditatem: *nam ex euentu eſt, vt amicitia, quæ inter bonos non intercedit, vtilis vna inſit, & iucunda: cum potius natura ſua hæc diſiungantur: & qui vtilis eſt, non ſit vt plurimum iucundus: nec viciſſim qui iucundus, vtilis.* quæ autem ex euentu conſtant, non admodum copulantur, nec vna cohærent. *Etſi igitur bonorum amicitia tria illa complectitur: non ideo ea, quæ malorum eſt, iucunditatem ſimul, & vtilitatem temere conſequetur.* Cum ſit autem in hæc genera amicitia diſtributa, mali quidem propter voluptatem, aut vtilitatem inter ſe erunt amici: quando hac ratione ſunt veris amicis ſimiles. boni autem propter ſe amici futuri ſunt. amant enim mutuo, qua boni ſunt. *quare amicum diligunt, non vtilitatem, vel iucunditatem, quam ab eo percipiunt. hoc enim ſe ipſos diligere eſt, non amicos.* Boni ergo abſolute ſunt amici, alij ex euentu, & eo quod ſunt ſimiles bonis.

S C H O L I A.

1 NAm forma euaneſcente.] *queritur hoc ipſum Bacchis mulier apud Terentium.* Quippe forma impulſi noſtra nos amatores colunt, hæc vbi immutata eſt, illi ſuum animum alio conferunt.

2 *Tum minus diu.*] *Qui ab amicitia vtilitatem captant, dirimuntur facile, quia non amant ſe mutuo, ſed emolumentum. Qui amatorijs incumbunt amicitijs, eſto aliquatenus ament mutuo: nihilominus pereunte forma, amor deſinit. ideo amatoria hæc copulatio infirmior ea eſt, quæ honeſto nititur: firmior ea quæ ab vtili conſtatur. in hac enim nulla habetur amici ratio, ſed vtilitatis tantum.*

3 *Hæc igitur vna vera eſt amicitia.*] *Salluſt. de bello Iugurt. ait, inter bonos eſſe amicitiam, inter malos factionem.*

Qui maxime ſint ad amicitiam idonei.
Cap. V.

IVI[illegible] ...ctum, ſed falſum. Eos qui locorum ſpatijs diſiun[illegible] ...e amplius amicos. Nam vt qui dormiunt, & quieſ[illegible] ...elices: ita hi, locis diſtracti & auulſi, etſi mutua [illegible] frui non poſſunt, nec vtilitatem alter alteri ſup[illegible] ...*t nihilominus amicitiæ habitum:* itaq. ſunt animati, [illegible] ...itiæ muneribus fungi poſsint. Locorum enim in-

terualla non dirimunt amicitias: ſed impediunt munerum functiones: *neve amicitiæ fructus omnes ad ſatietatem percipiantur*. Quod ſi diuturna fuerit abſentia: fieri poſſe videtur, vt amicitia quoque obliuione inobſcuretur: Ex quo dici ſolet,

Neglectum alloquium multos diſiunxit amicos.

Abſentes igitur non tam ad amicitiam, quam ad amicitiæ functiones videntur inepti. Sed nec ſenes, nec auſteri ſunt amicitiæ idonei; nemo enim velit conſumere tempus cum viris a iucunditate alienis, *& qui ob innatam auſteritatem amicitiæ fructus contemnant*. natura enim dolorem maxime fugere, & iucunditatem expetere videtur. Quod ſi inter ſe alter alteri probatus ſit, & acceptus, nulla tamen communi vitæ conſuetudine deuinciantur: beneuoli potius erunt, quam amici. Nihil enim tam proprium eſt amicorum, quam vitæ ſocietate coniungi. quapropter etſi egentes vtilitatem expetunt, *neceſſitate videlicet adacti*: nihilominus diuites ac beati, *quibus a neceſſitate nulla vis infertur*, vitæ adhuc conſuetudinem, *natura impellente*, appetunt. Solitaria enim vita his minime omnium conuenire videtur. At vna viuere non poſſunt, qui nec iucundi ſūt, nec iiſdem rebus delectantur: quod in ſodalitate maxime ineſſe videtur. *Non ſunt igitur ſenes, & auſteri ad amicitiam apti*. Vnde etiam concluditur, bonorum amicitiam eſſe maxime amicitiam, quemadmodum iam ſæpe dictum eſt. Nam cum id amabile, optabileq. *ſimpliciter* videatur, quod abſolute bonum, aut iucundum eſt; tum id cuique eſt amabile, quod ei bonum, aut iucundum eſt. at vir bonus viro bono propter horum vtrumque amabilis eſt. *bonus enim alter alteri eſt, & iucundus. maxime igitur ſunt amici, cum cauſſam habeant ſocietatis vitæ continuo retinendæ. Quod autem ſupra diximus, amicitiam quo ad habitum citra functiones conſiderari poſſe: ex eo declaratur*, quod amatio, & amicitia, Græce φίλησις καὶ φιλία, differunt. amatio enim perturbationi ſimilis eſt: amicitia habitui. nam amatio *late ſumpta* in res inanimas confertur, *vt ad vinum, aurum, & ſimilia; quæ porrò amamus noſtri gratia*. redamare autem, *quod opus eſt amicitiæ*, ab electione exiſtit. *neque enim ineſt ratione vacuis. Quod autem ab electione fit, non eſt a perturbatione, ſed potius ab habitu:* redamare igitur ab habitu proficiſcitur. *eſt ergo amicitia habitus. habitum vero locorum diſtantia non delet:* nec *ergo amicitiam*. Deinde amicis bene eſſe volumus illorum cauſſa: idq. non perturbatione aliqua incitati, ſed ex habitu. *perturbatio enim potius propria bona reſpicit, quam amici. amicitia igitur eſt habitus*. Qui vero amicum diligit, *& illi bona euenire cupit illius gratia*, ſe ipſum vna diligit, *& ſibi bonum quærit*. Nam vir bonus, amicus alicui factus, ei, ipſi, cui amicus eſt, bonum eſt. Vterque igitur

cum

cum id, quod ſibi bono eſt, diligit: tum par pari & voluntate, & iucunditate refert: *cum ſe in illum æque iucundum, & beneuolum præſtet, ac eundem erga ſe ipſum experiatur.* Nã vulgo dici ſolet [3] æqualitatem amicitiam eſſe. Hæc ergo *æqualitas, & compenſatio, ſeu paris pari redditio*, in bonorum amicitia maxime inerit.

SCHOLIA.

1 EOs, qui locorum ſpatijs.] paroemiam iſtam inhumaniſſimam Athenæus appellat, lib. 4. quod abſentium amicorum memoriam obliterare videtur. Turpilius Comicus apud Hieronymum in epiſt. ad Nitiam, ait, ſola litterarum viciſſitudine abſentes coniungi. Sed hanc inter vulgares, & ſapientes diſcordiam Iſocrates in orat. ad Demonicum conciliat. ait enim ſapientes ab inſipientibus maximum diſcrimen vel ab ipſa vitæ conſuetudine nactos eſſe: quod illi præſentes tantum amicos venerantur: hi etiam abſentes: & familiaritatem improborum vel tantillum quidem temporis diſſoluerit: bonorum vero amicitiam ne vniuerſum quidem ſeculum deleuerit. Quare quod Propertius ait, Quantum oculis, animo tam procul ibit amor: *de malorum amicitia dictum. Verum illud tamen eſt, abſentes priuari multis amicitiæ fructibus: &, ſi nimis diu abſint, tandem obliterari amicitiæ memoriam: quam nihilominus vicinitas auget, atque tuetur. quare monet Heſiodus, ad conuiuium vicinos maxime vocandos eſſe: tum Chremes Terentianus in propinqua amicitiæ parte ponit vicinitatem. Thales dixit, amicitiam eſſe animorum coniunctionem, quam non dirimit locus.*

2 Ei ipſi, cui amicus eſt.] Vbi enim amici, ibi opes. Plauti dictum in Truculento; quod hodie foret potius inuertendum; Vbi opes, ibi amici: nam:

Illud amicitiæ quondam venerabile nomen
Proſtat, & in quæſtu pro meretrice ſedet.

3 Aequalitatem amicitiam eſſe.] explicat Plato 6. de leg. vt diſtributio fiat iuxta perſonarum conditionem. Ariſtoteles vero ita ſumit, quaſi paris pari redditione ſtatuatur æqualitas. Dixerim magis Amicitiam eſſe vnitatem. Nam amicus alter ipſe, ait Pythagoras. Et amicis eadem ineſt anima. & amicorum omnia communia. quæ ab Euripide in Oreſte, atque Phoeniſſis, a Cicerone pri. de leg. a Timæo apud Laertium, alijsq. apud Gellium, lib. pri. cap. 9. ſunt vſurpata: & merito. Neque enim quicquam non commune, vbi fortunarum æqualitas: neque diſſenſio, vbi idem animus: neque diuortium, vbi duorum coagmentatio in vnum. Quare Ariſt. 2. magn. moral. ait, cum volumus valde amicum dicere, animam noſtram illum appellamus. Ex eo, quod amicorum omnia ſunt communia, colligebat Socrates, Dijs, & viris bonis omnia eſſe communia, ita ut hi quoque teneant orbis principatum.

Senes, & auſteros non eſſe aptos ad amicitiam: & qua amicitia plures poſsint eſſe amici.

Cap. VI.

CVm autem congreſſus, & colloquutiones ad amicitiam conglutinandam plurimum valeant, ſintq. eius maxime propria; homines vero acerbi, & natura triſtes, atque auſteri, & ſenes illis minime delectentur: fit, vt hi, quo ſunt difficiliores, eo minus amicitia iungantur. Iuuenes igitur cito fiunt amici, cum iuuentus læta quædam res ſit, *& in conuictu gaudeat:* ſenes non item: nec, qui acerbi ſunt, triſteſq. natura: non enim fiunt ijs amici, quibus non delectantur: *iſtorum vero proprium eſt, vel nullis, vel admodum paucisſimis, & quidem frigide, delectari.* Sed eiuſmodi homines poſſunt inter ſe eſſe beneuoli. bene enim alter alteri omnia euenire volunt, præſtoq. adſunt, atque occurrunt in rebus dubiis, & difficilibus, *ac ſponte obuij ad opem ferendam fiunt:* ſed non admodum ſunt amici: quia nec totos vna dies tranſigunt: nec alter alterius moribus delectatur; quæ maxime videntur amicitiæ conuenire. Perfecta vero amicitia cum multis nemini eſſe poteſt: ſicut nec vno tempore multarum amore teneri. Nam perfecte amare nimio ſimile eſt. Vt vero vnum aliquem nimium amemus, natura patitur: [a] ſed multos vno tempore vni vehementer placere, non eſt facile: forraſſe etiam neque multos eſſe bonos. *quare amicitia proprie dicta ad paucisſimos contrahitur.* Oportet autem & illorum probitatis periculum facere, & ſermonis, vitæq. conſuetudine cum illis coniungi: [a] quod eſt omnium difficillimum, *neque cum multis exerceri poteſt.* Sed amicitiæ, quæ ob vtilitatem, & iucunditatem conflantur, nihil prohibet, quominus vni cum multis intercedant. fieri enim poteſt, vt quis ob eas multis placeat. Nam huius generis hominum, *ad cuiuſquemodi res* vtilium, & iucundorum, magna copia eſt: & duo illa, *per quæ amicitia conſtituitur, experimentum ſcilicet, & vſus amici,* breui tempore ſuppeditari poſſunt. *cito enim certi poſſumus fieri, an quis emolumento ſit nobis futurus: & homines vrbani ſtatim deprehenduntur.* Harum vero duarum ea magis *veræ* amicitiæ ſimilitudinem gerit, quæ iucundi cauſſa inſtituta eſt, cum alteri ab altero eadem præſtantur: & alter altero delectatur, aut eiſdē vterque; quales ſunt iuuenum amicitiæ. Magis enim in his ingenium quoddam liberale elucet. ea vero, quæ propter vtile comparatur, eorum eſt magis, qui mercaturam faciunt, aut lucrum in foro ſectantur. Diuites quoque, & beati non vtiles, ſed iucundos amicos deſiderant.

deſiderant. Viuere enim cum aliquibus volunt; *cum ſoli eſſe non poſſint.* id autem quod moleſtum eſt, *cuiuſmodi multa fortunatis quoque contingunt*, ferunt illi quidem ad breue tempus. perpetuo vero, qui perferre poſſit, reperias neminem. immo ne ipſam felicitatē, ſi tandem moleſta eſſe inciperet, perferret. Itaque *ad faſtidium leuandum*, & moleſtiam abigendam iucundos quærunt amicos, *quorum conſuetudine recreentur.* Sed fortaſſe bonos adhuc quærere oporteret, qui etiam amicis boni ſunt. Sic enim eis illa præſto erunt, quibus amici inſtructi, & ornati eſſe debent. *namq. virtutem iucunditas, vtilitaſque, ceterique amicitiæ fructus perpetuo ſequuntur.* Qui vero ſunt poteſtate aliqua, & auctoritate præditi, amicos diſtinctos, ac diuiſos habent: alios quidem vtiles, alios ſuaues, & iucundos; qui nihilominus nec vtilium, nec iucundorum partes explent. Nam neque eos iucundos quærunt, qui iucundum cum virtute coniunxerint; neque eos vtiles, qui ſibi ad res honeſtas vſui eſſe poſſint: ſed pro iucundis facetos, pro vtilibus ſollertes, & ad imperata facienda idoneos. *quod genus hominum æque principibus nocere, ac prodeſſe poteſt.* Iucundum vero, & vtile non admodum ſæpe in eodem reperiuntur. *Nam nec faceti homines vtilitatem afferre ſolent: nec qui vtiles ſunt, iidem vrbanitati, & iocis incumbunt.* At bonum virum iucundum ſimul, & vtilem eſſe diximus. Ceterum vir bonus, & virtute præditus in hominis dignitate præſtantis amicitiam ſe non facile inſinuabit, niſi eundem ſuperet virtute; vt adæquatio fiat; *vt quantum ipſe ſuperatur opibus, & dignitate: tantum virtute* illi *præſtet.* 3 Sed raro admodum tales homines reperiri ſolent, *qui eius animi ſint, vt, cum opibus antecellunt, alia quapiam re ſuperari ſe poſſe arbitrentur. fortuna enim ſua magnopere delectati, paruifaciunt animi dotes. & quamuis in eo genere ſuperentur ab alijs, eos tamen ſibi exæquatos minime arbitrantur.* In æqualitate igitur eæ, quas ſupra diximus, amicitiæ poſitæ ſunt. nam aut eadem ab vtroque præſtantur, eademq. alter alteri vult euenire: aut aliud cum alio commutant; v. g. cum vtilitate voluptatem. Has autem minus eſſe amicitias, minusq. diu permanere dictum eſt: videnturq. propter ſimilitudinem, & diſſimilitudinem, quam ad veram amicitiam habent, & eſſe, & non eſſe amicitiæ. Vni enim iucundum ineſt, alteri vtile: quorum vtrunque vera habet amicitia: Sed hæc criminationum, & calumniarum expers eſt, & ad perpetuitatem pænè firma: illæ vero celeriter corruunt, alijſq. multis ab ea differunt: vt propter diſſimilitudinem non videantur amicitiæ. *Hactenus de amicitijs in æqualitate conſtitutis.*

SCHOLIA.

1 *Sed multos vno tempore.*] *Vt enim fluuij in riuos diducti lentior*

curſus

curſus redditur: ſic amoris in multos diuiſi impetus minuitur. Quapropter Homerus carum filium appellat, ſolum,& in ſenectute genitum: *quando ſcilicet neq. alium parentes habent, neq. ſperant.*

2 *Quod & omnium difficillimum eſt.] eiuſmodi enim experimentum in hac vita breuitate a multis capi non poteſt; neque cum multis conuiuere licet.*

3 *Sed raro admodum tales homines.] hac explicatio ad rem facere magis mihi viſa eſt. aliam habes apud Euſtratium: aliam D. Thomas affert.*

Dubitare autem hoc loco eſt; Si vir, qui dignitate ſuperat, & ipſe ſit virtute praditus: non fiet eius ad virum bonum, priuata conditionis exiſtentem, adaquatio. nam bonitate par illi erit: maior eodem dignitate. non erit igitur inter hos amicitia. Reſpondet Euſtratius, iſtos virtute fore aquales, & eatenus amicos. bonus enim bono, abſque medio vllo, fit amicus. nec refert, ſi quo ad dignitatem vel ciuilem poteſtatem, aut diuitias ſint inaquales.

De amicitijs, quæ inter diſpares intercedunt.

Cap. VII.

1 ALliud autem amicitiæ genus in excellentia quadam poſitum eſt; vt ea, quæ inter patrem, & filium: ſenem & iuuenem: virum & vxorem: omnes demum, qui præſunt, & eos, qui parere debent, intercedit. ſed hæ quoque amicitiæ inter ſe differunt. Nam ea, quæ parentum cum liberis eſt, differt ab ea, quæ ijs, qui præſunt, cum ijs, qui ſub imperio ſunt, intercedit. Sed neque eadem eſt patris cum filio, quæ filij cum patre: neque eadem viri cum vxore, quæ vxoris cum viro. Alia enim cuiuſque horum virtus eſt: aliæ partes, vel munera: aliæ demum alijs amandi cauſſæ. aliæ igitur amationes, & amicitiæ. Eadem ergo vtrique ab altero neque præſtantur, neque ſunt poſtulanda: *ſed cuilibet à quolibet iuxta excellentia conditionem.* Quare cum liberi ijs, a quibus procreati ſunt, ea tribuerint, quæ parentibus debentur: & viciſsim parentes liberis ea dederint, quæ filijs danda ſunt: tum firma & æqualis amicitia hæc futura eſt. In omnibus autem eiuſmodi amicitijs proportione quadam amatio extare debet: vt ſcilicet is, qui magis excellit, ametur magis, quã amet: ſiue maior hæc excellentia in dignitate conſiſtat, ſiue in vtilitate afferẽda, ſiue in alijs eiuſdẽ generis. Cũ enim amatio fit pro dignitate, tum quodãmodo extat æqualitas, quod amicitiæ propriũ eſſe videtur: ſed nõ ea æqualitas, quę eſt in rebus iuſtis.

Etenim

Etenim in rebus iuſtis primum locum ea obtinet æqualitas, quæ pro cuiuſque dignitate eſt, *& in Geometrica proportione conſiſtit; vt quinto horum ſermonum libro diximus*: ſecundum ea, quæ numerum reſpicit: *dignitatis vero nullam habet rationem: cui Arithmeticam proportionem ſupra accommodauimus. prior illa Ariſtocratiæ, & Oligarchiæ inſeruit: poſterior vero democratiæ, ſiue ſtatui multitudinis.* In amicitia vero contra fit. nam in ea primo loco illud æquale ſtatuitur, quo parem magnitudine partem quiſque conſequitur: ſecundo id, quo rata cuique pars pro ſua cuiuſque dignitate tribuitur. *Nam amicitia maxime eſt inter pares: eaq. firmiſſima eſt, maximeq. proprie amicitia: proximum illi locum tenet ea, quæ in excellentia conſiſtit.* Quod ex eo perſpici poteſt, ſi virtutis, vitij, diuitiarum, aut alius alicuius rei magna ſit inter amicos diſtantia. tali enim ſtatu non ſunt amplius amici; immo ne æquum quidem eſſe iudicant, *amicitiam inuicem profiteri*. Idq. in Dijs maxime apparet. Ij enim omnibus viris bonis longe antecellunt. [1] *quare inter hos, & illos amicitia proprie non eſt ſtatuenda.* Perſpicuum quoque in Regibus idem eſt. Nam ad eorum amicitiam ne aſpirant quidem illi, qui multo ſunt ijs inferiores: neque præſtantiſsimorum, aut ſapientiſſimorum hominũ amicitiam contemptiſsimi expetunt, aut nullius homines pretij. *æqualitatẽ igitur eam, quæ in magnitudine, non quæ in proportione dignitatem metiente conſiſtit, maxime requirit amicitia.* Subtilis autem terminus in his conſtitui non poteſt, quatenus progredi, & ad quantam vſque alterius excellentiam, & in quanta hominum diſtantia ſalua eſſe poſſit. Nam multa poſſunt ab alio detrahi, ac etiam num amicitia remanere: ſed ſi longiore interuallo inter ſe diſiungantur, vt homo a Deo, non iam ea remanet. Ex quo alia quoque naſcitur dubitatio: Velint ne amici amicos bonis quam maximis affici, v.g. Deos eſſe: *Hoc autem, iacturam velle facere, eſt.* non enim amici iam ſunt eis futuri, *ſi nimium creſcant dignitate*: neque igitur bona *illis erunt, quæ ante habebant*. amicorum enim bona ſunt amici. *Ceterum non ita ſe res habere videtur.* Nam ſi pulchre & vere dictum illud eſt, quemque amico illius, non ſui cauſſa bona optare: profecto manebit amicitia, qualiſcumque tandem ille ſit, cui dignitatis cumulus accedit. Verum ei certe, vt homini, maxima bona euenire, volet: *non diuinitatem*: ſed forte non omnia bona. ſibi enim quiſque maxime cupit: *& principem in amando locum amor ſui occupat. quare ſi dum bona optamus amicis, graue aliquod detrimentum nobis ipſi creamus, vel felicitatem amittimus: mentem illam deponimus*, noſtriq. gerimus curam.

S C H O L I A.

1 *Aliud autem amicitiæ genus.*] *Hæc ſimilis eſt relationi non mutua;*

pe inter ſe diſcrepant. Nam abſolute amabile eſt ſummum bonum: huic vel illi amabile, quod huic vel illi eſt, ſeu videtur bonum. amat enim vnuſquiſque non quod ſibi reipſa bonum eſt, ſed quod videtur. Id vero noſtra nihil intereſt. erit enim amabile quod bonum eſſe videbitur. Cum ſint autem tria, in quibus amandi cauſſa ineſt, *vtilitas, voluptas, honeſtas*, [1] ad inanima non pertinet amicitia. Nam neque mutuo amant, neque illis quiſquam vult bene eſſe. Ridiculus enim videatur is, qui dicat, ſe vino bene euenire velle: ſed vt quam liberaliſsime agamus, hoc ei dabimus: vt velit vinum ſaluum, & incorruptum manere, vt ipſe habeat, & vtatur. Atqui amicitiæ ratio id poſtulat: vt illi eius cauſſa, non noſtri, bene cupiamus. *Ex quibus colligitur non omnem amorem eſſe aptum ad amicitiam conſtituendam. amamus enim inanima vtilitatis noſtræ cauſſa, cum quibus amicitiam habere non poſſumus.* Sed qui amicis bene euenire volunt, [2] ſi non par pari ab illis referatur, beneuoli appellantur, non amici: *cuius conditionis defectu inter matrem, & filium in cunis vagientem non eſt amicitia, ſed tantum matris erga illum beneuolentia.* Quare amicitia erit amor quidem, ſeu beneuolentia, ſed inter eos, qui in amore par pari reddunt. adde, Non occulta, neque incognita. Multi enim, homines quos nunquam viderunt, amant, eoſq. viros bonos, ac ſibi vtiles fore exiſtimant, & forte redamantur ab illis. inter hos autem beneuolentia intercedit, non amicitia. Quamobrem enim eos, quorum alter de alterius in ſe animo nihil habeat exploratum, amicos appellem? [3] Ad amicitiam igitur conſtituendam oportet ijs, qui mutua ſe beneuolentia complectuntur, & quorum alter alteri bonum euenire vult, hanc voluntatem eſſe cognitam, atque ex vno aliquo trium illorum, quæ dicta ſunt, proficiſci.

S C H O L I A.

1 *AD inanima non pertinet amicitia.*] *videnda quæ ſcripſimus in comment. de Affect. animi. de Amore, cap. 8.*

2 *Si non par pari.*] *Plato in Lyſide ait, Niſi vterque amet, neutrum eſſe amicum.*

3 *Ad amicitiam igitur.*] *colligi poteſt hinc amicitiæ definitio. Nam illæ, quas Plato in Lyſide, Cicero, & D. Auguſtinus, in lib. de amicitia proferunt, amicitiæ potius explicant effectus, quam naturam. Noſtra vero definitio hæc eſt.* Amicitia eſt beneuolentia mutua, hinc inde cognita, mutuis officijs confirmata, ex probitatis amore profecta, ad vitæ coniunctionem. Beneuolentia) *vſus ſum hoc vocabulo potius, quam amoris: nam hæc propria eſt hominis: amor ad bruta quoque pertinet.* Mutua, *& quæ ſequuntur, ob rationes ab Ariſtotele allatas.* Mutuis officijs, confirmata. *nam ad amicitiam tria requiruntur, vt Plutarchus libro de Amicorum multitudine docet: Virtus, vt pul-*

chrum:Conſuetudo vt iucundum: Vſus, vt neceſſarium. Ex probitatis amore profectâ. *Nam vt Seneca ait, ſolus ſapiens amat. Plato in Lyſide malos ab amicitia, vti ſtolidos, & inſtabiles, repellit: eoſq. tantum ait eſſe amicos, qui ſtudio compare tendunt ad virtutem; idque dum faciunt, Deum venerari, eumq. ſibi amicum reddere. propterea illis tertium accedere amatorem Deum, amicitiæ cuſtodem perpetuum, atque nodum indiſſolubilem.* Ad vitæ coniunctionem. *quærit enim amor facere quam maxime vnum. Hic finis eſt amicitiæ. Cauſſa vero eiuſdem efficiens eſt virtus. Materia eſt homo, quem ſub beneuolentiæ vocabulo complexi ſumus. Forma demum ceteris definitionis partibus continetur.*

Tres eſſe amicitiæ ſpecies. *Cap. III.*

SEd cum tria ſint, quæ amantur, bonum ſiue honeſtum, vtile, iucundum; totidem erunt amationes, & amicitiæ. cuique enim amabilium generi, ſua reſpondet mutua amatio, neque incognita, neque obſcura. Qui etiam amant inter ſe, alter alteri, qua amant, omnia bene euenire volunt. Quare qui vtilitatis cauſſa amant, non propter ſe, neq. ſua cauſſa inter ſe amant, ſed propter bonum, quod in alterum ab altero proficiſcitur: ſimiliſq. illorum ratio eſt, qui ob voluptatem amicitia iunguntur. Facetos enim diligimus, quia nos delectant, non quia tales, vel tales in ſe ſunt. quare illi amicitiam vtilitate metiuntur, hi voluptate. vtriq. vero non amicum, ſed, quod ab amico in ipſos proficiſcitur, amant. Ex euentu igitur conſtant hæ amicitiæ. non enim amicus diligitur, ſed quæ ab eo capitur vtilitas, vel voluptas. Quapropter facile dirimuntur, cum ij qui vtiles, vel iucundi erant, non ijdem perſeuerent. tunc enim fit amandi finis, diſſoluiturq. amicitia, defluentibus, & euaneſcentibus amoris cauſſis, ac eo, quod amicitiam contraxerat, diſſoluto: perinde ac amicitia cum iucunditate, & vtilitate, non cum hominibus eſſet inſtituta. Eius generis amicitia in ſenibus maximè cernitur, tum in iuuenibus, & ætate florentibus, ſi qui ſunt, qui emolumento ducuntur. Hi enim vt etiam ſenes, vtile in amicitijs venantur non iucundum. Tales autem iuuenes compendio dediti, ſocietate vitæ non admodum inter ſe coniunguntur. nam *quod ætati illi ineſſe, & ab ea appeti ſolet, ne illis quidem aliquando ineſt*, nec interdum iucundi ſunt. Quare talium hominum conſuetudo non expetitur, niſi ſint vtiles. cito enim iucunditas dilabitur, cum illi tantiſper ſe iucundos præbeant, quamdiu ſe commodum aliquod ſperant reportaturos. Atque in hoc genere hoſpitalis quoque ami-

citia

citia locatur: *vt quæ vtilitate apud vulgares conciliatur*. Iuuenum autem amicitia voluptatis cauſſa comparatur, *& inconſtans eſt:* tum quia perturbationibus animi ſeruiunt: tum quia quod iucundum ſibi,quodq. præſens eſt, ſequuntur maxime: *eorum, quæ conſequuntur, nullam gerunt cogitationem*. Quoniam vero mutata ætate, mutantur ea, quæ ſunt iucunda, (nam aliud adoleſcentem delectat, aliud virum, aliud ſenem) idcirco iuuenes celeriter amici fiunt, & amare deſinunt: eorum videlicet amicitia vna cum eo, quod eis iucundum erat, immutata, & dilabente. talis autem voluptas celeriter mutatur, *cum ſit ſuapte natura inſtabilis, & fluxa*. Sunt quoquoque adoleſcentes in molles teneroſq. amores magnopere proni. rem vero amatoriam magna ex parte perturbatio regit, & gubernat: parit, atque efficit voluptas. *vtrique vero ſumma inconſtantia adiuncta eſt*. Amant igitur, [1] citoq. amandi finem faciunt, ita vt ſæpe vno eodemq. die voluntatem mutent. Volunt autem hi [2] totos dies vna traducere, vitæq. ſocietate coniungi. hac enim ratione id eis contingit,quod maxime, ab amicitia quærunt; *puta iucundum. Omnis autem amicitiæ fructus a conſuetudine percipitur. Atque horum quidem amicitia in vtili, & iucundo conſtituta ſic ſe habet*.
Sed virorum bonorum, & virtute ſimilium perfecta amicitia eſt, *non ex euentu conflata, vel vlla ſui parte diminuta*. Hi enim mutuo ſibi bona euenire volunt, qua ſunt boni: ſunt autem per ſe boni, quare maxime ſunt amici. bona enim cupiunt amicis illorum cauſſa: *non vt ipſi compendium faciant, vel voluptate vlla perfundantur*. quod qui faciunt, maxime ſunt amici. nam ita per ſe ſunt animati, non ex euentu. Tamdiu vero manet horum amicitia, quamdiu ipſi boni ſunt. virtus autem diuturna quædam res eſt, & maxime ſtabilis. ſtabilis igitur & amicitia virtuti innixa. Eſt etiam vterque tum ſimpliciter, & abſolute bonus, tum etiam amico. Nam viri boni & abſolute boni ſunt, & inter ſe vtiles, atque iucundi: quandoquidem boni, & abſolute iucundi, & inter ſe iucundi ſunt. Nam ſuis quiſque, atque talibus, qualis ipſe eſt,actionibus delectatur. bonorum vero tales, quales ipſi ſunt, aut omnium maxime ſimiles, ſunt actiones. *ex illis ergo viri boni voluptatem capiunt*. Quare cum in bonorum amicitiam omnia concurrant, quæ in amicis eſſe debent: ſcilicet honeſtum, vtile, iucundum: ea porro merito firma, & ſtabilis futura ſit. Omnis enim amicitia vel propter bonum aliquod contrahitur, vel propter iucundum: & quidem vel propter abſolute bonum, & abſolute iucundum: *quod in bonorũ amicitia ineſt:* vel propter id, quod tale eſt ei, qui amat, ac ſimilitudine quadam,non vere, bonum eſt, & iucundum. In hac vero proborum, hominum amicitia quæ per ſe bona, & iucunda ſunt, inſunt. Nam viri probi

non

non tantùm, *virtute*, *ſed vtilitate*, *& iucunditate*, ſunt inter ſe ſimiles. Denique quod abſolute bonum eſt, id abſolute quoque eſt iucundum. Illa autem, in quibus omnes amandi rationes coniunguntur, maxime ſunt amabilia. quare amare in eis maxime viget, & amicitia in illis maxima, optimaque, *ac proinde firmiſsima* cõſurgit. *Talis ergo eſt amicitia in rebus honeſtis fundata*. Sed credere par eſt, eiuſmodi amicitias eſſe raras. magna enim eſt bonorum virorum paucitas. Præterea tempore, ac vitæ conſuetudine opus eſt ad amicitiam conciliandam. Verum enim illud eſt prouerbium, Multos modios ſalis ſimul edendos eſſe, vt homines inter ſe norint; *poſsitq. alter alteri fidem habere, minimeq. in amicitia vacillare.* Nec quemquam in amicũ eligere oportet, nec vllos inter ſe amicos eſſe, priuſquam capto per longum tempus experimento, alter alteri dignus, qui ametur; & cui fides habeatur, viſus fuerit. Qui vero cito ea, quæ amicitiæ propria ſunt, inter ſe præſtant, amici quidem illi eſſe volunt, ſed non ſunt: niſi etiam digni ſint, qui amentur, idque certum alter de altero habeat, & exploratum. Amicitiæ igitur conciliandæ voluntas celeriter illa quidem ſuſcipitur, ſed non ſtatim amicitia naſcitur. Hæc igitur & tempore, & reliquis perficitur: & ex his omnibus exiſtit. Similitudinem denique vtriuſque amicorum cum altero continet, quod in amicis ineſſe debet. *amicitia enim æqualitas eſt. æqualitas vero maxime inter uiros bonos intercedit.*

S C H O L I A.

1 *Citoq. amandi finem.*] *vide Scholion 6. cap. 3. lib. pri.*

2 *Totos dies.*] *has amicitias Theophraſtus nimias dixit, & diſsidij cauſſas.*

3 *Multos modios ſalis.*] *eodem prouerbio vtitur, lib. 7. ad eadem Theognis:*

Haud noſſe ingenium viri licet, aut mulieris,
Vt nec iumenti, ni experiare prius.

Huc illud ſpectat: Nota morum, & index tempus eſt mortalibus, *& illud:* Ne cuiuis dexteram temere ineceris. *Plutarchus vt nummum, ita amicum probatum eſſe vult, antequam eo ſit opus. Merito igitur Ariſtippus mirari ſolebat, quid eſſet, quod in auctionibus homines vaſa, omnemq. ſuppellectilem diligenter inſpicerent: vitam vero illorum, quos in amicitiam ſibi adiungunt, diſpicere non magnifaciunt.*

Veram amicitiam inter viros bonos tantum intercedere. Cap. IV.

Illæ autem amicitiæ, quas iucundum, & compendium conſtat, ſimiles ei ſunt, quæ inter bonos intercedit. viri enim boni tũ vti-

les inter ſe ſunt, tum iucundi. Permanent autem tum maxime, cum par pari refertur: & ex vna eadẽq. re redditur: vt fit inter vrbanos, & facetos. hi enim eodem delectantur, redduntq. inuicem, quod accipiunt: puta voluptatem. Secus vero inter amatorem, & eum, qui amatur, contingit. Non enim iiſdem hi delectantur: ſed amator illius amore: is qui amatur, amatoris erga ſe ſtudio, & obſeruantia. quare ſtabilior illorum amicitia eſt: horum infirmior. Nam [1] forma euaneſcente, amicitia quoque interdum euaneſcit, quod, cum amatori eius, qui amatur, facies deſinat eſſe iucunda, hic ab illo neque colatur, neque obſeruetur amplius. Pleriquè autem in amicitia permanent, ſi ob vitæ conſuetudinem, *præter formam, vel compendium & obſequium*, adhuc mores dilexerint, cum ſint inter ſe ſimilis ingenij: *tunc enim alia quædam amicitia remanet, non illa prior.* Quod ſi in rebus amatorijs non iucundum, ſed vtile permutant: cum minus amici ſunt: tum [2] minus diu in amicitia, & in eadem inter ſe voluntate permanent. *Neque enim uinculum ſupereſt, quo ligentur, vbi prius illud pulchritudinis, ſeu uoluptatis a forma profectæ laxatum fuerit.* Facillime vero, qui amicitiam utilitate metiuntur, ea ſublata, diſiungnntur. non enim ſe mutuo amabant, ſed compendium. *& cum non ſint moribus ſimiles: immo potius alter alteri lucro captando, ei ſit: nulla alia inter eos remanet amicitia, qua, priore illa diſſoluta, ligentur.* Ex bis perſpicuum fit, malis inter ſe: & bonis cum malis: & ijs, qui nec boni, nec mali ſunt, cum qualibuſcumque eam poſſe intercedere amicitiam, quæ propter vtile, & iucundum coaleſcit. Propter ſe uero amici ſunt inter ſe ſoli viri boni. Mali enim familiaritate mutua non delectantur, niſi utilitatem aliquam alter ab altero percipiat: *cum ſint ingenio plerumque diuerſi*. Sola uero bonorum amicitia criminationibus, & calumnijs uacat. Non enim facile quicquam de eo crederis, quem ipſe diu probaris: *quod uiri boni faciunt*. Præterea horum alter alteri, *ob illius uirtutem ſibi perſpectam*, fidem habet maxime: & ſummam uterque adhibet diligenciam, ne alteri iniuriam inferat: ceteraq. omnia præſtant inuicem, quæ uera amicitia requirit. In aliis antem ſodalitatibus, atque ſocietatibus nihil prohibet, quo minus eiuſmodi incommoda inſint. [3] *Hæc igitur ſola uera eſt amicitia*. Sed quoniam eos quoque amicos appellant, qui utilitate ad amandum inducuntur, ut faciunt ciuitates, (inter eas enim compendij, & utilitatis cauſſa ſocietates contrahi uidentur) tum eos, qui uoluptate ad idem inuitantur, ut pueri: fortaſſe nos quoque iſtos amicos appellare, & complura amicitiæ genera ponere debemus: primo tamen loco, & proprie eam amicitiam nominare, quæ eſt inter bonos, qua boni ſunt, *& ex virtute agunt*: reliquas vero ex ſimilitudine. Amici enim illi ſunt ea ra-

tione,

tione, quæ eſt in eis boni quidpiam, ſeu aliquid boni ſimile: *puta iucundum, vel vtile.* iucundum enim bona res eſt, *ſeu magis videtur, ijs, qui rebus iucundis ducuntur: quod etiam de vtili affirmamus.* Sed hæ amicitiæ, quæ vtili, & iucundo conſtant, non admodum ſæpe coniunguntur: nec iſdem inter ſe fiunt amici propter vtilitatem ſimul, & iucunditatem: *nam ex euentu eſt, vt amicitia, quæ inter bonos non intercedit, vtile vna inſit, & iucundam: cum potius natura ſua hæc disiungantur: & qui vtilis eſt, non ſit vt plurimum iucundus: nec viciſſim qui iucundus, vtilis.* quæ autem ex euentu conſtant, non admodum copulantur, nec vna cohærent: *Etſi igitur bonorum amicitia tria illa complectitur: non ideo ea, quæ malorum eſt, iucunditatem ſimul, & vtilitatem temere conſequetur.* Cum ſit autem in hæc genera amicitia diſtributa, mali quidem propter voluptatem, aut vtilitatem inter ſe erunt amici: quando hac ratione ſunt veris amicis ſimiles. boni autem propter ſe amici futuri ſunt. amant enim mutuo, qua boni ſunt. *quare amicum diligunt, non vtilitatem, vel iucunditatem, quam ab eo percipiunt: hoc enim ſe ipſos diligere eſt, non amicos.* Boni ergo abſolute ſunt amici; alij ex euentu, & eo quod ſunt ſimiles bonis.

S C H O L I A.

1 N*Am forma euaneſcente.*] *queritur hoc ipſum Bacchis mulier apud Terentium.* Quippe forma impulſi noſtra nos amatores colunt, hæc vbi immutata eſt, illj ſuum animum alio conferunt.

2 *Tum minus diu.*] *Qui ab amicitia vtilitatem captant, dirimuntur facile, quia non amant ſe mutuo, ſed emolumentum. Qui amatorijs incumbunt amicitijs, eſto aliquatenus ament mutuo: nihilominus pereunte forma, amor deſinit. ideo amatoria hæc copulatio infirmior ea eſt, quæ honeſto nititur: firmior ea quæ ab vtili conſtatur. in hac enim nulla habetur amici ratio, ſed vtilitatis tantum.*

3 *Hæc igitur vna vera eſt amicitia.*] *Salluſt. de bello Iugurt. ait, Inter bonos eſſe amicitiam, inter malos factionem.*

Qui maxime ſint ad amicitiam idonei.

Cap. V.

V*Vlgare fuit dictum, ſed falſum: Eos*[1] *qui locorum ſpatijs disiunguntur, non eſſe amplius amicos:* Nam vt qui dormiunt, & quieſcunt, ſunt habitu felices: ita hi, locis diſtracti & auulſi, etſi mutua vitæ conſuetudine frui non poſſunt, nec vtilitatem alter alteri ſuppeditare: *retinent nihilominus amicitiæ habitum:* itaq. ſunt animati, vt omnibus amicitiæ muneribus fungi poſsint. Locorum enim in-

terualla non dirimunt amicitias: ſed impediunt munerum functiones: *neve amicitiæ fructus omnes ad ſatietatem percipiantur*. Quod ſi diuturna fuerit abſentia: fieri poſſe videtur, vt amicitia quoque obliuione inobſcuretur: Ex quo dici ſolet.

Neglectum alloquium multos diſiunxit amicos.

Abſentes igitur non tam ad amicitiam, quam ad amicitiæ functiones videntur inepti. Sed nec ſenes, nec auſteri ſunt amicitiæ idonei; nemo enim velit conſumere tempus cum viris a iucunditate alienis, *& qui ob innatam auſteritatem amicitiæ fructus contemnant*. natura enim dolorem maxime fugere, & iucunditatem expetere videtur. Quod ſi inter ſe alter alteri probatus ſit, & acceptus, nulla tamen communi vitæ conſuetudine deuinciantur: beneuoli potius erunt, quam amici. Nihil enim tam proprium eſt amicorum, quam vitæ ſocietate coniungi. quapropter etſi egentes vtilitatem expetunt, *neceſſitate videlicet adacti*: nihilominus diuites ac beati, *quibus a neceſſitate nulla vis infertur*, vitæ adhuc conſuetudinem, *natura impellente*, appetunt. Solitaria enim vita his minime omnium conuenire videtur. At vna viuere non poſſunt, qui nec iucundi ſūt, nec iiſdem rebus delectantur: quod in ſodalitate maxime ineſſe videtur. *Non ſunt igitur ſenes, & auſteri ad amicitiam apti*. Vnde etiam concluditur, bonorum amicitiam eſſe maxime amicitiam, quemadmodum iam ſæpe dictum eſt. Nam cum id amabile, optabileq. *ſimpliciter* videatur, quod abſolute bonum, aut iucundum eſt; tum id cuique eſt amabile, quod ei bonum, aut iucundum eſt. at vir bonus viro bono propter horum vtrumque amabilis eſt. *bonus enim alter alteri eſt, & iucundus. maxime igitur ſunt amici, cum cauſſam habeant ſocietatis vitæ continuo retinendæ. Quod autem ſupra diximus, amicitiam quo ad habitum citra functiones conſiderari poſſe: ex eo declaratur*, quod amatio, & amicitia, Græce φίλησις καὶ φιλία, differunt. amatio enim perturbationi ſimilis eſt: amicitia habitui. nam amatio *late ſumpta* in res inanimas confertur, *vt ad vinum, aurum, & ſimilia; quæ porrò amamus noſtri gratia*. redamare autem, *quod opus eſt amicitiæ*, ab electione exiſtit. *neque enim ineſt ratione vacuis. Quod autem ab electione fit, non eſt a perturbatione, ſed potius ab habitu*: redamare igitur ab habitu proficiſcitur. *eſt ergo amicitia habitus. habitum vero locorum diſtantia non delet*: nec *ergo amicitiam*. Deinde amicis bene eſſe volumus illorum cauſſa: idq. non perturbatione aliqua incitati, ſed ex habitu. *perturbatio enim potius propria bona reſpicit, quam amici. amicitia igitur eſt habitus*. Qui vero amicum diligit, *& illi bona euenire cupit illius gratia*, ſe ipſum vna diligit, *& ſibi bonum quærit*. Nam vir bonus, amicus alicui factus, ei ipſi, cui amicus eſt, bonum eſt. Vterque igitur

cum id, quod ſibi bono eſt, diligit: tum par pari & voluntate, & iucunditate refert: *cum ſe in illum æque iucundum, & beneuolum præſtet, ac eundem erga ſe ipſum experiatur*. Nã vulgo dici ſolet [3] æqualitatem amicitiam eſſe. Hæc ergo *æqualitas, & compenſatio, ſeu paris pari redditio*, in bonorum amicitia maxime inerit.

SCHOLIA.

1 *EOs, qui locorum ſpatijs.*] *paroemiam iſtam inhumaniſsimam Athenæus appellat, lib. 4. quod abſentium amicorum memoriam obliterare videtur. Turpilius Comicus apud Hieronymum in epiſt. ad Nitiam, ait, ſola litterarum viciſsitudine abſentes coniungi. Sed hanc inter vulgares, & ſapientes diſcordiam Iſocrates in orat. ad Demonicum conciliat. ait enim ſapientes ab inſipientibus maximum diſcrimen vel ab ipſa vitæ conſuetudine nactos eſſe: quod illi præſentes tantum amicos venerantur: hi etiam abſentes: & familiaritatem improborum vel tantillum quidem temporis diſſoluerit: bonorum vero amicitiam ne vniuerſum quidem ſeculum deleuerit. Quare quod Propertius ait,* Quantum oculis, animo tam procul ibit amor: *de malorum amicitia dictum. Verum illud tamen eſt, abſentes priuari multis amicitiæ fructibus: &, ſi nimis diu abſint, tandem obliterari amicitiæ memoriam: quam nihilominus vicinitas auget, atque tuetur. quare monet Heſiodus, ad conuiuium vicinos maxime vocandos eſſe: tum Chremes Terẽtianus in propinqua amicitiæ parte ponit vicinitatem. Thales dixit, amicitiam eſſe animorum coniunctionem, quam non dirimit locus.*

2 *Ei ipſi, cui amicus eſt.*] *Vbi enim amici, ibi opes. Plauti dictum in Truculento; quod hodie foret potius inuertendum; Vbi opes, ibi amici: nam:*

Illud amicitiæ quondam venerabile nomen
Proſtat, & in quæſtu pro meretrice ſedet.

3 *Aequalitatem amicitiam eſſe.*] *explicat Plato 6. de leg. vt diſtributio fiat iuxta perſonarum conditionem. Ariſtoteles vero ita ſumit, quaſi paris pari redditione ſtatuatur æqualitas. Dixerim magis Amicitiam eſſe vnitatem. Nam amicus alter ipſe, ait Pythagoras. Et amicis eadem ineſt anima. & amicorum omnia communia. quæ ab Euripide in Oreſte, atque Phoeniſsis, a Cicerone pri. de leg. a Timæo apud Laertium, alijsq. apud Gellium, lib. pri. cap. 9. ſunt vſurpata: & merito. Neque enim quicquam non commune, vbi fortunarum æqualitas: neque diſſenſio, vbi idem animus: neque diuortium, vbi duorum coagmentatio in vnum. Quare Ariſt. 2. magn. moral. ait, cum volumus valde amicum dicere, animam noſtram illum appellamus. Ex eo, quod amicorum omnia ſunt communia, colligebat Socrates, Dijs, & viris bonis omnia eſſe communia, ita ut hi quoque teneant orbis principatum.*

Senes, & auſteros non eſſe aptos ad amicitiam: & qua amicitia plures poſsint eſſe amici.

Cap. VI.

CVm autem congreſſus, & colloqutiones ad amicitiam conglutinandam plurimum valeant, ſintq. eius maxime propria; homines vero acerbi, & natura triſtes, atque auſteri, & ſenes illis minime delectentur: fit, vt hi, quo ſunt difficiliores, eo minus amicitia iungantur. Iuuenes igitur cito fiunt amici: cum iuuentuti læta quædam res ſit, *& in conuictu gaudeat:* ſenes non item: nec qui acerbi ſunt, triſteſq. natura: non enim ſunt ijs amici, quibus non delectantur: *iſtorum vero proprium eſt, vel nullis, vel admodum pauciſsimis, & quidem frigide, delectari.* Sed eiuſmodi homines poſſunt inter ſe eſſe beneuoli. bene enim alter alteri omnia euenire volunt, præſtoq. adſunt, atque occurrunt in rebus dubiis, & difficilibus, *ac ſponte obuij ad opem ferendam fiunt:* ſed non admodum ſunt amici: quia nec totos vna dies tranſigunt; nec alter alterius moribus delectatur; quæ maxime videntur amicitiæ conuenire. Perfecta vero amicitia cum multis nemini eſſe poteſt: ſicut nec vno tempore multarum amore teneri. Nam perfecte amare nimio ſimile eſt. Vt vero vnum aliquem nimium amemus, natura patitur: [a] ſed multos vno tempore vni vehementer placere, non eſt facile: fortaſſe etiam neque multos eſſe bonos. *quare amicitia proprie dicta ad pauciſſimos contrahitur.* Oportet autem & illorum probitatis periculum facere, & ſermonis, vitæq. conſuetudine cum illis coniungi: [a] quod eſt omnium difficillimum, *neque cum multis exerceri poteſt.* Sed amicitiæ, quæ ob vtilitatem, & iucunditatem conflantur, nihil prohibet, quominus vni cum multis intercedant. fieri enim poteſt, vt quis ob eas multis placeat. Nam huius generis hominum, *ad cuiuſquemodi res* vtilium, & iucundorum, magna copia eſt: & duo illa, *per quæ amicitia conſtituitur, experimentum ſcilicet, & vſus amici,* breui tempore ſuppeditari poſſunt. *cito enim certi poſſumus fieri, an quis emolumento ſit nobis futurus: & homines vrbani ſtatim deprehenduntur.* Harum vero duarum ea magis *veræ* amicitiæ ſimilitudinem gerit, quæ iucundi cauſſa inſtituta eſt, cum alteri ab altero eadem præſtantur: & alter altero delectatur, aut eiſdē vterque; quales ſunt iuuenum amicitiæ. Magis enim in his ingenium quoddam liberale elucet. ea vero, quæ propter vtile comparatur, eorum eſt magis, qui mercaturam faciunt, aut lucrum in foro ſectantur. Diuites quoque, & beati non vtiles, ſed iucundos amicos deſiderant.

deſiderant. Viuere enim cum aliquibus volunt; *cum ſoli eſſe non poſsint.* id autem quod moleſtum eſt, *cuiuſmodi multa fortunatis quoque contingunt*, ferunt illi quidem ad breue tempus. perpetuo vero, qui perferre poſſit, reperias neminem. immo ne ipſam felicitatē, ſi tandem moleſta eſſe inciperet, perferret. Itaque *ad faſtidium leuandum*, & moleſtiam abigendam iucundos quærunt amicos, *quorum conſuetudine recreentur.* Sed fortaſſe bonos adhuc quærere oporteret, qui etiam amicis boni ſunt. Sic enim eis illa præſto erunt, quibus amici inſtructi, & ornati eſſe debent. *namq. virtutem iucunditas, vtilitaſque, ceterique amicitiæ fructus perpetuo ſequuntur.* Qui vero ſunt poteſtate aliqua, & auctoritate præditi, amicos diſtinctos, ac diuiſos habent: alios quidem vtiles, alios ſuaues, & iucundos; qui nihilominus nec vtilium, nec iucundorum partes explent. Nam neque eos iucundos quærunt, qui iucundum cum virtute coniunxerint: neque eos vtiles, qui ſibi ad res honeſtas vſui eſſe poſſint: ſed pro iucundis facetos, pro vtilibus ſollertes, & ad imperata facienda idoneos. *quod genus hominum æque principibus nocere, ac prodeſſe poteſt.* Iucundum vero, & vtile non admodum ſæpe in eodem reperiuntur. *Nam nec faceti homines vtilitatem afferre ſolent: nec qui vtiles ſunt, iidem vrbanitati, & iocis incumbunt.* At bonum virum iucundum ſimul, & vtilem eſſe diximus. Ceterum vir bonus, & virtute præditus in hominis dignitate præſtantis amicitiam ſe non facile inſinuabit, niſi eundem ſuperet virtute; vt adæquatio fiat; *vt quantum ipſe ſuperatur opibus, & dignitate: tantum virtute illi præſtet.* [1] Sed raro admodum tales homines reperiri ſolent, *qui eius animi ſint, vt, cum opibus antecellunt, alia quapiam re ſuperari ſe poſſe arbitrentur. fortuna enim ſua magnopere delectati, paruifaciunt animi dotes. & quamuis in eo genere ſuperentur ab alijs, eos tamen ſibi exæquatos minime arbitrantur.* In æqualitate igitur eæ, quas ſupra diximus, amicitiæ poſitæ ſunt: nam aut eadem ab vtroque præſtantur, eademq. alter alteri vult euenire: aut aliud cum alio commutant; v. g. cum vtilitate voluptatem. Has autem minus eſſe amicitias, minusq. diu permanere dictum eſt: videnturq. propter ſimilitudinem, & diſſimilitudinem, quam ad veram amicitiam habent, & eſſe, & non eſſe amicitiæ. Vni enim iucundum ineſt, alteri vtile: quorum vtrunque vera habet amicitia: Sed hæc criminationum, & calumniarum expers eſt, & ad perpetuitatem penè firma: illæ vero celeriter corruunt, alijſq. multis ab ea differunt: vt propter diſſimilitudinem non videantur amicitiæ. *Hactenus de amicitijs in æqualitate conſtitutis.*

S C H O L I A.

1 *Sed multos vno tempore.*] *Vt enim fluuij in riuos diducti lentior curſus*

curſus redditur: ſic amoris in multos diuiſi impetus minuitur. *Quapropter Homerus carum filium appellat*, ſolum,& in ſenectute genitum: *quando ſcilicet neq. alium parentes habent, neq. ſperant.*

2 *Quod & omnium difficillimum eſt.*] *eiuſmodi enim experimentum in hac vitæ breuitate a multis capi non poteſt; neque cum multis conuiuere licet.*

3 *Sed raro admodum tales homines.*] *hæc explicatio ad rem facere magis mihi viſa eſt. aliam habes apud Euſtratium: aliam D. Thomas affert.*

Dubitare autem hoc loco eſt; Si vir, qui dignitate ſuperat, & ipſe ſit virtute præditus: non fiet eius ad virum bonum, priuatæ conditionis exiſtentem, adæquatio. nam bonitate par illi erit: maior eodem dignitate. non erit igitur inter hos amicitia. Reſpondet Euſtratius, iſtos virtute fore æquales, & eatenus amicos. bonus enim bono, abſque medio vllo, fit amicus. nec refert, ſi quo ad dignitatem vel ciuilem poteſtatem, aut diuitias ſint inæquales.

De amicitijs, quæ inter diſpares intercedunt.
Cap. VII.

1 ALiud autem amicitiæ genus in excellentia quadam poſitum eſt: vt ea,quæ inter patrem, & filium: ſenem & iuuenem: virum & vxorem: omnes demum, qui præſunt, & eos, qui parere debent, intercedit. ſed hæ quoque amicitiæ inter ſe differunt. Nam ea, quæ parentum cum liberis eſt, differt ab ea,quæ ijs,qui præſunt, cum ijs, qui ſub imperio ſunt, intercedit. Sed neque eadem eſt patris cum filio, quæ filij cum patre: neque eadem viri cum vxore, quæ vxoris cum viro. Alia enim cuiuſque horum virtus eſt: aliæ partes, vel munera: aliæ demum alijs amandi cauſſæ. aliæ igitur amationes, & amicitiæ. Eadem ergo vtrique ab altero neque præſtantur, neque ſunt poſtulanda: *ſed cuilibet à quolibet iuxta excellentiæ conditionem.* Quare cum liberi ijs, a quibus procreati ſunt, ea tribuerint, quæ parentibus debentur: & viciſsim parentes liberis ea dederint, quæ filijs danda ſunt: tum firma & æqualis amicitia hæc futura eſt. In omnibus autem eiuſmodi amicitijs proportione quadam amatio extare debet: vt ſcilicet is, qui magis excellit, ametur magis, quã amet: ſiue maior hæc excellentia in dignitate conſiſtat, ſiue in vtilitate afferẽda, ſiue in alijs eiuſdẽ generis. Cũ enim amatio fit pro dignitate, tum quodãmodo extat æqualitas, quod amicitiæ propriũ eſſe videtur: ſed nõ ea æqualitas, quę eſt in rebus iuſtis.

Etenim

Etenim in rebus iuſtis primum locum ea obtinet æqualitas, quæ pro cuiuſque dignitate eſt, *& in Geometrica proportione conſiſtit; vt quinto horum ſermonum libro diximus:* ſecundum ea, quæ numerum reſpicit: *dignitatis vero nullam habet rationem: cui Arithmeticam proportionem ſupra accommodauimus. prior illa Ariſtocratiæ, & Oligarchiæ inſeruit: poſterior vero democratiæ, ſiue ſtatui multitudinis.* In amicitia vero contra fit. nam in ea primo loco illud æquale ſtatuitur, quo parem magnitudine partem quiſque conſequitur: ſecundo id, quo rata cuique pars pro ſua cuiuſque dignitate tribuitur. *Nam amicitia maxime eſt inter pares: eaq. firmiſſima eſt, maximeq. proprie amicitia: proximum illi locum tenet ea, quæ in excellentia conſiſtit.* Quod ex eo perſpici poteſt, ſi virtutis, vitij, diuitiarum, aut alius alicuius rei magna ſit inter amicos diſtantia. tali enim ſtatu non ſunt amplius amici; immo ne æquum quidem eſſe iudicant, *amicitiam inuicem profiteri.* Idq. in Dijs maxime apparet. Ij enim omnibus viris bonis longe antecellunt.[1] *quare inter hos, & illos amicitia proprie non eſt ſtatuenda.* Perſpicuum quoque in Regibus idem eſt. Nam ad eorum amicitiam ne aſpirant quidem illi, qui multo ſunt ijs inferiores: neque præſtantiſsimorum, aut ſapientiſſimorum hominū amicitiam contemptiſsimi expetunt, aut nullius homines pretij. *æqualitatē igitur eam, quæ in magnitudine, non quæ in proportione dignitatem metiente conſiſtit, maxime requirit amicitia.* Subtilis autem terminus in his conſtitui non poteſt, quatenus progredi, & ad quantam vſque alterius excellentiam, & in quanta hominum diſtantia ſalua eſſe poſſit. Nam multa poſſunt ab alio detrahi, ac etiam num amicitia remanere: ſed ſi longiore interuallo inter ſe diſiungantur, vt homo a Deo, non iam ea remanet. Ex quo alia quoque naſcitur dubitatio: Velint ne amici amicos bonis quam maximis affici, v.g. Deos eſſe: *Hoc autem, iacturam velle facere, eſt.* non enim amici iam ſunt eis futuri, *ſi nimium creſcant dignitate:* neque igitur bona *illis erunt, quæ ante habebant.* amicorum enim bona ſunt amici. *Ceterum non ita ſe res habere videtur.* Nam ſi pulchre & vere dictum illud eſt, quemque amico illius, non ſui cauſſa bona optare: profecto manebit amicitia, qualiſcumque tandem ille ſit, cui dignitatis cumulus accedit. Verum ei certe, vt homini, maxima bona euenire, volet: *non diuinitatem:* ſed forte non omnia bona. ſibi enim quiſque maxime cupit: *& principem in amando locum amor ſui occupat. quare ſi dum bona optamus amicis, graue aliquod detrimentum nobis ipſi creamus, vel felicitatem amittimus: mentem illam deponimus,* noſtriq. gerimus curam.

S C H O L I A.

1 *Aliud autem amicitiæ genus.*] *Hæc ſimilis eſt relationi non mutua;*

tuæ; tum illi, quæ diſquiperantia dicitur a Logicis.

2 *Quare inter hos, & illos amicitia proprie non eſt.*] *quæ ſcilicet in conuictu, & conſuetudine poſita eſt. Nam beneuolentiam inter eos intercedere, non negat Ariſtoteles, qui in 10. horum librorum cap. 9. aſſerit, virum ſapientem a Deo diligi, atque dirigi. Nos Chriſtiani, ſacris edocti oraculis, veram inter Deum hominesq. probos amicitiam agnoſcimus, quæ charitas appellatur. Neque hanc amicitiam impedit, quòd homo non ſit certus, a Deo ſe diligi, & illi charitate iungi; quando nec inter homines certitudo de amici in nos amore, atque fide requiritur: ſatisque fuerit aliqua adeſſe illorum indicia, & argumenta. nã ſi plura, & maiora quæras, omnino tolletur hominum amicitia; cum de alterius animo neque poſt mille experimẽta certo iudicare poſſimus. Neque vero huic, quæ hominibus cum Deo intercedit, amicitiæ conuictus, ceterique amicitiæ fructus deſunt. cum interno alloquio, & afflatu non ſemel bonos inuiſat, & ſoletur Deus: illiq. viciſsim precationibus, pijs votis, æternæ vitæ deſiderio in Dei ſinu conquieſcant. Quare infra, cap. 12. tandem fatetur Ariſtoteles, hominibus cum Dijs amicitiam intercedere.*

Amare, an amari ſit magis amicitiæ proprium.
Cap. VIII.

PLerique autem honoris ſtudio ducti, malle videntur amari, quam amare. *nam amari, & honore affici, pro eodem habent.* Itaque magna hominum pars aſſentatoribus delectatur, eosq. apud ſe habere cupit. Eſt enim aſſentator amicus eo, cui aſſentatur, inferior: vel ſe talem profitetur (*nemo*[1] *enim ei, cui adulari vult, ſe exæquat, cum id ſit præter aſſentandi rationes: & conſilium, cuius gratia eiuſmodi vita ſuſcepta eſt, euertat.*) amareque ſe magis ſimulat, quã redametur. Amare autem, & honore affici, finitima eſſe videntur. quare cum honoris plerique ſint cupidiſſimi, amari quoque magnopere ſtudent. Honorem vero non propter ſe expetere vidẽtur, ſed ex euentu, nam vulgus, cum ab ijs, qui cùm imperio ſunt, & dignitate præſtant, honore afficitur, gaudet; quod exiſtimet futurum, vt, ſi qua re egeat, ab ipſis conſequatur, eaq. ſpe delectatur. honorem igitur quaſi beneficij accipiendi argumentum, & pignus accipit: nec alia de cauſſa carum habet. Qui vero a viris probis, & ijs, quibus noti ſunt, honorem expetunt, ſuam de ſe ipſis opinionem ſtabilire, & confirmare geſtiunt; ac ſe bonos eſſe gaudent, eorum, qui id teſtantur, iudicio fidem habentes. *quapropter honorẽ ad virtutis teſtimonium dirigunt, & huius cauſſa illum quærunt. non*

igitur per ſe honorem appetunt. At ſe amari per ſe volunt, & gaudent.[a] Carum igitur eſſe, atque amari melius eſſe videatur, quam honore affici: amicitiaq. per ſe optabilis, & expetenda. *Non ſic honor. ille enim a vulgaribus ob lucrum, à ceteris ob virtutis opinionem, aliorum iudicio confirmatam, expetitur.* Magis autem amicitia in eo, vt quis amet, quam in eo, vt ametur, conſiſtit. *nam amare magis arguit amicitiæ præſtantiam. deinde, quoniam amicitiæ officia ab amore maxime proficiſcuntur. tertio, quoniam amicitia conſiſtit in functione quadam: amatio vero functio eſt, non amari. demum, quia illi maxime commendantur amici, qui valde diligunt: non qui diliguntur.* Hoc ipſum matres indicant, quæ hoc vno liberos, quos alendos alijs dedere, *vt in ampliſſimo aliquo patrimonio ſuccedant*, amant, quòd ſciant ex ſe natos: nec vt ab eis redamentur, magnopere laborant, ſi vtrumque fieri non poſsit: *vt ſcilicet & ipſa ab ijs pro matribus agnoſcantur: & ij, re cognita, damnum non accipiant:* ſed ſatis habent, ſi ſecunda eos fortuna frui vident: eosq. demum diligunt; quamuis illi nō poſſint matri, quod eam non norint, quæ conuenit, tribuere. *Amor vero parentum in liberos veſtigium quoddam eſt amicitiæ.* quare *cum parentes magis in id incumbant, vt liberos ament, quam vt amentur ab illis;* amicitia in eo, vt amemus, magis, quam in eo, vt amemur, conſiſtet: atque laudabuntur magis ij, qui ſuos amicos amore complectuntur, *quam qui amantur ab illis.* Probabile igitur eſt amicorum vim, atque virtutem in eo, vt ament, eſſe ſitam. Itaque in quibus hoc pro dignitate fit, *vt, qui dignitate præſtant, magis amentur,* ij ſtabiles atque firmi permanent amici: taliumq. amicitia integra & incolumis eſt permanſura. Hicq. modus eſt efficiendi, vt homines cetera inæquales, maxime ſint amici. Sic enim æxequari poſſint, *ſi qui ſunt minus digni, magis ament. quantum enim dignitate ſuperantur, tantum ipſi amore vicisſim erunt ſuperiores. quod maxime ad amicitiam ſtabiliendam facit.* Eſt enim amicitia æqualitas, & ſimilitudo. Maxima vero eorum ſimilitudo eſt, qui ſunt virtute ſimiles. nam cum ſtabiles ipſi in ſe maneant, *à cupiditatum flatibus ſecuri*: tum inter ſe firmitatem tuentur, ac retinent; neque res malas deſiderant, neque talium ſe miniſtros præbent: immo vero pæne dicam, etiam eas prohibent, atque reprimunt, *in amicis.* Virorum enim bonorum eſt, neque peccare, neque amicis vt peccent, permittere.[a] Mali vero cùm ſtabile nihil habent; quippe qui *cupiditatum intemperijs huc illuc detorti*, ne ſui quidem ſimiles permaneant, *ſed ſecum ipſi pugnent perturbationum varietate:* tùm ad perexiguum tempus in amicitia perſtant, mutua improbitate delectati. *Quæ igitur ob flagitia conſtatur amicitia, minimum perſeuerat:* quæ autem ab vtili, & iucundo, diutius permanet:

net: quandiu, ſcilicet, vtilitates & voluptates mutuo ſuppeditantur. Ea vero amicitia, quam vtilitas conſtituit, ex contrarijs maxime conſtare videtur. vt cum pauper diuiti, doctus indocto fit amicus. nam qua re quis eget, eam ab altero petit, eumque alio genere remuneratur. *vt diues indoctus pauperi erudito veſtem pro diſciplina rependit*. His amatorem, & eum, qui amatur: formoſum, ac deformem adiungere licet. Quocirca ridiculi amatores interdũ videntur, cum eos, quos amant, in amore ſibi reſpondere, volunt: *& ni faciant, conqueruntur*: Certe ſi æque amore digni ſunt, iure volunt, & poſtulant: ſin nihil tale habent, riſu digni ſunt, dũ id poſtulãt. Neque vero hæc contrariorũ coniunctio in amicitia per ſe eſt; ſed ex euentu.[4] ſic enim res cõtraria contrariã deſiderat. dum enim iungi appetunt, medium quærunt, quod & bonum eſt, *& ex contrariorũ commixtione coaleſcit*. V. g. rei aridæ bonum eſt, non humidam fieri, ſed ad mediocritatem perduci: *vult enim corrigi, non corrumpi*. Idem de re calida, *quæ per calorem de ſuo naturali ſtatu dimota ſit vt aqua balneari*, ceteriſq. *ad naturæ habitum reuerti conantibus*, dicendum. Sed hæc ab inſtituto noſtro ſunt aliena.

S C H O L I A.

1 *NEmo enim ei, cui adulari vult, ſe exæquat.*] *ſed illum extollit, ſe deprimit, vt eum, quò vult, deducat. Perinde ac in lucta quidam ſe demittunt, vt aduerſarium in altum ſublatum proſternant. Sed aßentator, dum auribus fortunatorum ſeruit, animi oculos eis eruit, vt corui corporis: maximeq. Pythio illi aduerſatur:* Noſce te ipſum. *quare aiebat Bitias, animal omnium maxime noxiũ, inter immitia tyrannum eſſe: inter mitia aſſentatorem.*

2 *Carum igitur eſſe, atque amari.*] *Non videtur amari melius eſſe, quam honore affici. Amicitia enim eſt bonum externum, vt infra, lib. 9. cap. 9. Ariſtot. docet. at honorum externorum maximum eſt honor, vt ſupra lib. 4. cap. 3. dictum eſt. quare Deo honorem exhibemus: amicitiam vero non admodum proprie ex Ariſtotelis ſententia cum illo habemus. Reſpondeo, honorum externorum maximum eſſe honorẽ, qua eſt amicitiæ coniunctus, & ab amore proficiſcitur. Si honor ab amore ſeparetur: amicitiæ, & amori poſthabendus. eſt enim amor ceu anima, & vita honoris. qui honorat, & odit: prodit. Aliter quoque hic nodus enodari poteſt. Amicitia bonum eſt externum, qua tendit ad amicum, & eum reſpicit. eadem, qua eſt habitus animi, bonum internum dici debet. quare habitui amicitia merito cedit honor. virtus enim eſt honore præſtabilior.*

3 *Mali vero.*] *malum multiplex eſt, ſibiq. aduerſum. ideo inconſtans eſt malorum coniunctio. virtus vero ſimplex, & vniformis. id-*

circo boni idem volunt, nec deſerunt amicitiam. Pſaltes Regius eos arbori comparat, quæ firmas, & altas radices egit: malos vero pulueri, quem diſsipat ventus.

4 *Sic enim res contraria contrariam deſiderat.*] *videlicet, vt ab ea perficiatur: eo, quod in ſe nimium eſt, per contrarij actionem expulſo. Quare ſi turpe appetit pulchrum, non vt ſibi contrarium appetit: verum vti id, à quo perfici poteſt.*

In omni ſocietate ius, & amicitiam ſimul eſſe: ac æque extendi. Cap. IX.

QVemadmodum autem a principio dictum eſt: ius & amicitia tum ad eadem pertinent; tum in iiſdem verſantur. In omni enim ſocietate ius aliquod, & aliqua amicitia reperitur. itaque eos, quibuſcum nauigant, & commilitones, & eos, quibuſcum ſocietatem aliquam inierunt, quaſi amicos appellant. Quanta porro ſocietas eſt, tam late patet amicitia: tantum etiam ius extẽditur. *Amicitia igitur non eſt ſine ſocietate: ſocietas non eſt ſine iuris communione: ergo nec amicitia ſine iure.* Recteq. monet prouerbiũ, [1] Amicorum omnia communia. nam amicitia in communione fundata eſt, & ſocietate: *nec poteſt inter eos eſſe, qui nulla re communicant.* Sunt autem fratribus, & ſodalibus omnia inter ſe communia: reliquis non omnia, ſed certa quædam, & diſtincta: alijſq. plura, alijs pauciora. Nam & amicitiæ aliæ magis, aliæ minus ſunt amicitiæ. *qua vero maior eſt, plura inter amicos bona communia reddit.* Harum vero amicitiarum diuerſa ſunt iura. non enim eadem ſunt iura patribus cum liberis, quæ fratribus inter ipſos: neque ſodalibus, & ciuibus inter ſe: ac ſimiliter in alijs quoque amicitijs ſe res habet. Quod ſi alia ſunt iſtarum iura, aliæ quoque erunt iniuriæ ſingulorum amicorum inter ſe: nam ex eo ſumunt incrementum, quod amicioribus inferuntur. Exempli gratia, ſodalem pecunia fraudare grauius eſt, quam ciuem: [2] & fratri non ſuccurrere, quam alieno: & parentem verberare, quam quemlibet alium. Solet autẽ vna cum amicitia ius creſcere, & amplificari: perinde quaſi in iiſdẽ rebus, vt diximus, conſiſtant, & æque late pateant. Omnes autem ſocietates ciuilem imitantur partibus omnibus, atque membris. inſtituuntur enim alicuius commodi, & emolumenti gratia: vt qui ſimul iter faciunt, & vna congregantur: tum vt aliquid quærant, & parent eorum, quæ ad victum, cultumq. pertinent. *Id vero maxime in ciuili ſocietate videre eſt.* Ea enim ab initio vtilitatis cauſſa inſtituta videtur eſſe, ac permanere; idq. legumlatores & ſibi tan-

quam ſcopum propouunt, & ius eſſe dicunt, quod communiter, & Reipub. vtile eſt. Ceteræ igitur ſocietates, *vti ciuilis æmulæ*, pro ſua quæque parte vtile expetunt: v. g. nautæ, *qui ſimul maria traÿciunt*, ex nauigatione pecuniam quærunt, vel quid pecuniæ ſimile: commilitones pecuniam, ſeu victoriam, ſeu vrbis alicuius expugnationem, ſeu quid aliud bello paratur: & ſimiliter tribules, & populares *ob vtilitatem in vnum* coiuere. At ſunt nonnullæ ſocietates, quæ ob voluptatem inſtitui videntur: quales eorum ſunt, qui vna epulantur, & ſaltant: & eorum, qui ſymbolam in conuiuium conferunt. Hæ namque ſocietates partim ſacrificij, partim conuictus, & conuentus gratia comparantur: *ſacrificÿ quidem, vt Satyrorum grex ſacra Liberi patris apud Græcos celebrantum: conuictus vero, vt ſodalitates, quæ apud Romanos etiam ad epulandum ſunt inſtitutæ.* Sed omnes ciuili ſocietati, *tanquam principi, & architectonicæ*, ſubiectæ eſſe videntur: *& ab ea exemplum accipiunt:* Non enim præſentem tantum vtilitatem, *quæ cito deperit:* verum in omnem vitam ciuilis ſocietas expetit. Ideo dies feſti a legumlatoribus edicti, quibus ciues vna conuenirent, & ſacra facerent, honoreſq. Dijs tribuerent, & ſibi requiem cum voluptate coniunctam præberent. Declarant hoc ipſa tempora ad ſacrificia deputata. Nam collectis frugibus, & domum comportatis, conuentus habebantur ad priſca ſacrificia peragenda, quaſi ad primitias Deo offerendas, *& gratias pro acceptis beneficÿs agendas.* Veriſimile autem eſt, hos conuentus ijs potiſsimum temporibus idcirco inſtitutos: [3] quod tunc maxime a laboribus quieſcerent; & liceret ijs, à ruſtico opere feriatis, abſq. ſollicitudine in voluptatem incumbere. Apparet igitur ſocietates omnes ciuilis ſocietatis eſſe membra: & quales fuerint ſocietates, tales amicitias eſſe conſequuturas.

S C H O L I A.

1 A*Micorum omnia communia.*] *cuius dicti Auctor Pythagoras perhibetur a Cicerone primo, de Legibus; tum a Timæo apud Laertium: ac demum a Gellio, lib. pri. cap. 9.*

2 *Et fratri non ſuccurrere.*] *An amicitia poſthabenda ſit coniunctioni ſanguinis, à non paucis dubitatum eſt. firmius enim & nobilius videtur animi, quam ſanguinis, vinculum. amicitia vero ligatur animo: conſanguinitas ſanguine. illa quoque cum animorum ſit, non ſeparatur diſtantia locorum: hæc vt corporum eſt, ita locis impeditur. Demũ officia ſanguini debita ortũ habẽt a natura: quæ amicitiæ ſunt, à virtute. Quare ſcribit Valerius*, amicitiæ vinculum firmius eſſe, quã ſanguinis. Nam hoc, naſcendi ſorte quaſi fortuitum opus: illud ſolido cuiuſque iudicio, & minime coacta voluntate contrahitur; *Ceterum communis omnium ſenſus is eſſe videtur, vt amici non ſint*

conſan-

conſanguineis præferendi, immo ne æquandi quidem. Vnde illa manarunt adagia: Genu ſura proprius, *de quo Athenæus lib.9. & illud apud Plautum in Trinum.* Tunica pallio proprior. *& Heſiodus,*

Aequalem fratri caueas feciſſe ſodalem.

Quam ſententiam magnopere comprobauit Plutarch. in lib. de Fraterno amore. Hoc ipſum natura dictat, & ad tuenda iura ſanguinis cunctos mortales impellit. Demum inſignis amicitiæ cultor Scipio Africanus pro ſanguine ſententiam tulit: Nam L. Scipione fratre, ac Lælio ſibi amiciſsimo de Aſiæ proconſulatu contendentibus: Senatum enixe rogauit, ne fratri prouincia illa eriperetur: neue Lælio poſthaberetur. qua in re ab Africano nihil contra amicitiam admiſſum, creditum eſt. Equidem, data meritorum paritate, non dubitauerim, conſanguineos eſſe præferendos. Quod ſi non ſint iſta paria: in officijs naturæ debitis, & ad corporis, vitæq. conſeruationem ſpectantibus, conſanguineis magis debemus. hæc enim ſpectant ad ſanguinem. In ijs vero quæ honorem, & vitæ ciuilis conformationem reſpiciunt, virtuti magis obligamur, & amicitiæ, quæ ob virtutem inſtituta eſt. Addo, coniunctionem ſanguinis eſſe amicitiam quandam naturalem, quæ magis eſt neceſſaria, quam moralis: at moralis nobilior eſſe videtur, niſi naturalis amicitia virtute adbuc nitatur.

3 *Quod tunc maxime a laboribus.*] *hunc morem indicat Horatius.*

Agricolæ priſci, fortes, paruoq. beati
Condita poſt frumenta leuantes tempore feſto
Corpus, & ipſum animum, ſpe finis dura ferentem,
Cum ſocijs operum & pueris & coniuge fida,
Tellurem porca, Siluanum lacte piabant.

Tres eſſe Reipub. adminiſtrandæ formas, tresq. eis reſpondentes amicitias. Cap. X.

QVoniam in omni ſocietate ciuili amicitia ineſt: ciuilis vero ſocietas iuxta varias Rerum publicarum ſpecies conſtituitur, & diſtinguitur: ſequitur in diuerſis politijs diuerſas amicitias reperiri. Ideo de varijs Rerumpub. ſtatibus agendum, vt inde ad diuerſitatẽ amicitiarum deueniamus. Porro Reipub. adminiſtrandæ tria ſunt genera: totidemq. ab illis declinationes, ſiue aberrationes: eorumdem quaſi peſtes, & interitus. Illa autem ſunt, Regnum: Optimatum principatus, quem Ariſtocratiam appellant: & Timocratia, quam ex cenſu poteſtatem non inepte dixeris; ſed plurimi Rempublicam vocitant. Horum omnium Regnum optimum eſt: ex cenſu poteſtas deterrima. *medium locum Ariſtocratia tenet.* Declinatio à

regno

regno Tyrannis eſt. vtrobique enim penes vnum ſumma poteſtas: ed plurimum inter ſe differunt. Tyrannus enim ſibi conſulit: Rex vero eorum, quibus imperat, vtilitati. Neque rex eſt is, cui ſua non ſunt ſatis, quique per ſe omnium bonorum copia ciuibus non antecellit. Qui vero talis eſt, nihil amplius deſiderat. itaque, *ſolutus egendi metu*, non ſua, ſed eorum, quibus præeſt, commoda ſibi proponet. Qui talis non fuerit, [1] rex quidam *temere vel* ſortito factus videatur. Tyrannus autem, huic aduerſatus, quod ſibi expedit, ſequitur. quod tyrannidem omnium aberrationum a rectis politijs deterrimam eſſe, magis declarat. Quod enim optimo eſt contrariũ, peſſimum; *cum corrumpat maximum bonum*. Ex rege vero in Tyrannum degeneratur. nam monarchiæ vitium *affine*, *&* *obliquitas* tyrannis eſt. degenerat vero Rex, cum ſit malus. At ex optimatum poteſtate in paucorum principatum fit commutatio eorum, qui rerum potiuntur, culpa, & vitio. Dum enim res ciuitatis diſtribuunt indignis: & omnia bona, vel multo maximam illorum ſibi partem vendicant: magiſtratuſq. iiſdem ſemper deferunt, diuitias rebus fere omnibus anteponentes: efficiunt, vt pauci magiſtratum gerãt: ijq. improbi, & flagitioſi pro viris optimis, & æquiſsimis aſſumantur. Ex Timocratia demum in popularem ſtatũ fit conuerſio. Sunt enim hæ adminiſtrandæ formæ inter ſe finitimæ: *Tyrannis, regnum: Ariſtocratia, paucorum poteſtas, ſeu oligarchia: timocratia ſtatus popularis*. Nam etiam ex cenſu poteſtas natura ſua multitudinis videtur eſſe: *cum cenſus conſtituatur ijs, qui ciues eſſe volunt, tenuis: ad quem multitudo facile perueniat*. omnes vero, qui cenſi ſunt, pares eo ipſo, & æquales inter ſe ſunt. [2] Popularis vero poteſtas minimũ omnium vitioſa eſt: quia paullulum admodum ab ea Reipub. forma, quam politiam Græci, *nos Rempub. communi ei inditio nomine* appellamus, deflectit. *Quare cum paullulum a recta politia aberret, non erit nimis mala*. Ac Reipub. quidem adminiſtrandæ formæ, hoc maxime modo commutari ſolent; quod ea minima ſit, & facillima mutatio. *Regnum enim & Tyrannis vnius ſunt: Optimatum, ſtatus, & oligarchia paucorum: Reſpub. & ſtatus popularis plurium. adeoq. facile eſt de rege Tyrannum: de optimatibus oligarchos: de Reſpub. cultoribus, populares fieri: quam facile eſt ex bonis, fieri malos*. Varijs itaq. Reipub. adminiſtrandæ formis hoc modo conſtitutis: earũ ſimilitudines, & veluti exempla ex familiis priuatis ſumere licet. Patris enim cum filiis ſocietas regnum imitatur, eiuſque ſpeciem gerit. Nam filii patri curæ ſunt, *quod Regis munus eſſe dicebamus*. Hinc & Homerus Iouem patrem appellat. Patriam enim poteſtatẽ regnum proxime imitari videtur. Sed fallit apud Perſas; quorum patria poteſtas tyrannica eſt: cum liberis, vti ſeruis, vtantur. Dominorum

minorum vero in ſeruos imperium Tyrannicum eſt. In eo enim negotium domini agitur, eiusq. vnius vtilitati conſulitur; non ſeruorum. quodquidem inter ſeruos, & dominos recte fit, *& ſine iniuria.* At Perſicum in liberos imperium, *ad inſtar dominorum redactum*, deprauatum, ac peruerſum. Eorum enim qui inter ſe differunt, imperia quoque diuerſa eſſe debent: *nec parentes in liberos ita animatos eſſe decet, vt domini ſunt in ſeruos*. Iam viri, & vxoris poteſtas, *atque ſocietas*, ad optimatum imperium proxime videtur accedere. Pro dignitate enim vir imperat, *& præcipuum in familia locum tenet*: in eisq. rebus imperat, in quibus virum oportet imperare: *in ijs videlicet, in quibus Oeconomiæ ſumma vertitur*. quæ vero mulieri conueniunt, *vt cuſtodiam rei familiaris, curam ancillarum, & ſimilia*, ei permittit. *Hoc nempe iure optimates vtuntur, vt omnes quidem imperent viciſſim: ſed meliores maioribus præficiantur.* Quod ſi vir in omnibus dominari velit: [3] in paucorum poteſtatem fiet commutatio. Id enim faciet præter dignitatem: non qua melior eſt. Interdum contra fit: [4] vt ſcilicet mulieres, quibus ampliſſimæ venerunt hæreditates, *vel aliunde ſumunt animos*, imperent, *viris excluſis*. quod vbi fit, non ex virtute fit: verum propter diuitias, & potentiam imperatur, quemadmodum in paucorum principatu. Ex cenſu vero poteſtati, ſeu timocratiæ fraterna ſocietas ſimilis eſt. Sunt enim poteſtate pares, niſi quod ætatibus inter ſe differunt. Quo circa ſi multum ætate diſtent, iam amicitia fraterna conſtare non poterit. *Nam qui natu minimus eſt, ei qui primo loco natus, & grandæuus eſt, erit loco filij*. Popularis vero ſtatus tum in iis familiis maxime cernitur, quæ domino carent: *defuncto videlicet patre familias*: hic enim ex æquo fratres imperant: tum in quibus imbecillus eſt, qui imperat: ac ſua cuique datur auctoritas, & licentia.

S C H O L I A.

1 *Rex quidam temere vel ſortio.*] *Nam, vt Philo ſcribit, lib. de creatione Principis, ſors ad felicitatem, non ad virtutem attinet. Sorte vero renunciari princeps is poſſit, quem vir bonus dedignetur habere in ſeruis. Præclare Tacitus.* Optimum quemque adoptio inueniet. *adoptio vero electio eſt.*

2 *Popularis vero poteſtas minimum omnium vitioſa eſt.*] *minus enim a iuſto deflectit, cum natura ipſa ſumma poteſtas in omnibus inſit, vt vniuerſis. Aduertendum autem ſtatum popularem non eſſe plebis dominatum. Populus enim eſt vt genus: Plebs vt ſpecies. Inſtit. lib. pri. tit. 2. §. Plebiſcitum. Caius l. Plebs. de Verb. ſignif. Capito apud Gell. l. 10. cap. 10. Verum de his accurate in commentarijs de Repub. qui videbunt aliquando lucem, ſi ipſi luce, atque cæli benignitate fruemur.*

3 *In paucorum poteſtatem fiet commutatio.*] *At cur non potius in*

Tyran-

Tyrannidem? vir enim vnus eſt. At Ariſtoteles hic numerum non attendit, ſed potius imperandi modum. Vir enim qui in domeſtica gubernatione pro arbitratu ſuo omnia gerit, ſi non ſæue, etſi aſpere, imperet, diuitum potius gubernationem, quam Tyranni imperium refert. Illum enim Tyranno ſimilem facere, nimium videtur.

4 *Vt ſcilicet mulieres.*] *Imperant fœminæ apud Aegyptios, Lyciosq. teſte Herodoto. Sauromatæ in vniuerſum mulieribus parent. Diuites feminæ principatum in domo ſibi arrogant. vnde Satyricus.*

Intolerabilius nihil eſt quam fœmina diues. &
Malo Venuſinam, quam te Cornelia mater
Graccorum, ſi cum magnis virtutibus affers
Grande ſupercilium: & numeras in dote triumphos.

De amicitia regia, & paterna: optimatum, & coniugali: populari, & fraterna. Caput. XI.

IN vno quoque autem Reipub. ſtatu eatenus ſeſe amicitia proferre videtur, quatenus & ius: *ſuntque eiuſdem rationis, & quaſi congenea*. Sane amicitia, quæ regi cum iis, qui regno ſubſunt, intercedit, in quadam beneficij excellentia poſita eſt. bene enim meretur de iis, quibus imperat: ſi bonus ipſe cum ſit, eorum curam, vt paſtor ouium, gerat: curetq., vt ii fortunati ſint, & beati. Vnde Homerus Agamemnonem paſtorem populorum appellauit. Talis eſt amicitia patris ad liberos; ſed beneficiorum magnitudine præſtat regiæ. Eſt enim pater cauſſa filio, vt ſit: quæ res videtur omnium maxima: tum filium alendum, & [1] erudiendum curauit. Hæ autem amicitiæ in excellentia quadam poſitæ ſunt. *vt enim alter dignitate, vel beneficiorum magnitudine antecellit: ſic maior illi honos exhibetur*. Itaque parentibus tribuitur honos: tum auis, & maioribus. Ad imperandum enim apti ſunt natura & pater liberis, & aui nepotibus, & reges iis, qui ſub regno ſunt. Ius igitur in iis amicitiis non idem vertitur: ſed aliud, & aliud pro dignitate. talis enim horum amicitia eſt: *diſpar ſcilicet, ob dignitatis & beneficiorum diſparitatem*. Iam vero viri, & vxoris amicitia vt optimatum eſt. Ex virtute enim res tota penditur, & plus boni atq. dignitatis meliori tribuitur: & quod cuiq. aptum, & accommodatum eſt. *Sunt enim diuiſa virorum, & vxorum munera.* Idem prorſus de iure ſentiendum. *Ius enim viro in vxorem longe maius & excellentius eſt, quam vxori in virum. ac idem prorſus de iuribus, quæ inter patrem liberos: auos nepotes, regem & eos, qui regno ſubſunt, cogitandum*. Fratrum ami-

citia

citia ſimilis eſt ſodalium amicitiæ. Sunt enim inter ſe ætate & conditione æquales: & qui eiuſmodi ſunt, eadem ſtudia plurimum ſectantur, eaſdem diſciplinas: & ſimiles quoque mores præferunt. Huic igitur in repub. ſimilis ea eſt amicitia, quæ in timocratia, ſeu ex cenſu potentia reperitur. Nam poſtulat ratio, & natura ciuium, vt inter ſe ſint pares, & viri boni, & æquabiles: ideo æqualiter, & vicisſim imperare ſolent. Talis igitur & eorum amicitia eſt; *nec excellentiam, vel inæqualitatem admittit*. In declinationibus autem a recto Reipub. ſtatu quemadmodum iuri parum loci relictum eſt: (*quod enim ius ciui cum tyranno*, cui nihil eſt iniquum?) ſic & amicitiæ: & minimum quidem in deterrima, *quæ tyrannis eſt*. In ea enim aut nihil, aut parum loci eſt amicitiæ relictum. Inter quos enim nihil eſt commune ei, qui imperat, cum eo qui paret: nec vlla prorſus amicitia eſt. Nam ne iuris quidem inter eos vlla eſt communitas. Sed tantundem iuris, & amicitiæ eſt: quantum artifici cũ inſtrumento: animo cum corpore: domino cum ſeruo. His enim proſunt quidem, & conſulunt ii, qui vtuntur, *propriæ vtilitatis gratia*: verum nec amicitia, nec ius eſt inter illos. Nam cum rebus inanimis non eſt nobis amicitia, vel ius. immo ne cum animantibus quidem ratione carentibus: dico amplius, neque cum ſeruo, qua ſeruus eſt. Nihil enim eſt domino cum ſeruo cõmune: *cum quicquid ſerui eſt, domini ſit*. [2] ſeruus quoque inſtrumentum eſt animatum; inſtrumentum vero, *vt ſera*, ſeruus eſt inanimatus. *Vt igitur artifici cum inſtrumento nihil eſt commune: ita nec domino cum ſeruo*. Qua igitur ſeruus eſt, nullam nobiſcum habet amicitiam: ſed qua homo eſt. [3] Nam omni homini cum eo, qui legis, & pacti conuenti particeps eſſe poteſt, ius aliquod intercedit. ergo & *aliqua* amicitia: erit igitur eadem inter dominum, & ſeruum qua homo eſt. In tyrannidibus autem vt amicitiis, ita & iuri non multum loci relinquitur: at in populari ſtatu plurimum. *ſunt enim pares*. multa vero inter eos, qui ſunt pares, communia ſunt.

S C H O L I A.

1 ET erudiendum.] Apud Athenienes cautum erat, ne filij parentes, a quibus nulla eſſent arte inſtructi, alere tenerentur: tanta illis diſciplinæ iuuenum cura fuit.

2 Seruus quoque inſtrumentum eſt animatum.] Craſſus eoſdem appellabat viuentia rei familiaris organa, vt Plutarch. in eius vita ſcribit.

3 Nam omni homini cum eo.] ſeruus igitur non eſt quaſi iumentum tractandus, quod Barbari faciunt, diuini humaniq. iuris ignari.

An iura primigeniorum ſint legitima.

ET hoc in dubitationem vocare licet: cum Ariſtoteles hic eos æqualiter imperare velit in domo, ni admodum alter alteri ætate antecellat. Idem quoque dictat ratio, è naturæ fontibus hauſta: Iniquum enim videtur inter eos, qui iiſdem parentibus ſati ſunt, inæqualitatem ſtatuere. & fauet ius commune. l. inter filios Cod. famil. erciſcun. quare fratres etiam res minimas diuidunt: vnde adagium, σῦκα μερίζειν: Ficus diuidere. *Ab eodem fonte tragica illa manauit execratio apud Euripidem in Phœniſſ.*

Acuto ferro diuidant fratres domum.

Inæqualitas demum hæreditatibus capiēdis inducta diſcordiarum fax eſt inter fratres, quam æqualitas extinguit. quare eſt apud Euripidem in eadem fabula.

Illud pulchrius, o fili, æqualitatem amplecti, quæ amicos ſemper amicis, vrbesq. vrbibus, ſociosq. ſociis connectit. *Verum obſtat multarum nationum vſus; quæ maiorem natu reliquis fratribus præferunt iure primigeniorum, quorum emptio, venditioq. inter Iacob, & Eſau interceſsit. Apud Perſas capitale fuit, ex aurea Coaſpis amnis aqua bibere, præter quam Regi, ac eius maiori natu filio. Fauet natura, qua impellente hos magis diligimus. Quare Deus multaturus Aegyptios, ex eorum liberis eos, qui primum nati eſſent, occidit. Hirundo hunc primum paſcit poſt alios; ex Aeliano, lib. 15. cap. 15. Scrofa eidem primam porrigit mammam, vt 6. de Hiſtor. cap. 18. ſcribit Ariſtoteles. Lacedemonii, exploraturi quis nam ex geminis Aeginæ, ac Ariſtodemi filiis eſſet maior natu; obſeruandum ſibi duxerunt, quem primo mater lauaret, atque cibaret: idq. ob vehementioris amoris indicium: cuius cauſſæ multæ adduci poſſunt. Prima, quia primi fructus ob raritatem, & nouitatem iucundiores videntur. Altera, quoniam eorum, qui primum in lucem editi ſunt, longior fuit vſus, & conſuetudo. Tertia, quoniam filii ſunt vincula coniugalis amoris. primum vero vinculum nectit, atque conſtringit firmius. Quarta, quoniam ille primus in parentum voluntate locum occupauit. Vltima peculiaris eſt in matre, quia, quæ pluris conſtiterunt, habentur cariora. qui vero ante ceteros in lucem prodit, genitales nexus, & naturæ clauſtra rumpit. Expreſsit hoc Homerus in Vacca, quæ pro vitula, quam primo genuiſſet, acerrime pugnare ab eo deſcribitur: ac eiuſmodi factum in exemplum vehementis amoris, atque ingentis alterius ſalute tuendæ ardoris, adducit. Percommode igitur Iphigenia, patrem Agamemnonem ad miſeratione flexura, ne immolaretur: dictante natura, paternos affectus hac potiſſimum via aggreſſa eſt, vt extat apud Euripidem.*

Prima te vocaui patrem: tu filiam me.
Prima vero tuis genibus corpus dans meum.
Gratas gratias exhibui, ac viciſsim accepi.

Ceterum hæc ex ijs iuribus ſunt, quæ hoc vel illo modo ſtatui poſſe ſupra lib. 5. ſcribit Ariſtoteles: qui nec primigenioram iura improbat, etſi fratrum imperium ex æqualibus conſtare aſſerat. Cum enim Athenienſes, & Græci his viuerent inſtitutis, vt fratres defuncti parentis hæreditatem æquis portionibus cernerent: idcirco popularium ſtatum, qui æqualitatem amat, amicitiæ ac ſocietati fratrum comparauit.

De amicitia ſodalitia, ac rurſum de fraterna, paterna & coniugali. Cap. XII.

IN ſocietate igitur, & communitate quadam omnis amicitia cernitur, vt diximus: *omneſq. ex eo, quod ſocitatem inter ſe habent, ſe mutuo amant.* niſi quis forte conſanguineorum, & ſodalium amicitiam ab his ſecludere velit: *quarum neutra ab electione pendet: ſed hæc quidem in aducatione, illa in ſanguine habet principium. quare a natura potius eſſe videntur*. At vero ciuium, & tribulium, & eorum, qui eadem conſcenſa naui, *fidem mutuo dederunt, & acceperunt*, & quæcumque ſunt huius generis amicitiæ iis, quæ communione quadam conflantur ſunt ſimiliores. Conſenſu enim & pacto quodam, *vt ſocietates*, conſtare videntur. In eodemq. ordine hoſpitalem collocare licet, *quæ & ipſa ex pacto exiſtit*. Iam vero cognatorum amicitia multiplex eſſe, totaq. a paterna pendere videtur. Parentes enim natos, vt ſui partem, diligunt: nati vero parentes, vt quippiam ab illis deciſum. Sed magis liberi amantur à parentibus, quam parentes a liberis. melius enim parentes ſuos nouerunt liberos, quam hi ſciant, ſe eſſe procreatos ab illis. Maiore etiam neceſsitudine, quod generatum eſt, ei coniungitur, a quo eſt genitum; quam id, quod natum eſt, iungatur ei, a quo natum eſt. nam quod ab aliquo profectum eſt, eius eſt proprium, a quo profectum eſt; vt dens, & pilus *proprÿ ſunt corporis animalis. ab illo enim tantum proficiſcuntur*. Et quidlibet eadem ratione proprium eſt eius, cui inhæret. *album enim corporis eſt album.* id autem, a quo aliqua orta ſunt, illorum nullius eſt proprium: aut certe minus. *Neque enim corpus animalis eſt dentis, vel pili tantum, ſed etiam vnguium, & aliorum: nec corpus eſt albi tantum, ſed etiam odorati, atque ſonori. Nec pater iſtius tantum eſt filÿ pater: ſed & aliorum. filius vero patris eſt proprius. neque enim duorum patrum poteſt eſſe*

fillus. Et omnino etſi pater ſit filij pater: nihilominus magis filius hoc ipſum quod eſt, patris eſt: quam pater filij. nihil enim a filio pater accipit, quo ſit: accipit a patre filius. Quæ vero noſtra ſunt propria maximè diligimus. iure igitur parentes liberos amant magis, quam liberi parentes. Adhuc temporis longinquitate pater amore filium ſuperat. Parentes enim liberos diligunt ſtatim natos: liberi parentes non amant, niſi cum ætatis progreſſu intelligere, ac ſentire cœperint. Atque ex his perſpicuum quoque fit, [3] quamobrem matribus filii ſint cariores: *videlicet, quòd ob lactis alimenta, & educationem, maior illarum ſit cum filijs conſuetudo; ac infantum cura vſque ad tempora diſciplinæ tota fere matribus incumbat: tum etiam quia matres ſunt patribus certiores*. Parentes igitur liberos, vt ſe ipſos, diligunt: nam qui ex iis nati ſunt, eo ipſo, quod ſeparati ab iiſdem ſunt, tanquã ipſi alteri ſunt; *Et vnuſquisq. filium ex ſe oriundum tanquam ſe alterum exiſtimat*. liberi autem parentes diligunt, vt ex illis nati: *non quaſi ſe alteros. Nam amor deſcendit potius, quã aſcendat*. Fratres vero inter ſe amant, *non quaſi ſui partem ament*: ſed quaſi ex eiſdem orti. nam eo ipſo, quod idem ſunt parentibus, fit, vt inter ſe quoque idem ſint: *iuxta Mathematicorum illud: Quæcumque ſunt eadem vni tertio, ſunt quoque eadem inter ſeſe*. Idcirco de fratribus ita loqui ſolent: [4] Idem ſanguis, ſtirps eadem, & cetera eiuſdem generis. ſunt igitur, etiam in corporibus diuiſis, & ſeparatis, quodammodo vnum. Magni autem ad amicitiam refert educationis communitas, & ætatis æqualitas: nam æqualis æqualẽ *delectat*, inquit ille: qui vero familiaritate, & conſuetudine mutua delectantur, ſodales ſunt. quare amicitia fraterna ſodalium amicitiæ ſimillima eſt. *Nam fratres, & ſodales nec diſpari admodum ætate ſunt, nec ſeorſum viuunt*. Patrueles autem ceterique cognati ex horũ nexu inter ſe coniuncti ſunt: ex eo ſcilicet, quod ab iiſdem orti ſunt. *In omni enim cognatione ab vno ſtipite omnes pullulant rami*. Atque horum alii ſunt inter ſe propinquiores: alii diſtant magis, quod vel propius, vel longius eorum generis auctor, *& communis quaſi fons*, ab iis diſtat. *In iſtis vero amicitijs varia inſunt, & vnicuiquepeculiaria*. Porro ea, quæ liberis cum parentibus, & hominibus cum Dijs intercedit: vti cum bona quadam re, atque excellente intercedit. Namque beneficia in nos maxima contulerunt; cum, vt ſimus, & poſt ortum vt alamur, inſtituamurque, cauſæ ſint. In hac autem liberorum cum parentibus amicitia eo plus iucunditatis, & vtilitatis, quam in alienorum, ineſt; quo vitæ communitate magis inter ſe deuincti ſunt. In fraterna vero amicitia eadem inſunt, quæ in ſodalium; ac multo magis ſi fratres probi, æqui, & omnino ſimiles ſint; [5] quantoque ſunt inter ſe *vita* coniunctiores,

& quanto

& quanto magis ab eo tempore, quo lucem primum aſpexerunt, mutuo diligunt: quanto demum ſunt moribus ſimiliores: tanto magis, qui ex eiſdem nati, & vna educati, & ſimili cura, ac diligentia eruditi ſunt, vnanimes viuunt, ſuntque ſodalibus ſimiliores. Poſtremo, probatio ea, quæ *in amicitia concilianda requiritur, ac* tempore conſtat: in hac fraterna *ob conuictum* & plurima, & firmiſſima eſt. Eademque experimenta æqua proportione de ceteris cognatis in ijs, quæ amicitiæ propria ſunt, haberi poſſunt. Iam vero quæ inter virum, & vxorem amicitia eſt, maxime naturalis videtur. [6] Homo enim ad coniungium aptior eſt natura, quam ad ciuilem ſocietatẽ: quanto domus ciuitate prior eſt, magiſque neceſſaria: quantoque procreatio eſt animantibus omnibus communior. Atque in ceteris quidem hactenus progreditur ſocietas: nam hoc vnum ea ſpectant, & ſequuntur, procreationem. homines autem non ſolum ſuſceptionis liberorum cauſſa communi domo vtuntur: ſed etiam vt eorum, quæ ad vitam pertinent, maior eis ſuppetat facultas. Statim enim deſcripta, & diuiſa ſunt eorum officia, & munera: aliæque ſunt viri, aliæ vxoris partes. Inſeruiunt autem alter alteri, ſua in medium afferentes: non ſeponentes, vel ſeorſim collocantes: ob quam cauſſam in hac amicitia & vtilitas ineſſe videtur, & voluptas. Quod ſi coniuges probi fuerint, tertium amicitiæ bonum illis accedit, honeſtas. propter virtutem enim amicitiam inter ſe colere videbuntur. [7] Eſt autem ſua vtriuſque coniugum virtus: ac tali re ſane lætabuntur. Liberi autem communes vinculi cuiuſdam inſtar ſunt, *atque pignoris.* itaque citius diſſoluuntur, qui liberis carent. Sunt enim hi amborum bonum. at id omne, quod commune eſt, ad continendum valet. *Nam legum, magiſtratuum, iudiciorum, fori communitas vnitatem tuetur ciuitatis.* Viro autem cum vxore, & omnino amico cum amico quomodo ſit viuendum, ſi quæratur: nihil aliud ſit, quam quærere, quid inter eos iuris intercedat. Non enim idem ius eſt amico cum amico, atque cum alieno: neque idem cum ſodali, & condiſcipulo: *ac omnino gradus quoſdam in hoc genere officiorum ſeruare decet; quos maior minorque coniunctio diſtinguit.*

SCHOLIA.

1 *NIſi quis forte conſanguineorum.*] *Inter fratres, ceteroſq. ſanguine iunctos, ſi virtutem colant, amicitia eſt. Sed quia ſanguinis vinculum maius eſt, & firmius, non dicuntur amici, ſed fratres, conſanguinei. Neque enim electio locum habere videtur, vbi ſanguis præualet. Quare firmiſſimum amoris vinculum illud eſt, quo fratres & conſanguinei virtute præditi ligantur: vt optauerit Plato ſuam Rempub. ex ijs conſtitui, qui ſe fratres, parentes, filios inuicem cenſerent.*

2 *Sed*

2 *Sed magis liberi amantur à parentibus.*] *aliam huius facti cauſſam affert Plato in ſympoſio: Quoniam, inquit, ſperant parentes, ſe per filios immortales futuros: quòd filij per parentes conſequi non poſſunt.*

3 *Quamobrem matribus filij ſint cariores:*] *De problematis huius veritate ſic ſtatuerem. In matribus amorem ab affectu profectum in filios eſſe vehementiorem: eum vero, qui a ratione eſt, in patribus erga eoſdem ineſſe maiorem.*

4 *Idem ſanguis.*] *Virgil.* Proijce tela manu ſanguis meus.

5 *Quantoq. ſunt inter ſe vita coniunctiores.*] *omnes horas vnà tranſigere, mirè auget amicitiam, vt ſodales faciant: quo nomine Tyberius Cæſar Pomponium Flaccum, & L. Piſonem ornaturus, eos omnium horarum amicos ſcripſit in codicillis.*

6 *Homo enim ad coniugium aptior eſt natura.*] *id enim ei conuenit, vt animal eſt: quod prius eſt, quam eſſe rationis, & induſtriæ participem.*

7 *Eſt autem ſua vtriuſque coniugum virtus.*] *nam & fœminarum peculiares ſunt animi dotes, atque corporis: puta lanificium, rei domeſticæ procuratio, pudicitia, pulchritudo, de quibus Ariſtot. in Rhetoricis lib.p.cap.5.*

Liberi autem communis vinculi cuiuſdam inſtar ſunt.] *vnde obteſtationes in Tragœdijs, comœdijs, hiſtorijs frequentes:* Per communes natos: per cara pignora.

De querelis amicitiæ: ac de beneficijs, vt eæ excludantur, compenſandis. Cap. XIII.

CVm ſint autem tria amicitiæ genera, vt diximus: & in vnaquaque *ſeu ab honeſto, ſeu a iucundo, ſeu ab vtili conſtetur*, alij ſint pares amici, alij præſtantia inæquales (nam & æque boni ſiunt inter ſe amici, & melior deteriori: qui etiam iucundi ſunt, & qui vtilitatem ſectantur, tum iucunditate & vtilitate præſtanda ſunt inter ſe æquales, tum inæquales) eos quidem, qui inter ſe ſunt pares amando, & reliquis exæquari oportet: *ita vt æqualiter amentur, & honorentur:* diſpares autem id, quo ſunt inferiores, præſtantiæ, atque excellentiæ proportione reddere. *Ita enim querelæ excludentur, & criminationes*, quæ in ea, quam vtilitas conſtituit, amicitia oriuntur, vel ſola, vel quam maxime: nec immerito. Nam qui ob virtutem ſunt amici, alter de altero benemereri ſtudent. hoc enim virtutis, & amicitiæ proprium eſt: [1] certare vter alium, bene de illo merendo, ſuperet; quæ quidem honeſtiſsimæ amiciſsimæque concertationes ab amicitia criminationes, & diſsidia pellunt. Illi enim

qui

qui amat, & bene meretur, nemo ſtomachatur: immo vir humanitate politus ei potius gratiam referat, & vicem rependat. Nec etiã qui benefaciendo alterum ſuperat, de amico queritur, *ſi beneficia minus accipit.* [2] aſſequitur enim quod magnopere cupiebat; *honeſtatem.* Vterque enim bonum expetit, ſeu honeſtum. Sed nec in amicitijs ob voluptatem conciliatis admodum ſæpe querelæ incidunt. Nam ſi conuictu lætantur; votis frui poſſunt pro libidine. Quod ſi quis ab amico non delectetur; ridiculus porro videatur, ſi hac de cauſſa illum criminetur: cum liceat alio ſe conuertere. Amicitia autem ob vtilitatem conſtituta criminationum, & querelarum plena eſt. Nam quia vtilitate ducti, mutua conſuetudine vtuntur, & ad emolumentum omnia referunt: ſemper plura deſiderant, ſemperque minus, quam ſibi conueniat, ſe habere exiſtimant. Denique ſe tam multa non conſequi, quam multis egent; cum præſertim digni ſint, conqueruntur. Illi autem, qui beneficium eis conferunt, tam multa ſuppeditare non poſſunt, quam multis egent: *vel ſe egere exiſtimant: vt eſt humanum ingenium inexplebile.* Vt autem duplex eſt ius: vnum ſcriptum, & legitimum, alterum non ſcriptum: ſic & amicitia, quam ſtatuit vtilitas, altera legitima eſt, & lege ac pacto continetur: altera in moribus poſita. *Nam vtilitas vel ſecundum bonos mores eſſe poteſt, vel ſecundum pacta, & leges.* His ita conſtitutis, in hac amicitia criminationes maxime naſcuntur, vbi ex ea, qua contraxerunt, amicitia non fit ſolutio: *vt ſi quis magno ſuo detrimento amico equum commodet eo animo, vt ſibi beneficium reddatur iuxta bonos mores, hoc eſt vſque ad damni compenſationem: qui vero accepit, velit reddere ſecundum leges, quæ certam in diem mercedem equis meritorijs conſtituunt.* Eſt autem ea legitima ſolutio, quæ lege dicta eſt, & certa mercede præſtituta conſtat; eſtque hæc duplex: altera prorſus mercaturæ ſimilis: in qua de manu in manu merces, aut pretium numeratur; *& ſimul res venalis accipitur, eiuſque pretium ſoluitur:* altera liberalior, in qua in diem confertur vtilitas, ſiue pretij ſolutio ad certum tempus differtur; ſed ex pacto atque conſenſu aliquid pro accepto beneficio præſtandum ſtatuitur. In hac neque obſcurum, neque dubium eſt id, quod debetur: ſed beneficium intercedit dilationis amicitiam decentis. Itaque apud nonnullas gentes horum non dantur actiones, neque ius dicitur *conquerentibus ſe, longius dilata ſolutione, deceptos:* ſed putant eos, qui fidem alterius ſequuti, cum eo contraxerunt: eandem fidem ſequi debere, nec inique ferre. Ea autem, quæ in moribus poſita eſt, vtile ſpectans amicitia, non habet vllam legem dictam, neque conditionem latam, neque vtilitatem ex pacto conſtitutam: ſed alter alteri, tanquam amico, donat, aut quidlibet aliud in eius commodum agit.

dum agit.

dum agit. Sed, *cum vtilitatem ſectetur*, æquum eſſe cenſet tantundem, aut plus ad ſe redire: quaſi non dono dederit, ſed mutuo, *vel fœnori*. Quod ſi aliter ei ſoluetur, ac ipſe *animo* contraxerat; *nec quod cogitauerat, reddetur*; alterum accuſabit. Hoc autem propterea accidit, quia volunt omnes, aut quamplurimi res honeſtas; at honeſtis vtiles anteponunt. Honeſtum porrò eſt, bene de altero mereri, nulla viciſsim vtilitate ſperata; vtile vero beneficium accipere. Igitur qui beneficium accepit, ſi facultatem habet, tantundem, quantum accepit, referre debet; idque ſua ſponte (non enim quenquam, qui nolit, vt nobis ſit amicus, *& benefitia gratis in nos conferat*, cogere debemus) quin potius cenſere debet, ſe beneficium; a quo non oportebat, accepiſſe, atque ab initio erratum eſſe, *cum existimauit ſe ab amico accepiſſe, amicitia cauſſa faciente*. Non enim ab amico accepit, neque ab eo, qui amicitiæ cauſſa beneficium conferret; *cum, qui hoc animo bene alteri facit, non ſit gerat amicum*. Itaque *ad tollendas querelas, & ne amicitia, qualis qualis ea fuerit, diſſoluatur*, perinde quaſi certa lege dicta, ac re in pactum deducta, ſic debet diſſoluere; *atque beneficium compenſare*. Qui igitur reddere poteſt, fateatur ſe beneficium referre oportere; ſi non poſſit, ne is quidem, qui dedit, ſibi reddi æquum eſſe duxerit; *ne amicitia diffluat. His incommodis vt aditus obſtruatur*, a principio ſtatim videndum eſt, a quo beneficium accipias, & quam beneficij mercedem ille expectet; vt his optime perſpectis, vel te beneficio affectum velis, vel recuſes. Quo loco ambigi poteſt, vtrum referenda gratia beneficium liberalitate dantis metiendum ſit, an commodo accipientis. *Id vero magni refert*. Nam qui accipiunt, extenuant, quæ a beneficis acceperunt, quaſi illis parua ſint, eademque ab aliis eſſent accepturi. Illi contra, quæ dant, augent; quaſi quam maxima potuerint, contulerint, & quæ ab aliis hi non fuiſſent conſequuti; adhuc ſe inter pericula, reſque aduerſas, ac duris neceſſarijsve tēporibus dediſſe iactant. Ceterum ſi amicitiam vtilitas conſtituit, beneficia ſunt eius, qui beneficium accepit, vtilitate metienda. Hic enim eſt, qui eget, & ille huic opitulatur, tanquam parem gratiam accepturus. tantum igitur huic ille opis tulit, quantum hic vtilitatis cepit. *huius enim vtilitas eſt beneficij collati finis, & menſura*. Reddet igitur tantundem, quantum eſt conſequutus, aut etiam amplius, *iuxta Heſiodi ſententiam. Nam æquali menſura reddidiſſe, ſordidi fuerit ingenij*; maiori vero compenſaſſe, longe pulchrius, & honeſtius. In amicitia vero, quæ virtute conſtat, nullæ criminationes innaſcuntur, & eius, qui contulit, conſilio beneficium videtur eſſe metiendum. virtus enim, & morum principatus in conſilio, ſeu electione poſitus eſt. *Et cum menſura eorum, quæ*

ſunt

ſunt in aliquo genere, ſit, & debeat eſſe optimum in illo genere: merito in hac amicitia electio benemerentis erit menſura beneficiorum.

SCHOLIA.

1 *CErtare vter alium bene de illo merendo ſuperet.*] *ad quod gloriæ plenum certamen Alexander Taxilē prouocauit. Philippus contendebat a Philone Thebano, vt beneficia ei redderet, quæ acceperat; ne laude hac ſpoliaretur, quod benefaciendo a nemine eſſet ſuperatus.*

2 *Aſſequitur enim quod magnopere cupiebat.*] *Publius Mimus. Beneficium dando accepit, qui digno dedit. Diogenes dixit, plus ei, qui beneficium meruit, laudis deberi, quam ei, qui dedit. plus enim eſt meruiſſe, quam dediſſe. Ergo vir probus dando beneficium, nihil inde quærit.*

De diſſidijs amicitiæ, in excellentia conſtitutæ, tollendis. Cap. XIV.

SEd & in iis amicitijs, quæ in excellentia quadam conſiſtunt, diſſidia nonnulla oriuntur. poſtulat enim vterque amicus plus ſibi tribui: quod cum fit, amicitia dirimitur. Exiſtimat enim & is, qui melior eſt, ſibi plus deberi, (bono enim plus tribui ſolet) & ſimiliter is, qui vtilior eſt, de ſe ipſo cenſet. Negant enim eum, qui ſit inutilis, æquam partem auferre oportere. famulatum enim & miniſterium, non amicitiam futuram, niſi dignitati factorum, ac munerum ea, quæ ab amicitia proficiſcuntur, reſpondeant. *qua enim deteriore conditione ſerui, ac mancipia tractentur, quam ſi non illis, quod iure debetur, redditum fuerit?* Arbitrantur enim, vt in ſocietate pecuniarum plura accipiunt, qui plura in ſocietatem attulerunt: ſic & in amicitia fieri oportere. Egens autem, & inferior contra ratiocinatur. Eſſe enim ait boni amici, egentibus opitulari, & quæ deſiderant, largiri. Quid enim iuuat viro bono, & potenti amicum eſſe, ſi nullum ex eo fructum ſis perceptūrus. Videtur autem æqua eſſe vtriuſq. poſtulatio, & vtrique ex amicitia plus tribui debere, ſed non eiuſdem rei: verum præſtantiori plus honoris: egenti plus quæſtus, & emolumenti. Virtutis enim & beneficentiæ præmium eſt honos, *nec maiorem illæ requirunt mercedem*. Egeſtatis vero, & inopiæ ſubſidium eſt lucrum. Atque etiam in omni reipub. ſtatu ita ſe res habet. Non enim honore afficitur is, qui nihil boni confert in rempub. cum res communis ei, qui de re communi, & publica haud bene meretur, non ſit tribuenda. Honor autem res communis eſt: *His vero, qui honore ſupra ceteros afficiuntur, diteſcere non facile conceditur.* nec fieri poteſt, vt quis e rebus communibus, & pu-

blicis pecunioſus ſimul, & honoratus diſcedat. Nemo enim *honore ſimul, & lucro ſuperari,* ac omnibus in rebus ſuam condicionem deteriorem eſſe, patiatur. Itaque ei, qui Reipub. cauſſa in re pecuniaria detrimentum patitur, honorē tribuunt: [1] ei, qui donis capitur, & muneribus ac lucro inhiat, pecuniam. Quod enim pro dignitate fit, amicitiam exæquat, & conſeruat. Sic igitur eos, qui non ſunt æquales, alterum cum altero agere par eſt: & qui vel pecunia eſt auctus, vel inſtitutionem accepit & diſciplinam ab alio, is benefactori, & inſtitutori honorem rependat: id ſaltem referens, cuius habet facultatem. Id enim, quod præſtari poteſt, amicitia deſiderat, & requirit, eaq; compenſatione gaudet: nec ſummo iure agit, vt quo quiſque dignus eſt, id ei tribui velit. Nam ne omnibus quidem in rebus hoc effici poſſet, quemadmodū in honoribus, quos Deo, & parentibus habere ſolemus. Nemo enim ijs vnquā par pro pari reddet: qui autem pro viribus colit, is probus, & pius eſſe videtur. [2] Quocirca patrem abdicare filio non licet: ſed patri filium maxime. Eum enim qui debet, oportet reddere. filius autem perpetuo debet: [3] & vbi omnia fecerit, nihil beneficijs a patre acceptis dignum fecerit, nec ſe obligationis vinculo exſoluerit. Semper igitur debet. At creditoribus dimittendi debitoris poteſtas datur. Ergo & patri facultas eſt filium liberandi. *Adhuc alia ratione lege cautum, ne filius patrem domo abdicare poſſit; ſed patri id in filium liceat.* Nam fortaſſe nemo diſcedere velle videatur niſi ab eo, qui improbitate excellat. ei vero, qui ſit improbus, opitulari, fugiendum eſt, vel non admodum laborandum. quare pater nō erit facilis ad filium domo exturbandum, tum propter naturalem amorem: tum quia ſperat, ſe in filio auxilium, & requietem habiturum. humanum vero eſt auxiliū non aſpernari. *Contra filius improbus patrem facile ablegabit, exigetq; quia viribus fretus iuuentutis patris auxilium contemnit: quin potius illum ſibi moleſtiæ futurum cenſet, ni eijciat.* Omnes vero homines, *ſaltim praui* beneficium accipere volunt: dare vero, vt rem inutilem, fugiunt. Ac de his quidem hactenus.

SCHOLIA.

1 *EI, qui donis capitur.*] *lego* δωροδόκῳ, *non* ἀδωροδόκῳ.

2 *Quocirca patrem abdicare filio non licet.*] *Tamen Autent. Vt cum de appellat. cognoſ. §. aliud quoque. Collat. 8. ſeptem enumerantur ingratitudinum genera, propter quæ Patrem domo eijcere filio licet: quattuordecim vero, quibus patri in filium idem ſtatuere fas eſt. Sed Ariſtoteles de eo, quod, vt plurimum contingit, loquitur. Neque enim adeo inſigniter nequam ſenes ſunt, ac iuuenes: nec parentes, qui in filios improbi ſint, adeo facile eſt reperire, vt filios erga parentes male animatos. Vel certe Græci alio iure vtebantur.*

3 Et

3 *Et vbi omnia fecerit.] accepit enim ab eo eſſe: (ſed a Deo multo magis.) vnde bona omnia nobis promanant. adhuc educationis, & inſtitutionis mercedem parentibus debemus, & perpetuo debemus, vt Plato docet 8. de Repub. Ariſt. infra lib. 9.*

DE MORIBVS LIBER NONVS.

Compenſatione amicitias ſeruari. *Caput I.*

V*Erum de amicitia cum multa dixerimus: adhuc alia quædam de eadem proferenda ſunt; & primùm, quæ nam ſeruent, ac tueantur amicitiam.* Illud autem memoria repetendum, quod antea tradidimus, omnes diſſimilium amicorum amicitias proportione exæquari, & conſeruari; quod & in ciuili ſocietate verum eſt: vt cum ſutori pro calceis ex merito & dignitate fit remuneratio, & textori, itemque ceteris opificibus, & artificibus. Qua de cauſſa comparatus eſt nummus, ceu communis menſura, ad quam omnia referantur, quave omnia menſurentur. *quapropter inæqualem ſutoris v.g. & textoris ſocietatem nummus exæquat. Eadem diſparitas in amicitijs à ciuili ſocietate diſtinctis reperitur.* Nam in amatoria¹ queritur interdum amator, quod cum aliquem valde amet, ille ſibi mutuo non reſpondeat in amore: & ſi fors ita tulerit, quando ipſe nihil in ſe contineat dignum, vt ametur. Sæpe etiam is, qui amatur, de amatore conqueritur, quod, cum antea omnia polliceretur, *mare atque terras daturum ſe promittens*, nunc nihil præſtet. Hæ vero querelæ tum intercedunt, cum amator propter voluptatem amat: qui amatur, propter vtilitatem: & hæc vtrique non ſuppetunt: *nec amator iucunditatem ab eo, quem amat, percipit: nec iſte viciſsim ab illo vtilitatem.* Et cum hæc amicitiam ab initio conflarint, vbi ea non præſtantur, amicitia dirimitur: quaſi ea non præbeantur, in quibus inerat cauſſa diligendi. Non enim alter alterum diligebat, ſed hic vtilitatem, ille voluptatem, quibus potiri dabatur; quæ cum ſtabilia non ſint, inſtabilem quoque reddunt amicitiam. Quæ vero ex moribus ſeu virtutibus proficiſcitur amicitia, cum per ſe ſit, vt diximus, *& in ipſum amicum amatione tendat*: ſtabilis perſeuerat. *Mores enim & virtutes idem ſunt cum ani-*

mo, cui inhærent: & qui mores alicuius diligit, illummet, non quid ab eo ſeparatum, diligit. Diſſident autem inter ſe amici etiam, cum alia quædam non quæ expetebant, conſequuntur. Nam non conſequi, quod cupiebas, perinde videtur, ac ſi nihil conſequereris. Quod Citharoedo illi contigit, cui cum quidam promiſiſſet, quanto melius caneret, tanto ſe plura daturum; mane promiſſam petenti mercedem, voluptatem pro voluptate ſe reddidiſſe dixit. *magna enim illum, ingēti promiſſo præmio, affecerat voluptate.* [2] Si hoc igitur vterque volebat, ſatis Citharoedo factum eſſet. Sin hic oblectationem quærebat, ille quæſtum, & vtilitatem: & hic habet, quod voluit, ille vacuus abit: non fuerit ſocietatis, & amicitiæ legi cumulate ſatisfactum. Quiſque enim ea quærit, quibus eget: eorumq. gratia hæc, quæ habet, daturus eſt. *Citharœdus igitur cantu oblectabat, vt pecuniam, non vt voluptatem acciperet. illa enim egebat: hac abundabat.* Quo loco dubitare licet, Vtrius ſit rei æſtimationem facere: eius ne qui ante dedit, an eius qui ante accepit? Nam qui dat prior, rem omnem, & compenſationem ei, cui dat, permittere videtur; quod aiunt Protagoram Sophiſten facere ſolitum. Cum enim docuiſſet, quod ei tandem viſum foret; eum, qui didicerat, æſtimare iubebat, quanti ea, quæ ſciret, eſſe cenſeret; ac tantum ab eo mercedis exigebat. *callidum conſilium. Cogebantur enim ingenui adoleſcentes honoris gratia magni æſtimare, quæ didiciſſent: ne, parum ſoluendo, ſe ipſos inertia, inſcitiaq. damnarent.* In huiuſmodi vero commercijs illud nonnullis placet, quod ab Heſiodo primo Georgicorum vſurpatum eſt.

Condicta aſt homini merces, quæ congruat, eſto.

Hoc enim pactionis remedio criminationes tolluntur, ſed non omnes. Nam plerumque pecuniam ante accipiunt *ab ijs, quos erudiendos ſuſceperunt, eoſdem promiſsis onerantes*, verum nihil eorum, quæ polliciti ſunt, præſtant, ob immoderatam promiſſorum magnitudinem: meritoq. cum fidem ſuam liberare nequeant, accuſantur. [3] Sed hoc Sophiſtæ fortaſſe facere, ac maiora viribus polliceri, coguntur: quod nemo ea, quæ illi *communiter* ſciunt, ſit pecunia commutaturus; *cumq. nota, & perſpecta ſit omnibus eorum vanitas: ni mentiantur, & maiora quædam, quam Sophiſtæ poſsint, promittant: nemo ad illos accedet.* Hi igitur, quoniam ea, quorum mercedem acceperunt, non faciunt, iure accuſantur. *Sapientum vero longe diſpar conditio eſt. Atque ita quidem ſe res habet in ijs, qui rem certam in ſocietatibus condicunt.* Inter quos autem nulla intercedit pro opera, officioq. exhibito mercedis reſtipulatio: apud illos, qui de altero propter ipſum, *ſiue eius mores, & virtutem* priores benemerentur, nullum criminationi ſupereſſe locum, dictum eſt. Talis enim

amicitia

amicitia ex virtute exiſtit; ac beneficij accepti compenſatio pro conſilio, *& mente conferentis* facienda eſt. *ille autem amari tantum vult a viro probo, cui gratificatur: quod alter facile præſtat.* Ita enim ſe vtrinque gerere, & amici, & virtutis eſt. eademq. ratio ijs, qui ſapientiæ ſtudijs inſtruunt, & inſtruuntur, ſeruanda videtur: quod nec eius æſtimationem pecunia metiatur: neque condignus eidem honos queat reperiri. Quare ſatis fortaſſe ſit, quod vires, & facultates patiuntur, reddidiſſe, quemadmodum Deo, & parentibus præſtari ſolet. Vbi vero non hoc modo, neque hoc animo beneficium confertur, ſed ſpe mercedis, & remunerationis: *quod fit in amicitijs a virtute ſeiunctis:* facienda fortaſſe remuneratio eſt maxime, quæ & illi qui prior dedit, & illi, qui accepit, digna beneficio videatur: *ne eorum alter conqueratur.* Qua in re ſi minus inter eos conueniat: non modo neceſſarium, verum etiam iuſtum videri poſſit, eum, qui prior acceperit, quantum reddendum ſit, præfinire. quantum enim hic ditior, aut melior effectus ſit, & quanti voluptatem eam, cuius compos factus eſt, emiſſet: tantum reddet, ac viciſſim alter accipiet: itaq. iuſtum ab hoc pretium ille videbitur conſequutus. Hoc ipſum in rebus venalibus factitatur. *Venditor enim pretium edicit, & plus iuſto petit. tum emptor, cum ſecum ipſe reputarit, quantum inde vtilitatis, voluptatiſue capere poſsit, pretium ſtatuit, quod ſi venditor acceptat, ſequitur emptio.* Quibuſdam etiam in locis leges vetant, contractuum, qui contrahentium voluntati permittuntur, iudicia reddi, aut lites recipi, actionesq. dari: quaſi oporteat, cuius quis fidem contrahendo ſequutus eſt, illius in diſſoluendo contractu ſequi voluntatem. Nam iuſtius eſſe arbitrantur eum, cuius arbitrio res ab initio permiſſa eſt, & credita, quantum reddendum ſit, definire, quam eum, qui permiſit, & beneficium contulit. Sæpe enim contingit, vt quæ quis habet, non tanti æſtimet, quanti qui vult ea accipere, *ſed multo pluris,* quod ſua cuique, & quæ dono dantur, danti videantur magni eſſe æſtimanda. Sed accepti beneficij æſtimandi certior erit regula, vt tanta ſit remuneratio, quantam ij quidem, qui acceperunt, ſtatuerint: ſed æſtimatione facta non quanti tum eſſe videtur, cum benefitium quis habet: ſed quanti prius, quam haberet, fuiſſet æſtimaturus. *Nam quæ non habentur, deſiderantur: & magna videntur. eadem accepta vileſcunt. & qui beneficium eſt conſequutus, pronior ad gratiam referendam erat, dum in ſpe detinebatur: quam vbi voto potitus, fruitur benefitio.*

SCHOLIA.

1 *QVeritur interdum amator.*] *immo frequenter.* **Horat.**

Sic viſum Veneri, cui placet impares
Formas, atque animos ſub iuga ænea

Sæuo

Sæuo mittere cum ioco.

2 *Si hoc igitur vterq. volebat.*] *Tale C.Cæſaris certamen fuit cum Græculo poeta; cui pro carminibus carmina diu reddidit.*

3 *Sed hoc Sophiſtæ.*] *idem ex Platonis Euthydemo, Gorgia, & Sophiſta intelligere licet. Talem in arte medica ſe iactauit Theſſalus Trallianus, Methodum quandam inter aſtra fabricatus, cuius ope ſex menſibus omnem traderet medendi rationem, ac medicos præſtantiſsimos redderet. cuius dementiam Galenus profligauit.*

Beneficia pro dignitate referenda eſſe, non omnibus omnia. Cap. II.

SEd & hæ quæſtiones dubiæ ſunt & difficiles: [1] An omnia ſint patri tribuenda, & an in omnibus ei ſit obtemperandum; [2] an potius in ægritudine filius medico parere debeat: [3] Et vbi imperator eligendus eſt, num patri potius imbelli, quam viro bellicoſo, reiq. militaris perito ſit ſuffragandum: Et num amico potius *non admodum probo,* quam viro bono operam dare oporteat: Et ei ne, qui de nobis benemeritus eſt, gratia ſit referenda potius, quam ſodali donandum, ſi vtrique ſimul ſatisfieri non poſsit. Hæc igitur non eſt facile ſubtiliter, & enucleate diſtinguere: cum magnitudine, & paruitate, honeſtate, & neceſsitate multum inter ſe, varieq. differant. Non eſſe autem vni eidemq. omnia præſtanda, minime latet: beneficiaq. potius referenda ijs, a quibus accepiſti, quam ſodalibus gratificandum: quemadmodum mutuum ei, cui debetur, reddendum eſt potius, quam ſodali donandum. *hoc enim opus eſt liberalitatis, & amicitiæ, illud iuſtitiæ, qua magis obſtringimur. Qui vero beneficium accepit, ei qui dedit, quaſi ex mutuo debet.* Sed neque id fortaſſe in omnibus verum eſt. Vt ſi quis a predonibus redemptus eũ, qui redemerit, captum viciſsim redimere: aut eidem non capto, ſed repetenti quod illius gratia impendit, reddere: ſimulq. patrẽ redimere adigatur: hoc enim ſtatu rerum patrem potius, quam vel ſe ipſum *ne dum alium quempiam* redimere debere videatur. In vniuerſum igitur id quod debetur reddendum eſt potius, *quam, ſi ab hoc illud impediatur, donandum, vt diximus.* Sed ſi donatio vel honeſtate, vel neceſſitate ſuperet debiti redditionem, ad eam oportet eſſe propenſiorem: *vt ſi viro cuipiam valde inſigni ſit in graui neceſſitate opitulandum.* Immo ne æquum quidem interdum eſt ei, qui alterum beneficio prouocarit, parem referre gratiam: ſi ille cognita huius probitate beneficio eum affecit; huic autem ſit illius improbitas perſpecta. hac enim ratione interdum ne illi quidem

qui mutuò dedit, viciſsim eſt mutuandum. Ille enim exiſtimans ſe non fraudatum iri, mutuum dedit viro bono: hic autem ab improbo ſe recuperaturum eſſe diffidit. Si igitur re vera ita ſe res habet, *vt vni fides haberi poſsit, alteri non poſsit:* non eſt par vtrinque dignitas, *nec æqua ratio, propter quam benefitia conferantur:* ſin aliter eſt quidem, at exiſtimant nihilominus ita eſſe, *ac dignitatis meritorumq. inæqualitatem intercedere,* non abſurde facere videntur, *ſi magis dono dent viro probo, quam ei, quem rebantur improbum, à quo acceperant beneficium, reponant. Sed horum, quod ſummam ſuſcipiant varietatem, certior, atque limatior regula tradi non poteſt.* Omnis enim, quæ in perturbationibus, & actionibus explicandis verſatur oratio, vt ſæpenumero diximus, nihilo magis certa, & definita eſt, quam ea, in quibus verſatur. Non eadem igitur omnibus eſſe tribuenda, neque patri ipſi, quemadmodum neque Ioui omnia immolantur, *vt ſupra lib. 5. cap. 7. diximus,* non eſt obſcurum. Quoniam vero alia, & alia parentibus, fratribus, ſodalibus, benemeritis debentur, ſua cuique ſunt accomodate tribuenda. Atque ita quidem homines facere videntur. Ad nuptias enim cognatos vocant. 4 nam cum his commune ſit genus, *ad actiones, quibus genus propagatur, vocandi ſunt,* & quæ circa nuptias geruntur, debent eſſe communia, eandemq. ob cauſſam exiſtimant cognatos maxime funeribus, & parentalibus intereſſe oportere. Videntur autem filij parentibus maxime victum ſuppeditare debere, quaſi debitores: pulchriusq. eſt ijs, per quos ſumus, quam nobis ipſis in his rebus opitulari. Præterea parentibus honos, vt Dijs, eſt habendus, ſed non omnis: nec idem patri, qui & matri. Nam nec patrem honore illo afficere debemus, qui ſapienti viro, aut imperatori tribuendus pro dignitate eſſet: nec matri alium exhibere, quam qui deceat matrem. Grandæuis autem pro ætate honos tribuẽdus: 5 vt eis aſſurgamus, ac de ſede, & accubatione honoratiore decedamus, ceteraq. huiuſmodi præſtemus. Sodalibus autem, & fratribus orationis inter ipſos libertas, omniumq. rerum communitas dari debet. Poſtremo vt cognatis, tribulibus, ciuibus, ceterisq. omnibus ſuum cuiq. ius, ac ſuum tribuamus honorem, danda opera eſt: conferendaq. ſunt inter ſe, & perpendenda, quæ cuique inſunt, ex neceſsitudine, ex virtute, ex vſu, *ſeu vtilitate quæ ab ijs in nos redundare poteſt: ne alterum alteri præter hanc normam præferendo, erremus.* Ac de ijs quidem, qui eiuſdem generis, & ſanguinis ſunt, facilius iudicari poteſt *: ſunt enim certis diſtincti gradibus:* de ijs autem, quorũ nulla communio ſanguinis eſt, difficilius. Non tamen idcirco deſiſtendum eſt: ſed inter ſe, quo ad fieri poſſit, diſtinguendi, ac diſcernendi.

SCHO-

S C H O L I A.

1 *AN omnia ſint patri tribuenda.] ſcilicet, vbi vel bono publico detrahitur, vel alteri ſit iniuria. Haec enim admittenda non ſunt. Ceterum cum parentibus par reddi non poſsit, non videtur filius, patre beneficijs proſequendo, nimius futurus, vel ſi Cimonem æmuletur, qui vt Miltiadis parentis cadauer e vinculis ad ſepulturam redimeret, vincula in ſe transtulit. Gellius, lib. 2. cap. 7. diſputat, An patri ſit in omnibus obtemperandum: & ait, id faciundum in rebus honeſtis. at ſi iubeat, vt propudioſam ducas vxorem, vel criminoſam: vt Catilinæ faueas: vt P. Clodio cauſſam dicas, non eſſe audiendum.*

2 *An potius in ægritudine.] contraria ſcilicet ſuadente patre, dum curationes quaſdam timet periculoſas.*

3 *Et vbi imperator eligendus eſt.] Homini ad rem militarem idoneo tunc potius fauendum, quam patri minus idoneo. nam vtilitas publica priuatis officijs eſt anteponenda. In eligendo vero imperatore virtus bellica ſpectatur magis, quam vel ſanguinis obligatio, vel moralis virtus. Quare laudatur C. Fabricius, qui bello periculoſo P. Cornelium, hominem ſibi inimiciſsimum, & auarum, ſed egregie fortem Conſulem fecit: quod diceret, malle ſe compilari, quam venire.*

4 *Nam cum his commune ſit genus.] Quæ in nuptijs, & funeribus geruntur, non ſunt perſonarum propria, ſed familiæ communia; cum & ob affinitates honos, & maculæ a tota familia contrahi poſsint: & amiſsi conſanguinei damnum ſit omnibus commune.*

5 *Vt eis aſſurgamus.] Seuere id cautum a Spartiatis, & diligenter cuſtoditum. Quare cum Athenis ad ludos, ſedilibus occupatis, Athenienſis quidam grandæuus veniſſet: dum locum quærit, a ſuis repulſus, ad Spartanorum ſedilia ſe contulit.* Ex ijs puer, *morem patrium ſequutus, ſurgens, ei locum conceſsit. Quod factum publico murmure ab Athenienſibus exceptum eſt, & commendatum. Senex vero* Concutiens barbamq. canam, & tempora cana, *exclamauit, Athenienſes honeſti quidem & decori notitiam habere: ſed non curare, vt honeſte agant.*

Quando ſit amicitia dirimenda. *Cap. III.*

SEd quæſtio exiſtit ſubdifficilis; de amicitijs diſtrahendis, & dirimendis: Num cum ijs, qui antea vtiles erant, & iucũdi, ſi poſtea tales eſſe deſierunt, amicitia ſit diſſoluenda; cum ea ob vtilitatem, & iucunditatem ab initio contracta fuerit: an id facere ſit abſurdũ? Atqui hoc non videtur. iucunditatis enim & vtilitatis erant amici,

quibus

quibus fruſtrati, ſi iam amare deſinant, non eſt mirum. Merito autem quis eum accuſet, qui cum vtili, aut iucundo ad amandum inuitetur, atque trahatur, ſe moribus, & virtute ad hoc ipſum excitari, ſimulet. *Quo nomine de Lyſia Phadrus queri potuit. Simulauit enim ille amare ſe Pradri indolem, & ingenium: at vere pulchritudinem in eo ſequebatur: qua cum defloruiſſet, minime ad Phadrum Lyſias ventitauit.* Ab hac ſimulatione, vt initio diximus, oriuntur plurimæ inter amicos diſſenſiones, quod haud ita, vt exiſtimarant, ſunt amici. In hunc errorem ſi quis opinione propria ducatur, de ſe ipſo tantum quæratur: ſin illius ſimulatione, ac deceptione, merito is accuſandus eſt, qui fefellit, & quidem magis, quam qui nummos adulterant: tanto inquam magis, quanto in re pretioſiore maleficium admittitur. *Liceat igitur ei, qui ab alio deceptus eſt, de illo conqueri, & eidem amicitiam renunciare.* Sed ſi eum in amicitiam receperat vt virum bonum: poſtea malus euadat, vel euaſiſſe videatur, vtrum adhuc amandus eſt? Sed hoc fieri non poteſt, cũ non ſit amabile niſi bonum. Neque enim vitioſus eſt diligendus, neque oportet rerum malarum ſtudio teneri, neque improbi hominis ſimilem effici. Dictum vero ſupra eſt, ſimili amicum eſſe ſimile. Vtrum igitur cum omnibus improbis diſcindendæ ſtatim ſunt amicitiæ? an cum ijs tantum, quorum improbitas eſt inſanabilis? ijs enim, qui corrigi poſſunt, multo magis auxilium ad mores ferendum eſt, quam ad fortunas, & facultates; quanto id facere melius eſt, & amicitiæ conuenientius. Videatur autem is, qui talem amicitiam miſſam facit, nihil abſurdi facere. * Non enim huic, aut tali, hoc eſt improbo, amicus erat. Quoniam igitur eum a probitate ad malitiam traductum reſtituere, ac ſeruare non poteſt, ſeſe ab eo ſeiungit. Ceterum maior exiſtit dubitatio, ſi hic idem, qui fuit ab initio, maneat: alter vero longe melior fiat, multoq; virtute præſtantior: vtrum etiã nunc eo, vti amico, vtendum eſt? Sed hoc fieri non poteſt quod ita eſſe, in magna amicorum diſtantia cernere licet: vt in ijs amicitijs, quæ a pueris contractæ ſunt. Si enim alter animo, & cogitatione puer maneat: alter in optimum & præſtantiſſimum virum euadat, qui fieri poteſt, vt ſint amici: cum nec eadem probent, neque iiſdem delectentur, vel offendantur? Nam neque hæc alter alteri præſtabit. At ſine his fieri non poſſe, vt ſint amici, dicebamus. ni enim iiſdem delectentur, & angantur, vna viuere non poſſunt. Sed de his iam dictum eſt. *Hoc igitur poſito, & firmato,* Vtrum non alio *alter in alterum, ſeu magis præſtantior ille in deteriorem* animo eſſe debet, quam ſi nunquam ei amicus fuiſſet? an vero præteritæ conſuetudinis memoria conſeruanda eſt? *Et quidem ita faciundum.* Quemadmodum enim amicis potius, quam alienis gratificari putamus, opor-

teroq; ita & ijs, quibuſcum multus aliquando nobis vſus interceſsit, aliquid concedendum eſt propter amicitiam priſtinam. cum præſertim diſſidij cauſſam inſignis aliqua improbitas non præbuerit.

S C H O L I O N.

*N*On enim huic, aut tali, hoc eſt improbo amicus erat.] *Porro amamus diuerſimode, & in vno eodemq. varias diſtinguimus amandi rationes; quod eleganter in Hephæſtione, & Cratero Alexander notauit: cùm inquit, Ab hoc regem diligi, ab illo Alexandrum: cum nihilominus idem & Rex eſſet, & Alexander.*

Amicitiæ opera ortum habere ab amore ſui: & prauorum ad ſe ipſos non eſſe amicitiam.

Cap. IV.

OMnia, quæ ab amicis in amicos ex amicitia conferuntur, & quæ amicitiam claudunt, ab amore, quo quisq; ſe ipſum proſequitur, proficiſcuntur: *& quiſque amoris in amicum exemplar ab amore ſui petit.* Siquidem eum amicum eſſe ponunt, qui vel amicum bonis ornatum eſſe vult, & ipſe ornat quamplurimis; ſiue re vera bona ſint, ſiue ſpeciem boni gerant, *& ab ipſo exiſtimantur bona:* idque vult, & facit illius cauſſa: vel qui amicum eſſe viuereq. velit, non ſuo, ſed ipſius amici commodo: quemadmodum matres erga filios, *quibus nota non ſunt,* afficiuntur: & amici ij, quos inter offenſiuncula aliqua orta eſt. *Cum enim non ſua culpa apud amicos offenderint, ac immeritò ijs cœperint eſſe ſuſpecti; ipſi tamen animum non mutant: Et cum nihil ab amicis expectent, ijs tamen bene cupiunt, ſui conſcientia contenti:* Vel denique amicum eſſe volunt eum, qui vna ætatem agit, eadem ſtudia ſequitur, aut iiſdem gaudet, & dolet, quibus amicus. Quod quidem matribus erga filios accidit maxime. Hæc igitur tria illa ſunt munera, quorum vno aliquo amicitiam definiũt. *Primum ad beneficentiam ſpectat: alterum ad beneuolentiam; poſtremum ad concordiam:* Atqui vnumquicque horum in viro bono ineſt erga ſeipſum: in cæteris autem, qua ſeſe tales eſſe exiſtimant. Conſentaneum enim eſt, vt ſupra diximus, virtutem, & virum bonum vniuſcuiuſque rei eſſe menſurã: *& amicitiã, quæ cum alijs eſt, ab ea, quæ ſui eſt ad ſe ipſum, qui tamen vir bonus ſit, regulari: non qui malus.* Hic enim ſecum ipſe ſentit, (*quod ad priora duo amicitiæ munera ſpectat*) eademque toto animo expetit, vultq. ſibi euenire, quæ & vere bona ſunt, & quæ talia videntur: & ea ipſa agit. Nam viri boni eſt, in vero bono ſibi comparando, omni contentione elaborare; idq. ſua ipſius cauſſa: nimirum eius animi partis gratia, in

qua cogitandi vis ineſt, & quæ totum, quod vere ſumus, eſſe videtur. *Hanc enim animi partem ratione præditam, qua ad cæleſtes mentes accedimus, maxime curat vir bonus: non eam, quæ ratione vacua circa materiam occupatur*. Vult præterea ſe viuere, & incolumem eſſe: maxime vero hanc animi partem, qua ſapit, & prudenter ſentit, ſaluam cupit. Nam viro bono bonum eſt eſſe. Sibi autem vnuſquiſque vult bene euenire: ſed nullus eſt, qui ſi alius, quã qui prius erat, effectus ſit, optet illud, in quod commutatus eſt, bonis omnibus, *etiam ijs, quæ ad priorem ſtatum pertinebant*, abundare. *Nam ſi homo in Leonem vertatur, ſatis habeat bonis ad Leonem attinentibus affluere: nec ea curet amplius, quæ ſunt hominis. eius enim natura immutata eſt*. Nam obtinet nunc Deus verum bonum: ita tamen, vt permaneat id, quod eſt: quicquid tandem ille ſit: *neque enim de hoc ad præſens diſputandum. Si enim flueret, vt elementa, nec idem perpetuo perſeueraret, non eſſet beatus: ſed alia, & alia appeteret, pro ratione illius, in quod mutaretur*. Non immerito autem pars ea, quæ in nobis intelligit, vnuſquiſque noſtrum eſſe videatur, *ſi non vniuerſe & ſimpliciter, vt Plato voluit*, at maxime, ſeu maiore ex parte. *Ea enim eſt hominis propria, illumque perficit, & abſoluit, efficitque vt ſit: cetera vero ſunt homini cum iumentis communes*. Is autem, qui talis eſt, *& meliori huic animi parti ſtudet*, ſecum habitare vult, (*quod ad poſtremum amicitiæ munus pertinet*) ſecum viuere. id enim libenter facit. Nam & rerum geſtarum recordatio ei eſt iucunda, & ſpes futurarum bona, & proinde ſuauis. Quamplurimarum præterea rerum cognitione abundat, & ſecum ipſe dolet, & lætatur maxime, *taliq. ſeceſſu gaudet*. Nam vndique idem ſemper ei moleſtum eſt: idem ſemper iucundum: neque hoc nunc iucundum, alias moleſtum: vel nunc moleſtum, alias iucundum: cum, (liceat ita loqui) nihil agat, cuius eum pœnitere poſſit. Quoniam igitur hæc ſingula in viro bono inſunt erga ſe ipſum, & in amicos eſt, vt in ſe ipſum animatus, (amicus enim eſt alter ipſe) efficitur, vt amicitia aliquid horum, *quæ dicta ſunt, munerum*, eſſe, ijq., in quibus hæc inſunt, amici eſſe videantur. Vtrum autem cuique erga ſe ipſum amicitia intercedere poſſit, nec ne, in præſenti quærere, omittamus. Videri autem poſſit ita eſſe, tum quia vnuſquiſq. ad ſe ipſum collatus duorum, vel plurium vicem gerit *ob multiplicem appetitum, qui ineſt in animo*, vt ſupra diximus: *quare ex hac parte non videatur abſurdum, ſui ad ſeipſum amicitiam ſtatuere, cum ſcilicet ſuperiori appetitui conuenit cum inferiori*: tum etiam quia modum ſuperantem amicitiam illi amicitiæ, quæ cuique ſecum eſt, comparamus, & ſimile facimus: *vt cum ita loquimur, Amo te, ſicut me ipſum. quapropter noſtri ad nos ipſos amicitiam vti ceterarum exemplar conſtituimus*.

Sed quis forte obiecerit, ea, quæ a nobis ineſſe in viris probis dicta ſunt, etiam in vulgo reperiri, quamuis improbo. *Nam & volunt ſe ipſos viuere, & ſaluos eſſe, ac ſecum degere, collætari, & congaudere*. Sed certe qua parte ſibi ipſi placent, & arbitrantur ſe bonos eſſe, *decepti ab amore ſui, vel falſa opinione imbuti, ſe male facere non animaduertunt*: hac parte eorum ſunt participes. In eorum vero, qui valde ſunt vitioſi, *& ſcientes grauiter peccant*, nemine inſunt: quin ne ineſſe quidem videntur, nec fere in vllo vitioſo. Sceleſti enim homines ſemper ſecum pugnant, & diſſident, dum alia cupiũt, alia volunt, vt incontinentes: qui ſpretis, & reiectis ijs, quæ ſibi bona eſſe opinantur, iucunda ſequuntur, & damnoſa ſumunt. Alij etiam propter ignauiam, & deſidiam abſtinent ſe ab illis rebus agẽdis, quas ſibi optimas eſſe ducunt. Iam vero qui multis, & atrocibus implicati ſunt facinoribus, vitã odio habent, & auerſantur, ſibiq. manus inferunt: quia ſe publico flagrare odio intelligunt: *vel propter improbitatem: cum ſcelerum conſcientiã ferre non poſsint*. Quod facere, ſi minus in animũ inducant: at ſaltim, vt ſe ipſos vitent, *ac ne a propria conſciẽtia flagellẽtur*, ſecreta, & ſolitudines fugiunt, quærũtq. quibus cum dies totos traducant: Multa enim grauia, & horrenda recordantur; & huiuſcemodi alia, cum ſoli ſunt, expectant: quorum tantiſper, dum cum alijs verſantur, obliuiſcuntur: & cum nihil in ſe contineant amabile, nullo erga ſe ipſos amoris affectu commouẽtur. Igitur qui tales ſunt, nec ſecum vna lætantur, nec ſecum pari dolore afficiuntur. In eorum enim animo diſcordiæ, atque ſeditiones excitantur: & altera quidem animi pars, cum a quibuſdam rebus, *ratione iubente*, reprimitur, propter improbitatem dolet, atque diſcruciatur, *quod honeſte agat*: altera vero, *quæ ſuperior eſt*, lætatur. & huc altera trahit, illuc altera, tanquam animum diſtrahere velint, atque diuellere. Etſi vero fieri non poſſit, vt quis doleat ſimul, atque lætetur: at certe vir improbus paulo poſt, quam lætatus ſit, mœrore conficitur, quod voluptatem illã perceperit, eamq. ſibi contigiſſe nolit. Malos enim aſſidue actionum ſuarum pœnitet: *remurmurante, ſtimuloſq. ſubdente ſyndereſi, vel conſcientia*. Homo igitur malus ne in ſe ipſum quidem amico eſſe videtur animo, quia nihil habet dignum, quod ametur. Si igitur ita ſe habere, ac in ſe ipſum amice affectum eſſe non poſſe, valde eſt miſerum: contento curſu, acerrimoq, conatu improbitatem fugere debemus, & eniti, vt boni ſimus. Sic enim & amico quiſque in ſe erit animo, & alijs poterit amicus fieri, *& amicitiæ fructibus frui*.

SCHOLIA.

1 *ET quiſque amoris in amicum.*] *Amor ſui eſt regula illius, quæ cum alijs extat, amicitiæ. tunc enim quis alteri videtur ami-*

bus, cum eadem, quæ ergà ſe facturus eſſet, in illum agit: tunc etiam dicitur alteri inimicus, cum ea in illum infert, quæ ſibi non eſſet illaturus. Hæc ex illo naſcuntur præcepto charitatis: Quod tibi non vis, alteri ne feceris.

a *Vult præterea ſe viuere.] Vide Scholion 3. cap. 9. lib. 3.*

De beneuolentia. Cap. V.

Beneuolentia non eſt amicitia, ſed amicitiæ ſimilis. Oritur enim etiam erga eos, qui *de facie* non ſunt nobis noti: *qua ratione Darium, quem non viderant,* multi Græcorum ſunt beneuolentia proſequuti. Poteſt etiam beneuolentia obſcura eſſe, atque occulta: amicitia non item, *cum requirat vſum, & conuictum:* vt ſupra explicatū eſt. Sed nec beneuolētia eſt amatio: nam neq. contentionem habet *ad benefaciendum amico,* neque vehemēs deſiderium: [1] quæ duo amationem conſequuntur. Amatio præterea cum vitæ conſuetudine coniuncta eſt; beneuolētia vero vel ſubito conciliari poteſt: quemadmodum in pugilibus, & gladiatoribus, *& hiſtrionibus in ſcena contendentibus,* vſu venit. Beneuoli enim eis fieri homines ſolent, vbi eos ſpectarint, & quæ illi volunt, iiſdem exoptant: [2] at pro illis non contendunt, nec ad eos adiuuandos, ſubleuandoſq. ſe loco mouent. [3] repentino enim motu quodam animi in eos beneuoli effecti ſunt: nec admodum altas eorum amor radices egit. Quare beneuolentia potius amicitiæ principium eſſe videtur: quemadmodum, & amoris ea, quæ aſpectu gignitur voluptas. [4] Nemo enim amore capitur, qui non fuerit ante forma, ſpecieq. delectatus: *quam vel oculis aſpexerit, vel animo quaſi præſentem, oculiſq. ſubiectam, fuerit contemplatus.* Nec tamen is, qui alicuius forma delectatur, vel ſpecie aliqua, ſtatim amat: ſed cum abſentem deſiderat, &, vt præſens ſit, concupiſcit, *tum demum amoris in illum ſui certum præbet experimentum. hæc enim ſine amore non exiſtunt.* [5] Sic igitur nec fieri poteſt, vt inter ſe ſint *vere* amici, niſi ante fuerint inter ſe beneuoli. at beneuoli non continuo inter ſe amant. duntaxat enim volunt ijs, quibus ſunt beneuoli, bene eſſe. Sed eos nec opera ſua adiuuare, nec eorum cauſſa moleſtiam, vel laborem vllum ſumere velint. Itaque recte quis, tranſlato vſus vocabulo, [6] otioſam amicitiam beneuolentiam dixerit, *cum amicitiæ functionibus careat, & quodammodo ocietur:* temporis autem acceſſione, & conſuetudine adiuncta, fieri amicitiam, non eam, quæ vtilitatis, aut iucunditatis cauſſa conſtituitur, *ſed quæ honeſtatis. Nam ſi quis alteri bene cupiat, vt ab eo vtilitatem percipiat: non eſt in eum, ſed in ſe ipſum*

beneuo-

beneuolus. quare beneuolentia, vbi adoleuerit, in amicitiam tranſit honeſti cauſſa contractam; nec fieri poteſt, vt in amicitiam deſinat ab vtili, vel iucundo conflatam. Non igitur vtilis, vel iucundi cauſſa beneuolentia conciliatur. & qui beneficium ab altero accepit, ſi ob illius erga ſe liberalitatem ei fit beneuolus, merito id facit: ſin ſpe maioris commodi, beneuolus in eum dicendus non eſt: queadmodum nec amicus, ſi propter vtilitatem aliquam eum colat. In ſumma propter virtutem & bonitatem quandam conciliatur beneuolentia, cum præſefert aliquis aut honeſtatis, aut fortitudinis, aut huiuſmodi virtutis alicuius ſpecimen, *quibus aliorum ſe animis inſinuet:* quemadmodum & in pugilibus, aut curſoribus, & alijs huiuſmodi fieri ſolere diximus.

S C H O L I A.

1 *QVæ duo amationem conſequuntur.] deſiderium igitur non eſt amor. vide omnino noſtrum de affectionibus commentarium. cap. 3. de amore; verſus finem, vbi de orexi, & diataſi.*

2 *At pro illis non contendunt.] Iſti beneuoli, qui ad ferendum ijs, quibus bene volunt, auxilium non deſcendunt, ſunt quoque tragicis choris ſimiles: qui ſua intereſſe putant, quid fiat in fabula: laudantq. ea, quæ honeſte illic fiunt: accuſant, quæ culpæ ſunt affinia: ſed non ſe commouent ad opitulandum ijs, qui trucidantur: non impediunt turpia: ſed ſedent de alienis diiudicantes, ocioſi.*

3 *Repentino enim motu quodam animi in eos beneuoli effecti ſunt.] ſcilicet quo ad actum. facilius enim beneuolumus, quam amamus. vel ſi beneuolentiæ habitum mauis, imperfectum intellige. perfectus enim non repente acquiritur.*

4 *Nemo enim amore capitur.] Etiam per aures conciliatur amor; at non ſine miniſterio phantaſiæ rem pulchram ſibi quaſi præſentem ſtatuentis: S. Auguſtinus ait, amorem ferri vel in ea, quæ ſunt viſa: vel in ea, quæ ſunt auditu percepta: non tamen incognita.*

5 *Sic igitur nec fieri poteſt.] addidi* vere. *nam de vera amicitia, quæ tempore coaleſcit, intelligenda hæc ſunt. Neque enim vir bonus temere in amicitiam admittit, cuius indolem non antea explorarit. quod tẽpore indiget: fitq. a beneuolentia ad amorem, ab amore ad amicitiam progreſſus. At impurus amor ſubito exoritur, & quaſi Tyrannus, hominum ad ſe corda rapit, excruciatq., nulla prius parta beneuolentia.*

6 *Otioſam amicitiam.] Euſtratius legit* ἀρχὴν φιλίαν, *quaſi originalem amicitiam, ſeu amicitiæ principium. alij* ἀργὴν φιλίαν, *ideſt deſidem amicitiam.*

De Concordia. Cap. VI.

CONcordia *proprie dicta* [1] ad amicitiam pertinet; quo circa non eſt opinionum conſenſus. hoc enim in ijs eſſe poteſt, qui inter ſe ſunt ignoti: poſſunt adhuc de re aliqua vna ſentire, vt de rebus cæleſtibus: nihilominus eos concordes non dicimus: [2] cum de rebus, quæ in ſpeculatione poſitæ ſunt, eadem ſentire, non ſpectet ad amicitiam, ſed ciuitates concordes eſſe dicuntur, cum de ijs, quæ ſibi conducunt, conſentiunt, eademq. capiunt conſilia: & quæ communi conſenſu comprobata fuerint, exequuntur, & tranſigunt. Quare concordia in ijs rebus, quæ ſub actionem veniunt, occupatur, quæq. alicuius momenti ſunt, & vel vtriſque, vel omnibus contingere poſſunt. Exempli gratia, concordes ſunt ciuitates, cum ciuibus omnibus placet eligi magiſtratus: aut belli ſocietatem cum Lacedæmonibus *contra Xerſem* initi: aut Pittacum, quod ipſe quoque velit, præeſſe ciuitati: *quemadmodum Mythilenæi, longo ab exulibus bello preſſi, decreuerunt*. Cum vero plures conſentiunt, vt vnus adminiſtret: ſed ſeipſum vnuſquiſque vult præfici, vt Polinices, & Etheocles apud Euripidem in Phœniſſis, non ſunt concordes: verum ſeditiones inter ſe concitant. Non eſt enim concordes eſſe, duos aut plures vnum ſentire, quidquid illud ſit: ſed idem in eodem. Exempli gratia, cum & populus, & Principes ciuitatis conſenſerint optimos viros ciuitati præeſſe: tunc concordes dicuntur: ſic enim omnes id, quod expetunt, conſequuntur. *At Iocaſtæ filij tales dici non poterant; quia etſi vnum imperare oportere ambo aſſeuerarent: nihilominus ſibi potius, quam alteri tradendũ imperium vterque contendebat*. Non *eſt hoc eſſe concordes, niſi forte ſophiſmati aſſentiaris illius, qui vxorem in omnibus ſecum ſentire dicebat; quod quæcumque ille vxori, ipſa viciſſim marito imperabat*. Cõcordia igitur, quemadmodum & vulgò dicitur, ciuilis amicitia eſt. [1] verſatur enim in ijs, quæ reipub. conducunt, & ad vitæ vſum pertinent. Ineſt autem talis concordia in viris bonis. Hi enim & ſecum ipſi concordant, & inter ſe: cum in iiſdem, pænè dicam conſilijs, & factis verſentur, & perſeuerent. Talium enim virorum eædem manent voluntates: [3] neque inſtar Euripi fluunt, & refluunt, fluctuantq. perpetuò. Iidem viri boni tum ea quæ iuſta ſunt, tum quæ vtilia, volũt, horumq. ſunt incenſi deſiderio. *ſunt igitur ſtabiles, vt & ipſa iuſta*. Mali autem concordes eſſe non poſſunt, niſi paruo ſpatio temporis: quemadmodum nec facile amici eſſe poſſunt: cum in rebus vtilibus ſuperiores eſſe velint: in laboribus vero, muneribuſq. publicis,

quæ

quæ damnum afferunt, obeundis, ac ſuſtinendis, vinci ſe facile patiantur. At vbi ſibi ipſi quiſque hæc concupiſcit, in eius, qui ſibi proximus eſt, vitam, & fortunas inquirit, *& examinat, ſit ne illis bonis dignus*: & *num onera illa tolerare debeat*: eundemq. arcet, & prohibet. Accidit ergo eis, vt diſcordijs, & ſeditionibus inter ſe confliĉtentur, dum alter alterum ad onera ferenda cogit; ipſe autẽ quæ iuſta ſunt, pro virili parte perferre, aut facere non vult. quare interit res communis, dum nemo eam tuetur, neque conſeruat.

S C H O L I A.

1 *AD amicitiam pertinet.] interdum vti eius cauſſa: interdum vti effectus. ſemper vero vti comes illi eſt adiuncta. Eſt enim concordia conſenſus in eo, quod à pluribus vna gerendum eſt.*

2 *Cum de rebus, quæ in ſpeculatione.] inde fit, vt in ſpeculatiuis amici contraria interdum ſentiant: inimici eadem. ratio eſt, quoniam amicitia, & concordia ſunt ex electione, & in poteſtate noſtra: opinio verò, & iudicium ſpeculatiuum neq. ex electione eſt, neque a noſtra poteſtate. Qui vero in functionibus humanis contrarij inuicem ſunt, non poſſunt eſſe perfecte amici.*

3 *Verſatur enim in ijs, quæ reipub. conducunt.] Concordia neceſſario requirit communem materiam. Ii enim poſſunt eſſe concordes & diſcordes, qui aliquid commune habent, quod ſimul adminiſtrent. & hæc, meo iudicio, eſt ratio concordiæ.*

De Beneficentia. *Cap. VII.*

BEnefici eos, de quibus benemeriti ſunt, vehementius amare videntur, quam ipſi amentur ab ijs, qui beneficium acceperunt. Cuius facti, quaſi præter rationem, & communem omnium opinionem contingat, cauſſa quæritur. Eò igitur fieri pleriſq. videtur, quod illi debent, his debetur: & quemadmodum in pecunia mutuo data, debitores creditoribus ſuis interitum optant: at ij, qui mutuum dederunt, debitorum ſalutis curam habent: ſic & ij, qui de aliquibus benemeriti ſunt, eorũ, qui beneficium acceperunt, incolumitatem velint, tanquam benefitij gratiam accepturi: alij autem de gratia referenda non magnopere laborent. Atque eos fortaſſe, qui ita loquuntur, hominum ſpectaſſe improbitatem, diceret Epicharmus. *Ita enim problemata eiuſmodi multa diſſoluebat, hac vſus diſtinctione: vera quidam eſſe in hominibus improbis, qui ſunt male animati, non in omnibus.* Ceterum ab humano ingenio hæc, quæ poſuimus, non abhorrent. nam magna pars hominum beneficij eſt immemor: mauultq. accipere beneficium, quam dare. *non igitur*

male illi philoſophati videntur, cum vt plurimum, quod in problemate ponitur, contingat. Verum huius rei cauſſa à natura potius petenda eſt. neque enim vlla ex parte eorum, qui pecuniam mutuam dederunt, rationi ſimilis eſt. Non enim hi ſuos amant debitores: ſed ſaluos eſſe volunt, vt ſuum recuperent. quare ſe ipſos amant potius. at qui beneficium contulerunt, amant eos, quos beneficio affecerunt: etiam ſi nulla in re nunc ſibi ſint vtiles, neque ſint poſtea futuri. quod & in artificibus vſu venit. Amat enim ſuum quiſq. opus vehementius, quam ab opere ſuo amaretur, ſi illud ex inanimi fieret animatum: *vt Pygmalioni a ſtatua, quam ipſe confecerat, contigiſſe, loquuntur fabulæ.* Hoc vero forte in poetis accidit maxime. hi enim ſua poemata ſupra modum amant, tanquam paterno erga liberos induti affectu. Huic genitoris in genitum, opificis in opus affectui non admodum diſsimilis eſt beneficiorum conferendorum ratio. Id enim, quod beneficio affectum eſt, eorum, qui affecerunt, opus eſt. quare illis carius eſt, quam operi ſit is, qui opus fecit. Nam eſſe omnibus optabile, & amabile eſt. Sumus autem beneficio actionis. viuendo enim, & aliquid agẽdo, ſumus. qui igitur opus efficit, ob effectionem quodammodo eſt: *immo ab ea eſſe illud habet, quod eſt expetendum; ſcilicet non otioſum.* Ergo ſuum cuique opus carum eſt, quia & eſſe ei carum eſt. Eſt autem hic naturalis amor. Nam quod poteſtate eſt, functione muneris per opus actu eſſe declaratur. *Artificem enim opus indicat; quo ſublato, nullum remanet argumentum, quo artificem eſſe oſtendatur.* Alia quoque ratio benefici hominis in eum, quem beneficio affecit, amoris adduci poteſt. Nam ei pulchrum, & honeſtum eſt id, quod ab eius functione prodijt: omnisq. illi dignitas in facto manet: ita vt illum eo, in quo hoc extat, & apparet, delectari neceſſe ſit: *beneficium vero, & facti dignitas in eo elucet, qui accepit. eo igitur oblectatur beneficus: ac propterea illum incolumem eſſe vult, quaſi beneficentiæ ſuæ teſtem.* Ei autem, qui beneficium accepit, nihil, quod ad ſe pertineat, honeſti, vel dignitatis in eo, qui benemeritus eſt, ocurrit: ſed ſi quid eſt, emolumentum eſt. hoc vero minus iucundum, minuſq. amabile eſt: *vt ſupra lib. 4 de viro magnanimo diximus, cui cogitatio accepti beneficij, donec gratiam referat, grauis eſt, & moleſta. nullum enim in eo ſuum factum intuetur pulchrum: benefici vero pulcherrimum.* Præterea cum voluptas ex præteritis per memoriam capiatur, ex futuris per ſpem, ex præſentibus per vſum: certe hæc poſtrema, quæ vſu percipitur, multo eſt ſuauior. *futurũ enim delectat, quia erit aliquando præſens: præteritum quia fuit olim præſens:* at qui beneficium confert, totum illud, quod præſens eſt, ſibi vẽdicat: honeſtum ſcilicet, quod natura ſua perſeuerat, ac perpetuo eſt præ-

ſens, qui accipit, futurum, vel præteritum ſibi ſumit: puta vtile, quod cito defluit, *& ſpe, vel memoria diutius, quam vſu percipitur. maior igitur eſt in beneficio conferendo voluptas, quam in accipiendo.* Adhuc etiam rerum honeſtarum memoria iucunda eſt: vtilium autem non admodum, aut certe minus. *quare ipſius quoque beneficij accepti memoria non erit illi, qui accepit, adeo iucunda, vt honeſti memoria illi eſt, qui contulit: & in ea quoque delectatione, quæ a rebus præteritis accipitur, hic illi ſuperior erit: ne dum in ea, quæ à præſentibus capitur.* In ſpe autem, ſeu expectatione contra ſe res habere videtur. *dulcior enim eſt rerum vtilium exſpectatio, quam vſus, vel memoria. Cum enim quæ vtilitatis gratia expetuntur, ſint plerumq; inania: habita vileſcunt: multoq. magis vbi euanuerint. in ſpe poſita fucum faciunt, quia non cognoſcuntur. At res honeſtæ, vbi perceptæ fuerint, delectant magis: quia cum firmæ ſint, & ſolidæ, quo magis cognoſcantur, magis amantur.* Amare etiam effectioni ſimile eſt: amari autem perpeſsioni. *ſed qui agit, melioris eſt conditionis eo, qui patitur:* igitur qui beneficium confert, magis amat, magisq; delectatur, & cetera, quæ ſunt amicitiæ propria, cumulatius conſequitur. Præterea omnes ea, quæ magno labore conſequuti ſunt, magis amplectuntur, & diligunt: vt qui pecunias compararunt ipſi: non ab alijs acceperunt. *laborando enim creſcit amor operis.* At accipere beneficium ſine vllo labore contingit: conferre autem non niſi magna cum difficultate. Idcirco matres liberorum ſunt patribus amantiores. [2] Nam & laborant magis in partu, certiuſque ſciunt ſuos illos eſſe. Quod etiam ad beneficos accommodari poſſe videatur. Ex quibus apparet, cur benefici magis diligant eos, quibus beneficium obtulerunt, quam viciſſim ab illis redamentur.

S C H O L I A.

1 *Cui cogitatio accepti beneficij.*] *Grauis porro ſarcina eſt, cogitare ſe eſſe beneficij debitorem; quæ illo, à quo accepimus, vita functo deponi videtur. Præclare Tacitus ait, facilius eſſe iniuria, quam beneficio vicem exoluere: Nam gratia oneri, vltio in quæſtu habetur.*

2 *Nam, & laborant magis in partu.*] *Idem Euripides in Phœniſſis actu 2.* δεινὸν γυναιξὶν αἱ δι' ὠδίνων γοναί, καὶ φιλότεκνον. *hoc eſt, Graue mulieribus per dolores parere, atque amoris erga filios efficiens.*

De Amore ſui. *Cap. VIII.*

DVbitatio occurrit, vtrum ſe ipſum maxime amare oporteat. Solent enim obiurgari, qui ſui ſunt amantiſsimi: & maledicti loco φιλαυτία obijcitur, quaſi cum turpitudine, ac dedecore coniuncta.

vnde & φίλαυτοι, hoc eſt ſui amantes, male audiunt. quia omnia ſua cauſſa agere, hominis improbi videtur; eoq. magis, quo eſt vitioſior. Itaque eum criminantur, quod ad ſe omnia trahat, nihilque agat a ſuis rationibus, & commodis alienum. Vir autem bonus omnia ob honeſtum agit: & quo melior eſt, eo magis propter honeſtum, & amici cauſſa agit: ſuum vero commodum negligit, & prætermittit. *Ita quidem loquuntur non pauci, voluntque videri ſic animati*. Verum ab hac oratione facta diſcrepant: nec immerito, *cum amicitiæ ratio aliud ſuadeat*. Aiunt enim eum maxime amandum eſſe, qui maxime ſit amicus. at is maxime amicus eſt, qui quem vult bonis ornatum eſſe, eum vult illius ipſius cauſſa ornatum eſſe; quamuis nemo ſciturus ſit, *nec ad vllius aures benignus iſte animus, vnde laus emergat, vel commodum, ſit peruenturus*. Hæc autem in vnoquoque erga ſe ipſum inſunt maxime: ceteraq. omnia, quibus amicus definitur. Supra enim diximus, amorem ſui eſſe amoris erga alios regulam: & omnia, quæ amicitiæ propria ſunt, a nobis ad alios permanare. conſentiuntq. omnia vulgo vſurpata prouerbia: quale illud eſt *Electra apud Euripidem de Oreſte fratre*, Vnus animus: & Amicorum omnia communia, & Aequalitas amicitia: & aliud, [1] Genu ſura propius, *ab eo prolatum, qui relicta conſobrini defenſione, fratrem ſeruauit, cum vtrumque non poſſet*. Hæc enim omnia in vno quoque erga ſe ipſum inſunt maxime. Sibi enim quiſque maxime amicus eſt, ac propterea maxime diligendus. Hæc igitur in vtramque partem afferuntur, ac merito dubitatur, harum orationum vtram ſequi oporteat: cum vtraq. ſit veriſimilis. Sed forte, diſtinctione adhibita, ex parte vera vtraque apparebit; eritq. res fortaſſe plana, & aperta, ſi quid vtrique ſui ipſius amorem appellent, & ſui amatorem quomodo accipiant, teneamus. Qui igitur amorem ſui, vt probrum, obijciunt, ſui amantes appellant eos, qui in pecunia, in honoribus, in voluptatibus denique corporis, quæ non ſunt honeſta bona, ſibi ipſis plus vendicant. Hæc enim mortalium non pauci concupiſcunt, & in eis, vt omnium rerum optimis, omne ſtudium collocant: atque idcirco de ijs inter ſe dimicare ſolent. Qui igitur in his eſſe ſuperiores volunt, ſuis cupiditatibus, &, (vt ſemel dicam) affectibus, eiq. animi parti, quæ rationis expers eſt, obſequuntur. Talis autem eſt multitudo. vnde ab ea, vt a maiori parte, quæ mala vitioſaq. eſt, appellatio fluxit φιλαύτων. Merito igitur ijs, qui hoc modo ſui ſunt amantes, amor hic maledicti loco obijcitur. Eos autem, qui ſibi talia tribuunt, vulgo ſolere φιλαύτους, ideſt, ſui amantes appellari, minime obſcurum eſt. Si quis enim omnium maxime ea, quæ iuſta ſunt, aut temperata, aut qualiacumque alia virtutibus conſentanea agere ſtu-

deat: & omnino ſemper honeſtum ſibi vendicet: [2] *etſi modum in eo quodammodo ſuperet,* nemo hunc neque ſui amantem dicet, neque vituperabit. Atqui vir huiuſmodi amans ſui potius videatur, *quam qui de bonis vtilibus plus æquo ſibi ſumit.* meliora enim eligit: ſibiq. res pulcherrimas, atque optimas tribuit: eiq. parti, quæ in ſe ipſo principatum obtinet, gratificatur, & omnibus in rebus obtemperat. Quemadmodum autem pars præcipua, & optima ciuitatis, ciuitas eſſe videtur*: vt in optimatum ſtatu Senatus:* itemq. de quouis alio conuentu ſentiendum: ſic & hominis pars ea, quæ dominari debet, *mens videlicet, vel ratio,* homo eſt. Qui igitur hanc amat, eique gratificatur, ſui eſt amantiſsimus. Itaque continens, & incótinens eo dicuntur, quod mens in illo dominetur: in hoc inferior ſit, & imbecillior: quaſi ſua quiſque mens ſit. Videntur etiam ea ipſi egiſſe, & maxime ſua ſponte egiſſe, quæ cum ratione egerunt. *quaſi idem ſit a mente & ab homine proficiſci.* [3] Vnumquemque igitur mentem ſuam eſſe maxime, atque hanc optimo cuique eſſe cariſſimam, perſpicuum eſt. Itaque ſui amator vir probus fuerit, alio amoris genere ab eo, qui vitio datur: tantumque ab eodem diſtante, quantum rationi conuenienter viuere a vita per animi ſeruitutem, atque perturbationes traducta diſtat: quantumque honeſti appetito ab eius, quod ſpeciem vtilitatis habet, appetitione longe eſt poſita. Ii igitur, qui præclaris, & honeſtis actionibus egregie præter ceteros ſtudent, omnibus probati ſunt, ab omnibus collaudantur. Quod ſi omnes certatim ad honeſtum contenderent, cum communiter omnibus ea, quæ ratio poſtulat, contingerent: tum priuatim ſingulis maxima ſuppeterent: ſiquidem virtus talis eſt, taliaq. largiri poſsit. Itaque virum bonum ſui amantem eſſe oportet: (namque & ipſe ex honeſtis actionibus vtilitatem percipiet, & alijs proderit *opera, & exemplo:)* improbum autem & vitioſum hominē minime. Nam & ſibi, & proximo cuique nocebit, cum *deteriora eligat*, & vitioſis animi perturbationibus obtemperet. Improbi itaque hominis actiones diſcrepant ab iis, quæ ſunt agenda: vir bonus autem, quæ ſunt agenda, ea & agit. Etenim mens omnis, quod ſibi eſt optimum, ſumit. at vir bonus imperio mentis paret, nec appetitiones cupiditatesue ſequitur. Quod vero dicitur, Virum bonum multa & amicorum, & patriæ cauſſa agere, [4] etiam ſi mors ei ſit oppetenda, verum eſt, *nec nuper dictis repugnat*. Nam & pecuniæ, & honorum, & omnino eorum bonorum, de quibus homines inter ſe contendunt, iacturam libenti animo faciet, vt ſibi ipſi honeſti poſſeſſionem comparet, ac vendicet. Malit enim breui tempore magna voluptate potiri, quam diù parua: & annum vnum honeſte viuere, quam multos temere, vtque caſus fert. vnam denique actionem

magnam,

magnam, honeſtam, præclaram multis, & paruis anteponat. Hoc vero iis, qui vel pro amicis, vel pro patria excedunt è vita 5 fortaſſe contingit. Magnam igitur ſibi honeſtatem ſumunt, atque eligũt: pecuniaſq. libenter profuderint, vt amici ampliores conſequantur. amico enim pecunia, ipſis honeſtum quæritur. maius ergo bonum ſibi ipſi parant. Idem de honoribus, imperijs, magiſtratibus ſentiendum. Hæc enim omnia amico concedent. honeſtum enim, & laudabile ipſis eſt hoc facere. Iure igitur talis vir bonus, & virtute præditus habetur, cum rebus omnibus honeſtum anteponat. Vſu autem venire poteſt, 6 vt res agendas amico permittat, ſitq. ei honeſtius, amico rerum agendarum auctorem, cauſſamq. fuiſſe, quam ipſum agere. In omnibus igitur rebus laude dignis apparet, virum virtute præſtantem ſibi plus honeſti tribuere. Itaque hoc modo ſe ipſum amare oportet: ſed, vt vulgus amat, non oportet.

S C H O L I A.

1 *Genu ſura propius.*] *Theocritus in Charite tribuit hoc dictum viro tenaci, qui ſibi viuat, nec quicquam velit amicis impartiri. quod & in ſe ipſum amoris vim oſtendit.*

2 *Etſi modum in eo quodammodo ſuperet.*] *quod quantum poteſt, ex honeſti campo ſibi ſumat. hoc autem non eſt vere modum ſuperare, ſed tenere. vnde additum*, quodammodo. *Porro virtutis campus latiſſimus eſt: nec periculum ſubeſt, ne qui multum inde ſibi ſumit, parum alijs relinquat: quemadmodum in ijs, quæ fortunæ dicuntur, bonis contingit.*

3 *Vnumquemque igitur mentem ſuam eſſe maximè.*] *mens non eſt totus homo, ſed præcipua eius pars, & quæ principatum tenet, eundemq. a ceteris animantibus diſtinguit.* νοῦς *autem &* λόγος *hic ab Ariſtotele confunduntur.*

4 *Etiam ſi mors ei ſit oppetenda.*] *Laudatur Baſilius a Gregorio Nazianzeno, quod pro amico mortis aliquando diſcrimini ſe obiecerit. Dinyſio minitante, fore, vt aliquis Platoni caput auferret, Xenocrates in medium progreſſus, ait;* Non prius quam hoc. *Volumnius, occiſo M. Lucullo, triumuirum Antonium orauit, vt ſe quoque amico adiungeret: addens, infelicis militiæ ſe illi fuiſſe auctorem. quæ etſi inconſulte prolata videri poſſint, at certe impetum amoris in amicum, amicitiæq. vim, quanta ſit, declarant.*

5 *Fortaſſe contingit.*] *additum* fortaſſe. *nam ſi quis temere pro patria, vel amico iniqua molientibus vitam proijciat, non conſequetur vllam virtutis, vel honeſtatis laudem. hæc enim ob honeſti amorem tantum agenda ſunt.*

6 *Vt res agendas amico permittat.*] *Frequenter hoc inter amicos videre eſt, vt alter alteri in Reipub. adminiſtratione concedat: & vt*

alterius

alterius potentia creſcat, alter abſtineat magiſtratu.

An ipſe ſibi magis, quam Deus, ſit diligendus, quæſitum eſt a multis. Et Pythagoras quidem omnium maxime Deum cuique amandũ cenſuit: poſt ſe ipſum. Mihi vero non videtur eſſe dubitationi locus, cum qui Deum diligit, ſe ipſum ſimul diligat. felicitas enim hominis in Dei dilectione poſita eſt.

Sed ſi cui fiat optio, vt vel ſibi, vel patriæ felicitatem eligat, quid porrò ſumet? Certe, vt ipſe ſit felix. hæc enim cupiditas naturalis eſt, & neceſſaria. Quare, quod communiter fertur, commune bonum eſſe priuato anteponendum, in ijs tantum locum habet, quæ ſunt ab electione. Mortem vero pro patriæ ſalute non temere ſuſceptam vir bonus felicitatis loco ducit.

An beatus egeat amicis. Cap. IX.

HAc etiam de re diſceptatur, vtrum aliquando futurum ſit, vt beatus egeat amicis. Negant enim ijs, qui beati ſunt, boniſq. omnibus cumulati, amicis opus eſſe: cum eis omnium bonorum copia ſuppetat. Cum igitur ſuis ſint opibus contenti, nihil amplius deſiderant. Amicus autem, cum ſit alter ipſe, amico ſuppeditat, quæ ille per ſe conſequi non poteſt. at beatus omnibus bonis abundat. ſuperflui ergo illi ſunt amici. Vnde *Euripideum illud in Oreſte manauit,*

Fortuna cum fauet, quid amicis eſt opus?

Sed nihil oratione iſta proferri poteſt abſurdius: omnia, inquam bona beato tribuere: amicos non dare, quod omniũ bonorum externorum videtur eſſe maximum. Quod ſi amici eſt benemereri de altero potius, quam beneficium accipere: & ſi viri boni, ac virtutis proprium eſt, beneficium in alterum conferre: pulchrius autem eſt de amicis, quam de alienis benemereri: deſiderabit vir bonus aliquos, qui beneficium a ſe ſint accepturi: *eaq. ratione opus habet amicis.* Itaque etiam alia huic difficultas nectitur: Vtrum in rebus aduerſis magis, quam in ſecundis amici requirantur: quaſi & ei, cui res aduerſæ contingunt, aliquibus opus ſit, qui ei benigne faciant: & ij, quorum res ſunt ſecundæ, nonnullos, in quos beneficium conferant, deſiderent. Abſurdum vero illud quoque fortaſſe ſit, ſolitarium facere beatum. Nemo enim hac condicione bonis omnibus abundare velit, vt ſolus ætatem agat: cum homo ciuile animal ſit, & ad vitæ ſocietatem aptum natura. Hoc igitur viro beato ineſt, cum naturæ bonis non careat. Perſpicuum quoque illud eſt, melius eſſe cum amicis, & viris bonis, quam cum alienis, & forte fortuna

oblatis

oblatis hominibus totos dies conſumere, amicis igitur viro beató eſt opus. Illorum vero oratio, qui contrarium ſentire videntur, nũ aliqua parte vera eſſe poteſt? & quidem poteſt. Vulgus enim eos amicos exiſtimat, qui vtilitatem afferunt. Eiuſmodi vero amicis nihil eget beatus: quandoquidem omnibus affluit bonis: immo nec eos, qui ad voluptatem tantum ſunt, deſiderat: aut parum admodum. Nam cum eius vita ſit ex ſe ſuauis, & iucunda: voluptatem aduentitiam non requirit. Quod ſi obijciat quis, beatum, ſi amicis iucundis non eget, omnino amicis non egere: *cum hi ad leuandas vitæ moleſtias præcipue facti ſint*: dicam, amicos ad alia quædam, præter quam ad vitæ iucunditatem quæri. Nam beatitudo eſt muneris quædam functio. hæc oritur, & gignitur: non vt poſſeſsio aliqua ſubeſt, permanetq. Si autem beatum eſſe in viuendo, & munere aliquo obeundo poſitum eſt: probi autem viri functio per ſe bona, & iucunda eſt: id autem, quod cuique eſt proprium, eſt illi ipſi iucundum: aliorum vero actiones melius quam noſtras, & proximos melius quam nos ipſos diſpicere valemus: & ſi amicorum, qui probi ſunt, actiones ſunt probis hominibus iucundæ; (habent enim ambo, quæ ſunt natura iucunda) ſi inquam hæc vera ſunt: talibus amicis egebit beatus, probis inquam: ſi bonas, & honeſtas actiones, ſibiq. accommodatas cernere, propoſitum habet. Tales enim ſunt viri boni, qui idem amicus ſit, actiones: *bonæ ſcilicet, boneſtæ, & alterum amicum decentes: ac vir beatus verius & exploratius de functionibus boneſtis in amico iudicat, quam in ſeipſo: quod decipiamur facile, cum de rebus noſtris iudicium ferimus: in amici vero functionibus boneſtum intueri tutum ſit, quia in alio; & iucundum, quia in amico:* Deinde, exiſtimant beatum iucunde viuere oportere, at homini ſolitariam vitam agenti moleſta, & acerba vita eſt, nam ſi ſolus viuat, non facile munere aſsiduo fungatur: cum alijs vero, & erga alios, facilius. iucunditas enim, quæ ab alijs percipitur, functionem reddit magis aſsiduam, minuſq. interruptam. talis igitur erit, quæ per ſe iucunda eſt: quod penes beatum eſſe opportet. Nam vir bonus, virtuteq. præditus actionibus virtuti conſentaneis delectatur: offenditurq. contrarijs: quemadmodum muſicus ex modulatis cantibus voluptatem percipit; malos autem, & diſcordes moleſte fert. Adhuc ex conſuetudine, & conuictu virorum bonorum exercitatio quædam virtutis exiſtere poſſit: quemadmodum ait & Theognis. Ex quibus concluditur adhuc beato eſſe opus amicis. Sed & alia quædam huius veritatis ratio a natura peti poteſt. Videtur enim vir bonus viro bono in amicum optabilis natura. Diximus enim quod natura bonum eſt, id viro bono per ſe bonum, & iucundũ eſſe. Viuere autem in animantibus poteſtate ſentiendi con-

ſtare definiunt: in hominibus vero vi ſentiendi, & intelligendi. At poteſtas ad muneris functionem deducitur, in qua rei ſumma conſiſtit. Quare viuere proprie eſſe videtur ſentire, aut intelligere. Viuere autem vnum eſt eorum, quæ per ſe bona ſunt, & iucunda. Eſt enim aliquid terminatum, & finitum: quicquid autem terminatum eſt, ad naturam ipſius boni pertinet, *vt & Pythagoras dixit*. Quocirca videtur omnibus eſſe iucundum. Sumenda vero, & conſideranda non eſt vita vitioſa, & corrupta, nec doloribus confecta. nam talis vita nullis terminis circumſcripta eſt: quemadmodum nec ea, quæ inſunt in illa; *cum varijs libidinibus, ac fere innumeris improborum animi diſtrahantur*. quod vero ad dolorem ſpectat, quantaq. ſit vis illius, deinceps dicturi ſumus. Viuere igitur bonum eſt, & iucundum; vnde omnes homines, ac præſertim viri boni, & beati vitæ deſiderio tenentur, quod vita illis maxime ſit expetenda, eorumq. tota vitæ ratio beatiſſima videatur. Qui autem videt, ſentit ſe videre: qui audit, audire: qui ambulat, ambulare: ac in omnibus alijs aliquid eſt, quod ſentit, nos munere fungi, & agere. Poſſumus igitur ſentire, nos ſentire: & intelligere, nos intelligere. At ſentire, a nobis aliquid ſentiri: & intelligere, a nobis aliquid intelligi, ſentire eſt, & intelligere nos eſſe: nam eſſe eſt ſentire, vel intelligere. Sentire autem ſe viuere, in rebus iucundis numeratur: vita enim bonum eſt natura: ſentire autem in ſe ipſo bonum ineſſe, iucundum eſt natura. At cum viuere ſit omnibus optabile, tum bonis maxime; quia eſſe illis bonum eſt, & iucundum. Cum enim id, quod bonum eſt, ſenſu percipiunt, voluptate afficiuntur. *Gaudet igitur vir bonus, quod ſit, & viuat*. Quomodo autem in ſe ipſum animatus eſt, ſic & in amicum. Amicus enim alter ipſe. Quemadmodum igitur vnicuiq. ſe eſſe optabile, & expetendum eſt: ſic & amicum eſſe optabile erit: vel non multo ſecus. Eſſe autem cuique optabile eſſe dicebamus, quia id ſentiat, quod eſt bonum: huiuſmodi autem ſenſus magna per ſe afficit voluptate. Vnà igitur ſentiat oportet, amicum eſſe: quod in vitæ ſocietate, & ſermonum, atque cogitationum communicatione percipitur: hæc enim conſuetudo, hicq. conuictus in hominibus requiritur; non vt in pecudibus paſcuorum communitas. *nam ea non eſſet homini ſatis, qui alium conuictum deſiderat, & præſertim ſermonis communicationem.* Si igitur eſſe viro beato optabile per ſe eſt, cum ſit natura bonum, & iucundum: & idipſum amico exoptari debet; conſequens eſt, vt etiam amicus in rebus optabilibus ſit habendus. At quod cuique optabile eſt, hoc ei ſuppetere oportet, *ſi velit eſſe beatus*. alioqui hac parte pænuria laborabit, *quod beatitudinem corrumpit*. Ei igitur, qui beatus futurus eſt, opus erit amicis virtute præditis. *Hæc prolixa*

nimis

nimis, & confuſa ratio ſic breuiter aſtringi, & perſpicue proponi queat Eſſe eſt per ſe bonum, iucundum, optabile: ergo magis eſſe magis erit optabile. at amicus, cum ſit alter ipſe, auget eſſe amici, ob quandam ipſius eſſe geminationem: ergo amicus erit beato optabilis. at nihil optabile deſideratur in vita beata: igitur ad beatitudinis integritatem quoque pertinent amici probi ſcilicet, non ad voluptatem, vel vtilitatē, quales vulgus amat, comparati: idq., vt virtutis functionibus vnacum illis vir beatus incumbat. Hæc de beatitudine in rebus agendis poſita dicta ſunt. nam quæ in contemplatione conſiſtit, minus quam hæc amicis eget: ſed ea egent amici. quare qui in illam incumbit, non ſe immiſcet amicorum rebus: at ſi ab ijs interpelletur, vti pro conditione ſtatus poterit, ſe erga illos geret.

An multi ſint ad amicitiam admittendi.

Cap. X.

SEd vtrum quamplurimi nobis aſciſcendi ſunt amici? an quemadmodum in hoſpitalitate laudatur Heſiodi illud, Multorum non dicaris, neq. nullius hoſpes, ſic & in amicitia conuenienter dicetur. Neque vacuum ab amicis eſſe, neque ingenti multitudine amicorum abundare oportere? Iis igitur, qui amicitiam ad vtilitatem traducunt, amicorum paucitas admodum conuenire videatur: Multis enim viciſsim operam dare laborioſum eſt: neque huic rei agendæ facultates, aut vita nobis ſint ſatis. Plures igitur amici, quam qui ad ſuam cuiuſq. rem familiarem ſatis ſint, ſuperuacanei ſunt, honeſteq. viuendi rationem impediunt. Itaque nihil eſt eis opus. Et qui ad voluptatem comparantur amici, pauci ſatis ſunt: quemadmodum in cibis condimentum. Sed in amicitia ob honeſtum contracta quid porro dicendum? Num viros bonos quamplurimos in amicitiam recipere oportet? an vt ciuitatis aliquis eſt modus, *ne ciues nimis multi ſint, aut nimis pauci, & communionem impediant vel diſſoluant*; ſic multitudinis amicorum erit? Nam neque ex decē hominibus conſtare poſſit ciuitas: [1] neque ex centum hominum millibus iam ciuitas conſiſtit. Certus autem ciuium numerus non eſt vnus, & definitus: ſed quiſquis inter duos aliquos definitos numeros, *quorum vnus nimius eſt, alter plus æquo paruus*, interiectus eſt: is numerus ciuium certus eſt. Quod & in amicis verum eſt. Plurimos vero amicos aſciſcendos eſſe cum dicitur, fortaſſe ita plurimi intelligendi ſunt, vt cum omnibus illis conuictu, vitæq. conſuetudine quis coniungi poſſit. Hoc enim amicitiæ maxime proprium videbatur, *quo ſublato, ea tollitur*. Obſcurum vero non eſt, fieri non

poſſe, vt quis cum multis viuat: eiſque omnibus ſe dedat. *non igitur ſimpliciter plurimi ſunt habendi amici.* Præterea eoſdem, qui nobis amici ſunt, inter ſe quoque amicos eſſe oportet, ſi vſu conſuetudineque vitæ ſunt omnes inter ſe iungendi. At hoc in multis difficile eſt, *quorum vnus forte non erit in alium, vt in te, animatus.* Illud quoque magni negotij eſt, communi cum multis lætitia, dolorēq. affici ad cuiuſque affectum accommodatè. Probabile eſt enim vno tempore accidere poſſe, vt cum altero lætandum ſit, cum altero dolendum. Forte igitur commodius, atque tutius erit, cũ quamplurimis amicis vſu coniungi nolle: ſed tot quærere, quot ſunt ad vitæ ſocietatem ſatis. Neque enim natura pati poſſe videtur, vt quis multis valde ſit amicus: Quare ne plurium quidem amore captus eſſe quiſquam poteſt. Amor enim quoddam amicitiæ nimium eſſe videtur. hoc autem erga vnum tantum eſſe poteſt: vehementer igitur amare inter paucos locum habet. Atque id, quod dicimus, re factiſq. comprobatur. In ſodalitiam enim amicitiam non multi admittuntur: & quæ omnium ſermone, famaq. celebrantur, inter duos fuiſſe dicuntur: *vt inter Damonem, Pithiam: Pyladem, Oreſtem: Theſeum, Pirithoum: Charitonem, Menalippum: ceteraq. inſignia amicorum paria.* Qui vero amicorum multitudine delectantur, & cum omnibus familiariter, comiterq. verſantur, & loquuntur: nemini [2] eſſe videntur amici, niſi communi loquendi more: ſed eos potius blandos, & placendi cupidos appellant. Vt igitur mos eſt in ciuitatibus loquendi, fieri poteſt, vt quis ſit multis amicus: atque adeo etiam ſi non ſit blandus, ſed vir bonus, & modeſtus. *vulgaris enim amicitia non admodum multa requirit, nec conuictu opus habet: leuibus tantum officijs quibuſdam contenta.* Virtutis autem nomine vt quis multos amet, & propter ipſos, fieri non poteſt. Præclare enim nobiſcum agatur, ſi vel paucos eiuſmodi homines reperire, *ac de illis periculum facere,* poſſimus.

S C H O L I A.

1 N*Eque ex centum hominum millibus iam ciuitas conſiſtit.*] *Antiquitus enim, & ipſo Ariſtotelis æuo paruæ admodum vrbes in Græcia erant. Quare Creta modica inſula centum vrbibus illuſtris fuit. Sed & centum millia ciuium in eiuſdem Reipub. adminiſtrationem conuenire, quod proprie eſt ciuem eſſe, hodie quoque ſit factu difficile. Nam ſerui, & inquilini, & qui non ſunt participes magiſtratuum, & concionis, Ariſtoteli non ſunt ciues.*

2 *Nemini eſſe videntur amici.*] *Idem l. 2. ad Eudemum. fuitq. Ariſtotelis dictum a Laertio relatum: Cui multi amici, nullus amicus.*

An in rebus ſecundis magis, quam in aduerſis, amicis opus ſit. Cap. XI.

POrro in vtroque rerum ſtatu requiruntur. Nam & ij, qui premuntur aduerſis, alterius egent auxilio: & qui ſecundis vtuntur, conuictores, atque aliquos, de quibus benemereantur, deſiderant. Volunt enim de aliquibus benemereri. Ceterum in aduerſis magis neceſſaria eſt amicorum poſſeſsio: in ſecundis pulchrior, & honeſtior. quare illic vtilibus amicis opus eſt: hic viris bonis, *qui non niſi ad ornamentum quæruntur*. His enim benigne facere, & cum his ætatem agere, optabilius eſt. *Neceſsitas vero ad egeſtatem pertinet: ornamentum, & puchritudo ad honeſtatem.* Eſt etiam ipſa amicorum præſentia tum in ſecunda, tum in aduerſa fortuna ſuauis, & iucunda. Leuantur enim dolore, qui mœrent, cum vna ſecum amicos dolere vident. Vnde poſsit aliquis dubitare, num veluti oneris partem amici a nobis auferant, ipſiq. ſuccollent: an potius illorum præſentia, quæ iucunda eſt, & cogitatio, quòd illi ſecum dolent, dolorem efficiat leuiorem. Sed huius facti cauſſas quærere omittamus, ſeu harum, quas diximus vna ſit aliqua, ſeu ambæ, [1] ſeu aliæ: ſed tamen, quod diximus, vſu venire non eſt obſcurum. Calamitatis autem amicorum præſentia mixta videtur eſſe, non ſimplex. Amicorum enim conſpectus, præſertim calamitoſo, iucundus eſt, magnoq. ad ſedandum, & tollendum dolorem adiumento. Ineſt enim in amico vis quædam conſolandi, tum aſpectu, tum ſermone: ſi dexteritate polleat, ſeq. alijs accommodare ſciat. Nã cum eius, cuius amicus eſt, mores perſpectos habeat, & quibus ille rebus delectetur, & offendatur, teneat: commodam inire poterit conſolationis viam. Hac igitur ex parte amici conſpectus calamitoſo iucundus fuerit. At contra moleſtiam idem affert reputanti, amicum ex ſuis caſibus aduerſis dolorem capere. Metuit enim quiſque, ne doloris cauſſam præbeat amicis. Itaque viri fortes, animoq. natura maſculo cauent, ne ſecum vna doleant amici; & ſua incommoda tegunt potius. Ac niſi quis animo ſit, pæne dicam, ferreo, & ab omni dolore plane vacuo, amicos ſui gratia dolere, non feret æquo animo. Denique nec lamentorum ſocios admittit, quia ne ipſe quidem ad lamentandum propenſo eſt animo. Mulierculæ vero, [2] ac viri muliebri animo præditi, hominibus ſecum vna gementibus delectantur; eosq. vt amicos, & ſui doloris participes diligunt. Sed omnibus in rebus meliores imitandi. In rebus vero ſecundis cum amicorum præſentia ſuauem habet vitæ traducendæ

conſuetudinem: tum cogitanti eos ſuis bonis lætari incredibilem affert voluptatem. Itaque videri poſsint amici ad res ſecundas cupide, ſtudioſeq. vocandi: (de alijs enim libenter bene mereri præclarum eſt) ad dubias vero, & aduerſas dubitanter, ac timide accerſendi. mala enim quam parciſsime ſunt amicis impertienda. Ex quo illud *Oreſtis apud Euripidem:* Satis eſt miſerum eſſe me. *Etſi enim in grauiſsimis malis conſtitutus: noluit nihilominus opem implorare amicorum.* Sed & in rebus moleſtis tum maxime vocandi ſunt, cum parua moleſtia deuorata, valde ſunt amicis, qui mala tolerant, profuturi. Contra vero ad eos, quos aduerſa vexant, prompte, ac vltro eundum: nec exſpectandum, dum voceris. Nam amicis benigne facere, amici eſt: maxime vero in neceſſarijs, ac difficilibus eorum temporibus, & ijs, qui non poſtularunt. Vtriſq. enim & honeſtius, & iucundius eſt, quam ſi vocari velimus. Ad res quoque ſecundas, vt in rebus agendis adiutor ſis, alacriter eundum (ad has enim amici ſunt vtiles, & neceſſarij:) vt vero beneficium accipias, lente, & cunctanter. Non enim habet in ſe dignitatem flagitare, vt iuueris. Hic tamen acerbitatis, & agreſtis ingenij opinio vitanda eſt, ſi quod ab amico defertur, reijcias, & alienam benignitatem repudies. interdum enim hoc vſu venit: *& qui id facit, ingenij ruſticani infamiam ſubit.* Præſentiam igitur amicorum omnibus in rebus optabilem eſſe, perſpicuum eſt.

S C H O L I A.

1 *SEu alia.*] *nam præter duas cauſſas ab Ariſtotele tactas, tertia poteſt afferri: Quoniam amicis libenter noſtras calamitates aperimus. quod dum facimus, dolorem, quaſi virus, euomimus, & fuligines cordis euentilamus. Inde qui lugent, minus in ſe retinent doloris, quam qui lachrymas comprimunt, &, vt ille inquit,* ſuum cor edunt. *Ideo Thetis apud Homerum, conſcia quamuis cauſſæ doloris Achillis: cauſſam nihilominus quærit ab eo, vt ad expoſtulationem inuitet: & ex ea leuamen aliquod adoleſcens percipiat.*

2 *Ac viri muliebri animo.*] *Nero abiectiſsimi animi homo, dum ſibi necis inſtrumenta, & funus parat, hortabatur Sporum illum ſuum, vt lamentari, & plangere inciperet: aduocaſſetq., ni fallor, præficas, ſi percuſſor immiſſus permiſiſſet.*

Præcipuum amicitiæ munus eſſe conuictum, & conſuetudinem. *Cap.* *X I I.*

NVm igitur, quemadmodum [1] amantibus rei adamatæ aſpectu frui amabiliſſimum eſt, atque hunc ſenſum ceteris anteponunt:

nunt: quaſi potiſsimum ex oculis, & aſpectu amor conſtet, & oriatur, *fructuſq. percipiat*: ſic & amicis vitæ ſocietas optabiliſsima eſt. 350 Societas enim & communitas quædam amicitia eſt: & vt quiſque in ſe ipſum animatus eſt, ſic & in amicum. Sentire autem ſe ipſum eſſe, optabile eſt: ergo & ſentire amicum eſſe, is autem ſenſus vitæ ſocietate continetur, & percipitur: hanc ergo non immerito expetũt. Quacumque vero in re ſuum cuique eſſe poſitum eſt, cuiusve rei gratia quiſque viuere exoptat, in ea re vult cum amicis vitam traducere. Itaque alij compotant: alij teſſeris colludunt: alij ſimul corpus exercent, & venantur, aut denique philoſophantur: ſinguli dies totos in hoc conſumentes, quod ex omnium ſtudiorum generibus in vita maxime adamarint. Cum enim vna cum amicis viuere velint, hæc faciunt, hæcque inter ſe communicant, quibus putant communi ſe vitæ ſocietate coniungi. Malorum igitur vitioſa inter ſe amicitia eſt: rerum enim malarum commercium inter ſe habent, cum ſint inſtabiles: [2] & praui vtique fiunt, dum ſimiles inter ſe fiunt. Bonorum autem bona eſt amicitia: quotidianiſq. ſermonibus, & congreſſu amplificatur, *dum alterius probitas creſcit de alterius virtute*. Videntur autem in dies fieri meliores ex eo, quod ſuo quiſque munere fungatur, alterq. alterum corrigat. ea enim ſugit, exprimitq. alter ab altero, quæ probat. ex quo Theognidis illud: A bonis autem bona. Ac de amicitia quidem hactenus dictum ſit. Deinceps fuerit de voluptate diſſerendum.

SCHOLIA.

1 *Amantibus rei adamatæ aſpectu frui amabiliſsimum eſt.*] *Hac de re fuſius egi in Commentario de Affectibus. cap. 8. de Amore. dub. 3. &, Aſpectu ne rei amatæ, an complexu ſatietur magis amãtis appetitus, dub. 4. Illis addere licet, quæ Plutarchus ſcribit 5. Sympoſ. cap. 7. Ex oculis rei adamatæ cadere in amantem quandam ſiue lucem, ſiue liquorem, qui illum macerat, infuſa voluptate cum dolore mixta, quam* γλυκύπικρον *appellant: e dulcedine, & amarore iuncto nomine, quod de Venere loquens expreſsit Catullus.* Quæ dulcem curis miſces amaritiem.

2 *Et praui vtique fiunt, dum ſimiles inter ſe fiunt.*] *Iuuenalis,*

dedit hæc contagio labem,
Et dabit in plures, ſicut grex totus in agris
Vnius ſcabie cadit, & porrigine porci:
Vuaq. conſpecta liuorem ducit ab vua.

DE MORIBVS
LIBER DECIMVS.

De voluptate agendum eſſe: ac de illa antiquos diuerſa ſenſiſſe. Caput I.

POſt hæc [1] de voluptate diſſerendum. noſtro enim generi, humanoq. ingenio videtur eſſe coniunctiſsima: Itaque qui pueros inſtituunt, eos voluptate ac dolore moderantur, & gubernant. *Nam interdum eos voluptate inuitant: interdũ dolorem inurunt.* Adhuc ad virtutes morum valere plurimum videtur ijs rebus delectari, quibus oportet: eas odiſſe, quæ odio dignæ ſunt. Voluptas enim & dolor per omnem vitam porriguntur, magnamq. vim habent tum ad virtutem, tum ad vitam beatam. Iucunda enim potiſsimum diligunt omnes: moleſta vero aſpernantur, & fugiunt. Quare non ſunt hæc ſilentio prætereunda, cum præſertim de illis magna ſit controuerſia. Alij enim voluptatem ſummum bonũ eſſe dicunt: alij magnum malum. & horum alijs fortaſſe perſuaſum eſt ita rem ſe habere: alij non ita ſentiunt, vt loquuntur. damnant nihilominus voluptatem, quòd vtilius hominum vitæ eſſe putent, eam damnare, ac etiam ſi malum non ſit, in malorum numero collocare: quòd multitudo in voluptatem prona, libenter ei ſeruiat: [2] quare in contrariam potius partem flectenda ſit, *vt ij faciunt, qui lignum diſtortum corrigunt.* Sic enim cenſent, homines ad id, quod medium eſt, peruenturos. Sed verendum, ne non ſatis recte voluptas dicatur eſse malum. Omnes enim, qui de perturbationibus animi, & actionibus habentur ſermones minorem, quam facta, fidem faciunt. Itaque cum ab ijs, quæ ſenſibus percipiuntur, diſcrepant: [3] primum contemnuntur: deinde ſi quid veri proferunt, funditus euertunt, atque perimunt: *vt neque in ijs, quæ vere loquuntur, fides illis habeatur.* Nam qui voluptatem vituperat, ſi quando eam concupiſcere deprehenſus fuerit, ſic ad eam ferri cenſebitur, quaſi omnis voluptas, *etiã indecora,* ſit expetenda. Diſtinguere enim non eſt multitudinis. Veri igitur ſermones nõ dum ad cogitationem, & veritatis perceptionem, ſed ad vitam bene agendam vtiles eſse videntur; *mendacia vero vbique ſunt pernicioſa.* Nam vbi ſermones

cum

cum factis congruunt, fidem faciunt: itaq́. eos, qui audiunt, ad vitam conſentaneam acuunt, & excitant. Sed de his ſatis. Nunc quæ de voluptate ab aliis dicta ſunt, perſequamur.

S C H O L I A.

1 *DE voluptate diſſerendum.] ſcilicet, vt felicitati iam habitæ coniuncta eſt. nam in primo libro de ea, vt fini, dum acquiritur, adhæret: in ſeptimo de eadem, vt ad continentiam, & incontinentiam ſpectat, diſputatum eſt.*

2 *Quare in contrariam potius partem.] Simile fuit Numæ conſilium, dum Romanos ad ſuperſtitionem impulit. quos tamen ſuperſtitioſos nollet, ſed religioſos. norat enim Martiales illos ſpiritus, ac præferoces a nimio armorum ſtudio abduci non poſſe, niſi in contrariam partem ad extrema vſque compellerentur.*

3 *Primum contemnuntur.] Quare ſapienter monebat Aeſchines, Non tam cantoris vocem cum lyra, quam Philoſophi vitam cum eius ſermone concordem eſſe debere.*

Examinatur Eudoxi *de Voluptate ſententia.*
Cap. II.

VOluptatem eſſe ſummum bonum putabat Eudoxus; in eamq venerat ſententiam, quod eam ab omnibus animantibus appeti videret, ſeu ratione prædita illa eſſent, ſeu a ratione vacua. Quod autem omnibus in rebus expetendum eſt, bonum eſt: & vt quicque maxime expetendum, ita longe optimum. Quod etiam ad idem omnia ferantur, indicio eſt, eſſe illud quid optimum. vnumquicque enim id, quod ſibi ſit bonum, quærit. quod igitur omnibus eſt bonum, quodq́. omnia deſiderant, ideſt ſummum bonum. *at omnia voluptatem deſiderant. ea igitur eſt ſummum bonum*. Atque hæc quidem Eudoxi oratio magis propter hominis mores egregios, atque virtutem fidem faciebat, quam propter ſe ipſam. Egregie enim præter ceteros temperans, & voluptatum abſtinens ille cenſebatur. quare non vt voluptatis amicus hæc loqui, atque decipi putabatur: ſed re ipſa ita eſſe videbatur. A dolore quoque, qui natura ſua eſt voluptati contrarius, non minus hoc ipſum percipi exiſtimabat. Dolor enim eſt per ſe omnibus fugiendus: ergo eius contrariũ optabile, & expetendum. Quod etiam ſui gratia expetitur, magis eſt expetendum, quam quod propter aliud, vel alius rei gratia. tale quiddam autem ſine controuerſia voluptatem eſſe dicebat. nã nemo quærit ab alio, cuius rei gratia voluptate afficiatur: quaſi per ſe ſit voluptas optabilis & expetenda: & cuicunque rei bonæ accedat,

cedat, eam reddat magis optabilem: quale eſt iuſte agere, temperanter viuere: *quæ cum per ſe expetantur, ſi eis voluptas addatur, magis expetuntur, quam nuda, & ſola. Bonum igitur eſt voluptas, cum aliorum augeat bonitatem*. Bonum enim ipſum ſe ipſo augetur, & amplificatur; *non ab eo, quod non eſt bonum: vt ignis non augetur additione alterius, quam ignis:* & *aqua aquæ, & vnumquodq. a re ſibi congenere*. Videtur autem ratio hæc tantum oſtendere, eam in bonis eſſe numerandam, nihiloq. magis bonum eſſe, quam id, cui adiungitur. Omne enim bonum cum altero bono coniunctum optabilius eſt, quam ipſum per ſe, & ab alio bono deſertum. *eſſe autem voluptatem ſummum bonum ea ratio non probat*. Qua potiſsimum via eorum, qui voluptatem ſummum bonum faciunt, ſententiam Plato labefactabat. Optabilior enim eſt vita iucunda cum prudentia coniuncta, quam ſine prudentia. Quod ſi voluptas alteri bono admiſta maius bonum eſt; non erit ſummum bonum, nec, quod idem Platoni eſt, per ſe bonum. Nullius enim adiunctione ſummum bonum, ſeu per ſe bonum fieri poteſt optabilius. Quare perſpicuum eſt, neque aliud quicquam, quod cum alio per ſe bono coniunctum ſit optabilius, eſſe ſummum bonum. [2] Quid nam igitur in Platonis ſententia erit ſummum hominis bonum, *quod ſcilicet, ſi acceſſerit ei bonum aliquod, non melius fiat: & eiuſmodi ſit*, cuius nos participes ſimus? Tale enim quæritur: non ſeparatum aliquod, & perpetuo a nobis, *vt Idea*, ſeiunctum. Iam vero qui pertinaciter negant, id eſſe bonum, quod omnia appetunt, nihil profecto dicũt. Nam quod omnibus videtur, hoc pro vero affirmamus: nec qui hanc probationem, perſuaſionemve interemerit, vel labefactarit, multo ipſe probabiliora, certioraq. ſit allaturus. Nam ſi ſola mentis expertia voluptatẽ appeterent, eſſet forſan momenti alicuius id, quod ab eis dicitur. Sed ſi etiam ea, quæ ſapiunt, & prudenter ſentiunt, eandem ſectantur; quid cauſſæ eſt, cur ſint audiendi? Fortaſſe vero etiam in vitioſis, & corruptis naturale quoddam bonum ineſt melius, quam ipſorum ſit captus, quod bonum ſibi accommodatum, & amicum appetit. *quæ dum voluptatem deſiderant, noſtræ quoque de voluptate ſententiæ fidem aſtruunt*, [3] *quod in ijs quantumuis corruptis aliquid diuinum inſit a natura inditum, quod bonum appetit.* Iam vero qui Eudoxi rationem a contrario ductam ſoluere nituntur, non recte loquuntur. Negant enim ex eo, quod dolor malum ſit, effici, vt voluptas ſit bonum: nam & malum malo opponi, & vtrumque ei, quod neutrum eſt, *& in medio duorum extremorum conſiſtit. ita & voluptatẽ, & dolorem eſſe mala. quare non ſequi, vt ſi vnum ſit fugiendum, alterum ſit expetendum: ſed vtrumque fugiendum eſſe, & indolentiam, quæ in medio conſiſtit expetendam*. Atque

hæc

hæc quidem *de mali ad malum oppoſitione* non male loquuntur. ſed ſi ad ea, quæ dicta ſunt, hæc exigantur, minus appareant vera. Nam ſi ambo mala eſſent, neceſſario ambo eſſent fugienda: ſin neutrum eſſet malum, vel neutrum eſſet fugiendum, vel æque vtrumque. Nunc videmus dolorem fugi vt malum: voluptatem expeti vt bonum. igitur vt bonum, & malum inter ſe opponuntur. *Non ergo eſt vtrumque malum.*

SCHOLIA.

1 *EVdoxus.] Gnidius, Architæ auditor, Mathematicus egregius, de quo Cæſar apud Lucanum,* Nec meus Eudoxi vincetur faſtibus annus.

2 *Quid nam igitur in Platonis ſententia.] Non probat hanc Platonis rationem Ariſtoteles. Falſum enim eſt id, quod eſt per ſe bonum, ſeu ſummum bonum, adiunctione alterius boni non fieri optabilius: vt ſupra docuit, lib primo, cap. 7. Nam omnia bona, quotquot in hanc vitam incurrunt, creſcunt alterius boni adiectione. ipſaq. præſentis vitæ felicitas, ſi ei vel minimum addatur bonum, fit melior, vt ibidem docuit. quare ſi verum eſſet, quod Plato ait, nullum reperiretur bonum, quod eſſet per ſe, bonum. Neque ad Ideam confugiendum, quã Plato eſſe aſſerit per ſe bonum, & ſummum bonum, nec alterius adiectione fieri magis bonum. Nam Idea longe diſtat, nec eius potiri poſſumus. At ſummum hominis bonum ad manus eſſe debet.*

3 *Quod in ijs quantumuis corruptis aliquid diuinum inſit.] appetitus videlicet felicitatis. Omnia enim vel corruptiſſima animantia volunt felicitatem, quam in voluptate quærunt.*

Referuntur, & diluuntur rationes aſſerentium voluptatem non eſſe bonum. Cap. III.

ARguunt hi voluptatem non eſſe bonum: primum quia non eſt qualitas. At nec beatitudo, nec virtutis operatio eſt qualitas: & nihilominus bona ſunt. Secundo arguunt, quia bonum eſt terminatum: voluptas vero nullis terminis circumſcribitur: cum contentior, & remiſsior eſſe poſsit. At ſi ex voluptatis perceptione hoc iudicant, quod ea nunc magis, nunc minus percipiatur: virtutes quoque interminatas faciant neceſſe eſt; cum ipſimet eos, qui virtutes colunt, magis vel minus quales euadere fateantur. ſunt enim alij alijs iuſtiores, atque fortiores. Fieri etiam poteſt, vt iuſte agamus, temperanterq. viuamus magis, & minus. *quare ne dum virtutum habitus, verum & functiones eſſent interminatæ, & malæ.* Sin ex voluptatibus ipſis hoc iudicij faciunt: verendum eſt, ne cauſ-

ſam non afferant:[1] ſiquidem voluptatum aliæ ſinceræ ſunt, & puræ; aliæ *dolori* miſtæ *& hæ quidem minuuntur doloris admiſſione: eo ablato augentur. ſinceræ autem hoc non habent*. Sed quid prohibet, quemadmodum valetudo, quæ terminata eſt, intendi poteſt, & remitti, ſic & voluptatem? Non enim eadem in omnibus eſt temperatio corporis: nec vna ſemper in eodem; ſed remiſſa ad aliquod tempus permanet: eoq. differt, quod recipit magis, & minus. Tale igitur quiddam in eo quoque, quod ad voluptatem attinet, accidere poteſt. Tertio arguunt ex eo, quod voluptas ſit motus, & generatio: imperfectum quid igitur erit: at ſummum bonum eſt quid perfectum. Sed nec recte dicere videntur: nec voluptas eſt motus. Omnis enim motus hoc habet proprium, vt ſit vel tardus, vel celer, ſi non per ſe, at cum alio ſaltim motu collatus: qualis ille eſt, quo mundus mouetur, *& diurnus appellatur. cum enim in ſe ipſo ſit perpetuo æqualis, nec modo intentior ſit, modo remiſſior: non poteſt dici velox, vel tardus, niſi ad aliquam aliam motionem collatus*:[2] *cum velox, & tardum dicantur ad aliud*. In voluptate autem neutrum horum ineſt. Nam fieri quidem poteſt, vt quis celeriter voluptate capiatur, & afficiatur: quemadmodum etiam vt cito iracundia corripiatur, & exardeſcat: ſed vt voluptate captus, celeriter ea fruatur, & quaſi ſpiſſando conatus animi, velocius eam decurrat, hauriatque, non poteſt, ne ſi cum alio quidem conferatur. *Id enim conari perinde eſſet, ac ſi quis quam citiſsime tres horas dormire ſe velle diceret*. Vt autem quis cito, vel tarde ambulet, vel augeatur, & quæ ſunt huius generis omnia, fieri poteſt, *cum ſint motiones*. Nihil igitur obſtat, quo minus celeriter, & tarde ad voluptatem traducamur: ſed vt celeriter voluptatis munere fungamur, & functionem maturemus, fieri non poteſt: Voluptatis autem munere fungi dico, voluptate frui. Iam vero qui poſsit voluptas ortus eſſe, vel generatio? Videtur enim non ex re qualibet quæuis oriri: *ſed ex certa, & determinata*: & ex quo quicque oritur, in hoc diſſoluitur, *quemadmodum, & in libro primo Phyſ. dictum eſt. Duobus itaque terminis generatio clauditur: a quo, in quem. Voluptas vero non eſt tranſitus a termino a quo ad terminũ ad quem: neque tendit ad aliud, vt ſanatio ad ſanitatem. ſed ad ipſam potius agens, & actio feruntur*. Deinde *ſi voluptas eſſet generatio, & dolor corruptio, vt Plato aſſerit*; ſequeretur, quod per voluptatem gignitur, a dolore corrumpi: *& quod a dolore corrumpitur, gigni per voluptatem, ita enim in motibus contrarijs eſſe debet. at nihil tale vſpiam reperitur: nec vnquam vidimus aliquid per voluptatem gigni: nec genitum per dolorem corrumpi, niſi ex euentu. per ſe vero nec voluptas ad rei alicuius generationem tendit: nec dolor ad interitum. voluptas igitur non eſt generatio*.

tio. Adhuc etiam aiunt dolorem eſſe penuriam eius rei, quæ eſt ſecundum naturam: voluptatem vero expletionem. At penuria, & expletio ſunt affectiones corporis. *nam corpus expletur*. ſi voluptas igitur eius, quod ſecundum naturam eſt, expletio eſt, ſequitur vt id, in quo fit expletio, voluptate afficiatur; ac proinde corpus delectationem percipiat. at voluptas eſt animi, *& ab animo in corpore conſtituto percipitur. eius enim eſt ſentire*. Non eſt ergo voluptas expletio, *ſed potius conſequitur expletionem*. quare cum fit expletio, poteſt aliquis voluptate affici: & cum ſecatur dolere: quod errori occaſionem præbuit, vt exiſtimarent, voluptatem eſſe expletionem: quia dum natura egens cibo repletur, percipit voluptatem: præſertim ob antegreſſum dolorem. Sed hoc non in omnibus voluptatibus accidit. Sunt enim doloris expertes tum mathematicæ: tum ex ijs, quæ in ſenſibus poſitæ ſunt, eæ, quæ odoratu percipiuntur: & quæ auribus, oculiſque: vt acromata, & ſpectacula: *tum etiam quæ ſunt mentis. nam hæ delectant, etſi nullus præceſſerit dolor, nihilq́. ſit de natura imminutum, quod opus habeat inſtauratione*: cuiuſmodi quoque voluptatem multarum rerum recordatio parit, ac ſpes futurarum, *etſi nulla earũ indigẽtia præceſſerit*. Quod ſi harum rerũ nullius pænuria antegreſſa eſt, aut egeſtas, cuius expletio ſubſequi debeat, nullius rei generatio vel ortus hæ voluptates erunt. Nec quoniam voluptatem ex rebus probroſis nonnulli percipiunt, ideo ſunt omnes reijciendæ. Non enim ſi voluptates illæ hominibus male affectis ſunt iucundæ, etiam abſolute, ac natura ſua iucundæ ſunt habendæ: ſed his tantum: quemadmodum nec ea, quæ ægrotantibus ſalubria, aut dulcia, aut amara videntur, nec ea quæ lippientibus alba, ſunt re ipſa talia. Poteſt etiam hoc modo reſponderi; Voluptates eſſe quidem expetendas, at non ab his rebus profectas: quemadmodũ diuitem eſſe optabile eſt: at non ex proditione: & valere, ſed non ex cuiuslibet rei eſu: *vt ſi cui ad lepram curandam ſerpentis imperetur eſus*. Sed reſponderi tertio poteſt, ſpecie differre voluptates, vt & res, ex quibus capiuntur. Aliæ igitur eæ ſunt, quæ ex rebus honeſtis promanant: aliæ quæ a turpibus; neque fieri vllo modo poteſt, vt quis iuſti hominis voluptate potiatur, qui non ſit iuſtus: neque muſici, qui non ſit muſicus. ſimiliſq. eſt ceterorum ratio. *Non eſt igitur quid ſimplex voluptas, & vnius rationis*. Atque etiam amicus, qui ab aſſentatore differt, *omnem* voluptatem non eſſe bonum, aut certe aliam ab alia differre ſpecie, declarare videtur. ille enim cum amico congreditur, vt ei bono ſit: hic vt *qualicumque* voluptati: & hoc vituperatur, illud commẽdatur ab omnibus: quaſi amicus congreſſus, & ſermones ſuos alio, quam aſſentator, referat. *Neque vero alia illa, quam contra voluptatem afferunt, ratio*

Yy 2 *momenti*

momenti alicuius cenſeri debet. Aiunt enim, ſi voluptas eſſet expetenda, vita puerilis, quæ illam percipit maxime, perpetuo eſſet deſideranda. nemo autem velit perpetuo eſſe puer, & puerilibus delectari: *ſed malit quiſque adoleſcere, atque ad ætatem perfectam venire. voluptas igitur non eſt optabilis. Sed futilis ratio hæc videtur, cum in virili, atque perfecta ætate maior percipiatur voluptas: pueritia vero ob perturbationes illius ætatis, multis ſit doloribus obnoxia. Arguunt etiam contra voluptatem, quaſi non expetatur ab omnibus.* Nam nemo gaudere cupiat re aliqua turpiſsima, flagitioſiſsimaq. admiſſa: etiam ſi nihil propterea doloris ad ſe vnquam ſit rediturũ. multa etiam obimus abſque vlla ſpe voluptatis. multaq. appetimus in ſe ipſis præclara, etiam ſi nullam eſſent voluptatem allatura: vt videre, memoria tenere, ſcire, virtutibus præditum eſſe. non igitur voluptate tantum trahuntur, dolore ſolum arcentur mortales. Nec refert, ſi rebus enumeratis neceſſario ſuccedunt voluptates. Eas enim perſequeremur, etiam ſi nulla ex ijs proficiſceretur voluptas. *Ceterum hæc ratio concludit, poſſe aliquid appeti præter voluptatẽ: quod & nos fatemur. ſed non inde efficitur, ne omnes appetant voluptatem. multæ enim, atque diuerſæ ſunt hominum functiones: quarum aliæ voluptate inuitantur, aliæ non item. Eadem quoque ratione concluditur, voluptatem non eſſe ſummum bonum, quod illis libenter damus.* Non eſſe igitur ſummum bonum voluptatem, neque omnem eſſe expetendam, eſſeq. nonnullas per ſe expetendas, vel ſpecie, vel pro ratione illarum rerum, ex quibus oriuntur, differentes, perſpicuum videtur eſſe. Atque ea quidem, quæ de voluptate, ac dolore dicuntur, ſatis a nobis expoſita ſunt.

SCHOLIA.

1 *Siquidem voluptatum alia,*] *Vel aliter expone; Iſti non viderunt voluptates concretas augeri, & minui: non abſtractas. recipiunt enim magis, & minus ob materiam, cui ſunt admiſtæ: non in ſe ipſis, vt ſunt puræ quædam eſſentiæ.*

2 *Cum velox, & tardum dicantur ad aliud.*] *Velox motus eſt, qui in paruo tempore multum ſpatij metitur: tardus qui longo tempore parum ſpatij conficit, vt Ariſtot. tradit lib. 6. Phyſ. multum vero, & parum relatiua ſunt, & ad alterum dicuntur. quare velocitas, & tarditas motus non percipitur niſi in duabus inæqualibus motionibus: vel in vna, quæ duarum gerat vicem. eiuſmodi autem eſt motus irregularis, quem appellant, qui nunc intentior eſt, nunc remiſsior.*

Quid

Quid ſit voluptas, & vt perficiat operationem. Cap. IV.

QVid autem, & qualis res ea ſit, planius fieri poterit, ſi rem ab initio repetamus. Vt enim viſio quouis tempore perfecta eſt, *cum fiat tota ſimul*, nihilq. vnquam deſideret, quod, cum poſtea aduenerit, illius formã ſit abſoluturum: ſic voluptas totum quiddam eſt, & integrum, *quod in momento gignitur* neque quiſquam, qui voluptate perfunditur, quantumuis ea producatur, perfectiorem ſe illam ſperat habiturum. Itaque ne motus quidem eſt. Omnis enim motus in tempore fit, & ad aliquem finem refertur: vt ædificij conſtructio ad ædificium: & cum ſit imperfectus, quærit vt perficiatur, tunc vero motus omnis perfectus fuerit, cum id, quod deſiderat, effecerit: vt ædificium. Aut igitur perficitur motus in toto tempore, aut in parte aliqua temporis, *puta illa, quæ inſtat*. porro in partibus temporis, *ipſoque nunc fluente*, omnes motus ſunt imperfecti, ac ſpecie tum à toto, tum ipſi inter ſe differunt, v. g. in ædificando lapidum compoſitio, & ſtructura alia eſt à columnarum collocatione; & hi motus alij ſunt a templi perfectione. Ac templi quidem motus, *hoc eſt generatio*, perfectus eſt. nihil enim deſiderat ad id, quod propoſitum fuerat: fundamenti vero, & laquearis imperfectus. vterque enim partis eſt, *ac neutrum illorum eſt ædificium*. Specie igitur differunt: neque in vlla temporis parte, qualiſcumque ea ſit, perfectus in ſuo genere motus ſumi poteſt: ſed tantum in toto. Similiter quoque de inceſſu, & reliquis motibus eſt ſentiendum. Si enim latio, ſeu loci mutatio motus eſt alicunde aliquò; eius quoque ſpecies, inter ſe forma differentes, erunt alicunde aliquo: vt volatus, inceſſus, ſaltus, & ſimilia. *omnis enim motio duplicem requirit terminum: a quo, & ad quem*. Patet hoc tum in alijs loci mutationibus, tum etiam in ipſo inceſſu, * *& quidem maxime.* Nam inceſſus alicunde aliquo non eſt idem in toto ſtadio; atque in eius parte: neque idem in vna, atque alia parte: neq. eadem loci mutatio eſt, qua hæc linea, & qua illa tranſitur. Non enim linea ſolum tranſitur: verum lineæ etiam, quæ in loco eſt. at hæc linea in alio loco, quam illa eſt. *Etſi igitur ſtadij lineæ in ſe ſumptæ non differunt forma & ſpecie: tamen vt ſunt in diuerſis locis diuerſum ordinem ad primum corpus ambiens, omniaq. complectens (nempe cælum) ſiue ad aliquid aliud fixum, & immotum, quale centrum eſt, habentibus, ac diuerſos nactæ ſunt ſitus, ſpecie differunt: ac totius motionis partes reddunt ſpecie differentes.*

rentes. Verum de motu ſubtiliter, & enucleate in alijs libris, *qui ſcilicet de Phyſica acroaſi inſcribuntur*, diſputatum à nobis eſt. Motus itaque non omni tempore perfectus eſt: ſed plerique imperfecti, ac ſpecie differentes: *qui ſcilicet ſecundum partes conſiderantur:* ſiquidem ipſi termini, *vnde & quo*, motum claudunt, informant, perficiunt. At voluptatis forma in quauis parte temporis abſoluta eſt, & perfecta. *nã percipitur tota ſimul quo ad eius eſſentiam: etſi qui eam percipit, quod ſub temporis fluxu ſit, & agat, eam capiat ſucceſsiue.* Perſpicuum igitur eſt, motum, & voluptatem inter ſe differre, voluptatemq́. totum quiddam, & perfectum eſſe. Hoc ipſum ex eo etiã intelligere licet, quod fieri non poteſt, vt quis niſi in tempore moueatur: at voluptate quis affici poteſt in inſtanti. nam quod totum ſimul aduenit, & in puncto temporis poſitum eſt, totum quiddam, & perfectum eſt. *talis eſt voluptas, quæ in quolibet puncto temporis integra percipitur; etſi vna cum tempore tum ipſa, tum eius perceptio fluit. percipitur itaq́. tota ſimul intenſiue, non extenſiue, vt Scholaſtici loquuntur. Motus vero nec intenſiue totus ſimul haberi poteſt. eius enim ratio, & forma eſt, vt etiam intenſiue fluat.* Ex his etiam perſpicuum fit, minus recte ab his dici, voluptatem eſſe motum, vel generationem, & ortum. Non enim omnium rerum dicuntur eſſe motus, ſiue ortus, & generationes: ſed earum duntaxat, quæ partitionem recipiunt, & quæ non ſunt tota, *ſiue perfecta, ita vt ſtatim, & in puncto temporis ſuam perfectionem nanciſcantur.* quare nec viſio, nec punctum, nec monas gignuntur, nec ipſa ſunt generatio, vel ortus, vel motus: quare nec voluptas. Eſt enim totum, atque integrum quiddam, & perfectum. *Quid igitur voluptas erit, ſi neque motio eſt, neque ortus?* Porro conſiderandum eſt, cum ſenſus omnis in id, quod ſibi ſubijcitur, ſuo munere fungatur: eum, qui circa illorum, quæ ſibi ſubijciuntur, pulcherrimum bene affectus eſt, munere ſuo perfecte fungi. tale enim quiddam maxime videtur eſſe perfecta muneris functio: (verum vero ſenſum ſuo munere fungi dicamus, an id, in quo ſenſus ineſt, *vt homo, vel animal,* nihil refert) In vnoquoque igitur genere optima eſt eius functio, quod optime affectum eſt, cum eorum, quæ ſub eum ſenſum cadunt, præſtantiſsimo quoque collatum. Hæc autem, & perfectiſsima fuerit, & iucundiſsima. Habet enim ſenſus ſuam quiſque voluptatem: ſimiliter autem & dianía, ſeu cogitatio, & contemplatio. atque vt quæque voluptas eſt perfectiſsima, ita & iucundiſsima. Eſt autem perfectiſſima eius, quod bene affectum eſt ad eorum, quæ ſub illum ſenſum, aut cogitationem cadunt, optimum. *Voluptas igitur eſt qualitas conſequens operationem facultatis bene diſpoſitæ, in ea, quæ ſibi ſubijciuntur, operantis:* Perficit autem muneris functionem voluptas: ſed non

nõn ita perficit, vt & res ſenſui ſubiecta, & ipſe ſenſus cum bona ſunt, functionem perficere dicuntur. quemadmodum enim aliter bona valetudo cauſſa eſt, vt aliquis valeat, aliter medicus; *nam illa vti rei forma illud efficit: hic vti agens extrapoſitus: ita voluptas non perficit operationem vt agens, vel vt ſubiecta materia; quæ agentem cauſſam imitat: ſed vt forma ſubſequens*. Iam perſpicuum illud eſt, in omni ſenſu voluptatem gigni. Dicimus enim quædam, quæ cernuntur, & audiuntur, eſſe iucunda. & profecto illa tum iucundiſſima ſunt, cum & ſenſus eſt optimus, & in id, quod tale ſit, ſuam explicat actionem, & ſuo munere fungitur. Quandiu autem talia permanebunt & id, quod ſenſu percipitur, & id quod ſentit: ſemper erit voluptas. Perficit autem muneris functionem voluptas non vt habitus penitus inſitus, *ſiue forma, quæ efficit, vt res ſit*: ſed vt finis, vel terminus ſubſequens; perinde ac pulchritudo florem perficit ætatis. *Neque enim pulchritudo adoleſcentiam in ſuo eſſe conſtituit: ſed eam extrinſecus perficit: ita quoque voluptas quaſi ſubſequens forma, & perfectio perficit operationem*. Tandiu autem in operatione voluptas inerit, quandiu quod ſub ſenſum, vel intelligentiã cadit, quodq. exiſtimat, aut contemplatur, talia fuerint, qualia eſſe oportet. Nam cum & id quod agit, & id, quod patitur, ſimilia ſunt, & eodem modo inter ſe afficiuntur: eadem res natura ſua ex illis exiſtere ſolet. *Diximus autem functionem à facultate circa rem ſibi ſubiectam, ac bene conſtitutam perfecte operante voluptatem oriri. donec igitur illa ſic perſeuerant, delectatio exiſtet*. Qui fit igitur, vt nemo continenter delectetur? An quod defatigatur? Nullæ enim res humanæ aſſiduam muneris functionem ferre poſſunt. ita nec perpetua voluptas gigni poteſt: nam hæc illam conſequitur. Nonnulla vero delectant, quandiu noua ſunt: poſt non item: idque propter hanc cauſſam. Principio enim operationes ſunt vehementes, & in eas contentè incumbimus: poſt negligenter adminiſtrantur, & remittuntur, vt qui ab initio defixis oculis rem aliquam intuetur: non multò pòſt conatum illum remittit. Quapropter voluptas, quæ naturam ſequitur operationis, antèa quidem acrior erat, vt operatio: poſtmodum deteritur, & inobſcuratur? Sed cur omnes voluptatem expetunt? Sunt, qui opinentur, id eſſe, quod omnes teneantur vitæ cupiditate: vita autem ſit muneris functio quædam: & in ijs quiſque elaboret maxime, quæ maxime diligit: vt muſicus auditu in ſonos, & cantus: diſciplinarum ſtudioſus agitatione mentis in cognitionem rerum: & ita ceteri ſuum quique in ſtudium ſumma contentione incumbunt. Quare cum voluptas actiones, & vitam ipſam, quam omnes expetunt, abſoluat, & perficiat, non temere in voluptatem omnes ſummo ſtudio

mo ſtudio ferri videntur. Vitam enim, quæ cuique optabilis eſt, perficit. 3. Vtrum autem propter vitam appetamus voluptatem, an vt voluptate fruamur, viuere velimus, omittamus in præſenti diſputare. Videntur enim inter ſe hæc eſſe copulata, neque alterum ab altero poſſe ſeiungi. Nam neque ſine aliqua muneris functione voluptas gignitur: & omnem muneris functionem perficit voluptas. *Vita igitur, & voluptas ita copulari videntur, vt ſeiungi nequeant. idq. ad præſens dixiſſe ſit ſatis.*

SCHOLIA.

1 SIc voluptas totum quiddam eſt, & integrum, quod in momento gignitur.] Operatio quo eſt intentior, & vehementior, eo maiorem gignit voluptatem. poteſt igitur maior ſperari voluptas, ſi magis intendatur operatio. Sed hoc ex euentu eſt, & ex accidenti. Ex ſe autem voluptas, quantacumque eſt, tota ſimul capitur. Sic calor magis, & magis augetur; nec ideo eſt motus; ſed per motum gignitur. Motus vero ea eſt natura, vt ſubinde illius aliud, & aliud adueniat.

2 Et quidem maxime.] ibi enim manifeſte diſtinguuntur varij termini à quo, & ad quem, cum ſit per crebras moras, dum pedes alternatim quieſcunt, interruptus.

3 Vtrum autem propter vitam.] Voluptas proculdubio eſt propter vitam, & operationem, ſicut condimentum propter cibum: eamq. perficit, vt accidens. Appetitus etiam in voluptate conquieſcit, vt in delectante: non per ſe: in operatione vero, vt in re ſibi conueniente. Natura demum functiones reſpicit, non voluptatem. ideo functionibus magis neceſſarijs maiorem impartita eſt delectationem, ne deficerent. nam Venereas operas maiori delectatione aſperſit, quam eas, quæ a guſtatu ſunt. illæ enim ad tuendam, & propagandam ſpeciem valent: hæ ad ſingularium ſalutem. Horum autem non tantam gerit illa curam, quantam ſpeciei, quam non vult interire. Merito igitur felicitas hominis ponitur functio muneris; quam nihilominus ſequatur voluptas.

Voluptates inter ſe ſpecie differre.

Cap. V.

CVm igitur functiones munerum a voluptate perficiantur; ſequitur voluptates inter ſe ſpecie differre. Nam quæ ſpecie differunt, ab ijs, quæ ſpecie quoque differant, perfici exiſtimamus. 1 Videntur enim & res naturales, & ea, quæ ab arte fiunt, cum ipſæ ſpecie inter ſe differant, formis inter ſe ſpecie differentibus perfici: vt animalia, arbores, ſtatuæ, tabulæ pictæ, vaſa, domus. Differunt autem ſpecie quæ rationis ſunt, ab ijs quæ ſenſibus gignuntur: 2

& hæ,

& hæ, quæ à ſenſibus exiſtunt; etiam inter ſe. ergo & voluptates eæ, quæ illas perficiunt. Deinde hoc ipſum ex eo cognoſci poteſt, quod quæque voluptas ſuæ operationi, quam perficit, coniuncta eſt. Auget enim & amplificat muneris functionem ſua voluptas, & propria: at non aliena. Nam qui cum voluptate munere funguntur, diligentius de ſingulis exiſtimant, & accuratius ea perſequuntur. Magnos enim progreſſus tum ſtudioſi, tum artifices omnes faciunt, ſi rebus, quas habent præ manibus, delectentur. Voluptates igitur ſtudiũ, & actionẽ augẽt: at quicquid auget, hoc ei, quod auget, familiare & coniunctũ eſt. Quę autẽ iis, quę ſpecie differunt, accõmodata, & coniũcta ſunt, ea quoq; ſunt ſpecie diuerſa. Tertio, planius hoc ex eo fieri poterit, quod eæ voluptates, quæ aliunde proficiſcuntur, impedimento ſunt muneribus, quæ obimus. Qui enim capti ſunt amore tibiarum, ſi aliquem, qui tibia canat, exaudierint, orationi, quæ de rebus ad ſapientiam attinentibus habetur, animum aduertere non poſſunt: magis enim eos tibiarum cantus delectat, quam quod agitur; illaque voluptas hanc interimit. Itemque hoc & in alijs rebus vſu venit, cum quis in duabus eodem fuerit tempore occupatus. quæ namq; iucundior eſt, aliã extrudit: eoq; magis, quo maior voluptas illa fuerit: ita vt in alia ſuo munere is fungi nõ poſſit. Quapropter cum re aliqua vehementer delectamur, non ferè aliud facimus: contra cum quid aliud leuiter modiceq; probamus, aliud agimus: vt qui in theatro ludos, vel fabulas ſpectant, faciunt. Illi enim, cum boni hyſtriones ſcœnam implent, & fabulam peragunt, non aliud agunt; ſed attentiſſimè ſpectant, audiuntque: ſin mali fuerint, ſe conuertunt ad bellaria *comedenda, vel in hyſtriones iacienda: quæ ad famem, dum totum diem ſedent in theatro, arcendam in pera geſtabant.* Quoniam autem propria voluptas functiones exacuit, ac diuturniores, melioresq; reddit: alienæ autem deprauant: perſpicuum eſt inter eas multum intereſſe. Nam alienæ voluptates idem propemodum efficiunt, quod proprij dolores: cum & hi functiones corrumpant. v.g. ſi cui ſcribere, vel ratiocinari iniucundum, & moleſtum fuerit; ille non ſcribit, hic non ratiocinatur, quia moleſta eſt hæc muneris functio. Contingit igitur munerum functionibus à proprijs voluptatibus contrarium eius, quod euenit à proprijs doloribus: *hi enim functionem perimunt, illæ acuunt, eriguntque.* Eos autem appello proprios dolores, eaſque proprias voluptates, quæ muneris functionẽ per ſe ſubſequuntur. Diximus autẽ alienas voluptates ſimile quiddã dolori efficere: vtræq; enim corrũpunt functionẽ: ſed diſſimili modo. *nam dolor directo perimit: aliena voluptas ex euentu: quatenus dum in animum influit, illũ ad ſe rapit, ex quo ſequitur operationis, quam inuenit, remiſsio, vel interitus.* Iam vero ob fun-

ctiones muneris probitate, atque malitia inter ſe differant: aliæq; ſint expetendæ, *vt ſtudioſæ:* aliæ fugiendæ, *vt vitioſæ: alia nec expetenda, nec fugienda natura ſua; ſed quæ poſſunt ad vtrumque trahi:* ſimilis quoque ratio eſt voluptatum. ſua enim cuiuſq. functionis muneris voluptas eſt, quæ illius naturam ſequitur. Cupiditates etiam rerum honeſtarum ſunt laudabiles: turpium vituperabiles. manifeſtum autem eſt, muneris functionibus propinquiores, & coniunctiores eſſe voluptates, quæ illis inſunt, quam cupiditates. hæ namque a functionibus diſtinctæ ſunt temporibus, & natura; *prius enim appetimus, quam agamus.* at voluptates illis cohærent, adeoq. ſimul confunduntur, vt in controuerſiam venerit, an idem ſit operatio, ſeu muneris functio, quod voluptas. Sed hoc verum non eſt. abſurdum enim fuerit dicere, voluptatem eſſe dianiam, ſiue cogitationē, aut ſenſum, *vel eorundem functiones.* Verum quia non ſeparantur, pro eodem habentur a pleriſque. Quemadmodum igitur diſſimiles, ac ſpecie differentes inter ſe ſunt muneris functiones, ita & voluptates.[1] Differt autem videndi ſenſus a tactu ſinceritate: audituſq. & odoratus a guſtatu: ſimiliter igitur differunt eorum voluptates; eademq. ratione eæ, quæ in cogitatione, ſeu diania verſantur, differunt ab his: & vtræque inter ſe. *nam quæ a contemplatione promanant, ſunt, quam quæ ab actione, ſinceriores.* Videtur etiam ſua cuiuſque animalis eſſe voluptas propria, vt & munus, atque opus propriū; nam voluptas functionē ſequitur, & vnicuique illarum aliqua voluptas eſt propria. *differunt igitur ſpecie voluptates, vt & animalia, eorumq. opera.* Quod in ſingulis, ſi quis ſpectare voluerit, perſpicuū eſſe poterit. Alia enim hominis voluptas eſt, alia canis, alia equi; quemadmodū Heraclitus ait, aſino culmos, & paleas eſſe auro optabiliores. Eorū igitur, quæ ſpecie differunt, ſpecie quoque differunt voluptates: eas autem, quæ ſunt eorundem, eaſdem eſſe, probabile eſt.[4] Verum in hominibus magna eſt earum varietas, *etſi omnes homines eiuſdem ſint ſpeciei.* Eadem enim alios offendunt, alios delectant. atque hoc in rebus dulcibus vſu venit. Non enim eadem ei, qui febri affligatur, & valenti dulcia videntur: nec idem calidum ægro, vel imbecillo, & ei, cui corpus firmum eſt, & bene conſtitutum. *Debiles in balneo calidiorem amant aquam; valentes, & robuſti tepentem.* Similiterq. hoc in alijs accidit. Sed in omnibus, quæ aliæ alijs apparent, functionibus humanis id tandem vere eſt, quod viro bono ita eſſe videtur. vniuſciuſque enim rei menſura virtus eſt, & vir bonus, qua talis eſt. *quemadmodum ſapores ſolus, qui valet, diſcernit: idque eſt dulce, quod ille iudicat dulce.* quare illæ profecto erunt voluptates, quæ huic videntur voluptates: & ea iucunda, quibus hic delectatur. Neque vero mirum cuiquam eſſe

debebit, ſi quæ huic ſunt aſpera, & moleſta: ea alicui videantur iucunda. Multa enim quotidie exoriuntur, quæ hominum ingenia, quaſi peſtes, & corruptelæ deprauant. Non ſunt autem illa, quæ improbi probant, iucunda: ſed illis, vt eo modo ſunt affecti. Quæ igitur ſine controuerſia ſunt inhoneſtæ voluptates, non ſunt dicendæ voluptates: niſi forte corruptis hominibus, & deprauatis. *Non licet itaque ab improbitate illarum, quæ non ſunt veræ voluptates, eas, quæ ſunt vere tales, condemnare, vti malas.* Sed cum proborum hominum multæ, variæq. ſint voluptates, quæ nam, aut qualis dicenda eſt hominis propria? Sed hanc ambiguitatem tollunt muneris functiones. Has enim ſuæ conſequuntur voluptates. Siue igitur vna, ſiue plures ſunt perfecti, & beati viri muneris functiones: eæ, quæ has perficiunt, propriæ dici poſſunt hominis voluptates: reliquæ vero ſunt ſecundo loco ſtatuendæ, ac longo poſt interuallo: quemadmodum & muneris functiones. *Primum igitur voluptas contemplationis ponenda, vti homini maxime accommodata: poſt ea, quæ percipitur ab actione ſtudioſa virtutis, in rebus agendis occupata: poſtremo illæ, quæ felicitatis ſunt adiutrices: vt bona corporis habitudo, diuitiæ, liberi, cognati, amici.*

SCHOLIA.

1 *Differt autem videndi ſenſus.] ſinceriora illa ſunt, quæ ſunt minus materiei admiſſa. in quo genere, quod ad ſenſus corporis exteriores attinet, primum locum tenet videndi ſenſus: tum is, quo audimus: tertium olfactus: quartum guſtatus: poſtremum tactus. cetera ex libris de anima ſunt petenda.*

2 *Verum in hominibus.] Dubitare eſt, cur ceteræ animantes certis, & paucis quibuſdam ſint voluptatibus contentæ: ſolus homo nunc has, nunc illas amet; nec ſtatum in hoc ſeruet vllum ordinem? Reſpondeo id eſſe, quod illæ feruntur natura duce, a qua non deſciſcunt, cum careant libertate: natura vero ad certa ſemper, & determinata, & quidem neceſſario, fertur. Homo autem libere agit, eligitq. hoc magis, quam illud: & cum diuerſa ſint eius iudicia, diuerſis quoque capitur voluptatibus: Quamobrem Iuliæ reſponſum Auguſto patri, dum cauſſam percontatur, propter quam belluæ ſemel in anno libidine tententur, mulieres continuo, datum:* Id eſſe, quia belluæ ſunt: *habet aliquid à Philoſophia.*

De Beatitudine: & illam in ludis & iocis non eſſe poſitam.

Cap. VI.

EXpoſitis ijs, quæ ad virtutes, amicitias, & voluptates pertinent, reliquum eſt, vt de beatitudine, quoniam eam vltimum huma-

norum honorum ponimus, rudi Minerua, & quaſi eius adumbrantes formam, differamus. Itaque ſi ea, quæ ſupra diximus, repetantur, breuior oratio futura eſt. Diximus autem beatitudinem non eſſe habitum. nam ſi ita ſe res haberet, beatus eſſe poſſet etiam is, qui per totam vitam dormiat, & ſtirpis vitam agat, & qui maximis calamitatibus afficiatur. Quod ſi hæc non probantur, & muneris functio quædam potius ea ſtatuenda eſt: & ſi muneris functiones aliæ per ſe expetuntur, aliæ propter aliud, quæ & neceſſariæ *ad aliud aliquid, vel vtiles* dicuntur: perſpicuum eſt beatitudinem in earum numero, quæ per ſe ſunt expetendæ, habendam eſſe. Nullius enim rei beatitudo indiget, ſed ſuis bonis contenta eſt. Per ſe autem eæ ſunt optabiles, a quibus nihil, præter ipſam muneris functionem, requiras, quales virtuti conſentaneæ actiones eſſe videntur. Nam in rebus honeſtis, & bonis agendis aſſidue verſari, in rebus per ſe expetendis numeratur. Et quidem vulgus ludos eos, qui remiſsionis animorum, & oblectationis cauſſa ſunt inſtituti, per ſe cenſet expetendos. Non enim propter aliud eos ſequuntur, quam propter voluptatem. nam propter vtilitatem eos expetere non poſſunt, cum detrimento ab ijs afficiantur potius, neque corporum habentes curam, neque fortunarum. Atque ad talem vitæ conſuetudinem illorum plerique confugiunt, qui beati habentur, *quod melioribus voluptatibus carent*. Quamobrem reges, & principes magno in honore comes, & vrbanos habent, qui in ijs, quæ illi expetunt, ſuaues ſe præbent, & iucundos: ac eiuſmodi genus hominum ij maxime deſiderant, & carum habent. Hæc autem ad vitam beatam idcirco videntur pertinere, quia homines imperio & poteſtate præditi talibus in rebus omnem vitam traducunt: *ijdemq. fortunati, & beati cenſentur*. Sed ab huiuſmodi hominum vita fortaſſe huius rei argumentum ſumi non debet. Neque enim in principatu, & potentia conſiſtit virtus, neque mens; a quibus probæ muneris functiones proficiſcuntur: neque ſi iſti, quia puram, & liberalem voluptatem nunquam guſtarunt, ſed eius ſunt plane ieiuni, ad corporis voluptates ſe recipiunt, idcirco nos exiſtimare oportet, has eſſe magis expetendas. peruerſe enim iudicant, vt pueri, qui quæ apud ipſos in pretio ſunt, optima eſſe arbitrantur. Probabile eſt igitur, quemadmodum alia pueris, alia viris honore digna videntur: ſic alia vitioſis hominibus videri, alia virtute præditis. Ea igitur magni pretij, & iucunda ſunt, quæ viro bono, ſtudioſoq. talia ſunt. Sed cum vnicuique homini ea, quæ cuiuſque habitui conuenit, functio optabiliſsima eſt: *vt muſico canere, hiſtrioni fabulam peragere*: tum viro bono ea, quæ virtutis eſt, maxime videtur expetenda; *non ludus, & iocus*. Non igitur in ludo vita beata poſita eſt. Abſurdum enim

ſit

& putare, finem hominis, ac bonorum vltimum eſſe, inſiquem, & iocum: totamq; vitam in negotio conterere, & plurimiſq; laboribus, atque malis conflictari oportere, vt ad extremum ludere, ac iocari valeamus. At omnia fere propter aliud ſequimur, & optamus, præterquam vitam beatam: hæc enim omnium bonorum finis eſt. Res autem ſerias agere, & laborem ſubire, atque perpeti ludi cauſſa, ſtultum videtur, valdeq; puerile. Sed ludere, vt res ſerias agas, & animum ad maiora confirmes, laudandum; vt ſenſit Anacharſis. Requieti enim ludus eſt ſimilis: requiete autem, & laxamento indigemus, quoniam perpetuum laborem ferre, *& quaſi ſaxum Siſyphi continuo voluere*, non poſſumus. *Quare Herculem ferunt cum pueris pila ludere ſolitum, vt animum a moleſtia, & labore recrearet, ſeq; ad præclara facinora obeunda redderet paratiorem.* Non eſt igitur finis requies. Fungendi enim muneris cauſſa quieſcimus, & ceſſamus a laboribus: *quamobrem arcus quoque laxamus interdum, nec perpetuo intentos volumus.* Præterea vita beata ea videtur eſſe, quæ ex virtute exiſtit. at virtus in rebus grauibus, atque ſerijs, non in ludo, neque in ioco poſita eſt. Adhuc meliores eſſe res ſerias ridiculis, ludicriſq; ac iocoſis: ac tum partis animi melioris, tum melioris hominis functionem ſemper eſſe meliorem dicimus: At quo quæque res melior eſt, eo eius muneris functio eſt melior, eoque ad beatam vitam efficiendam plus valet. *magis igitur in rebus ſerijs, & ijs quibus mens incumbit: quam in ridiculis, quibus inferior pars animi capitur, conſiſtit beata vita.* Denique voluptatibus corporis etiam infimus homo, & mancipium non minus, quam vir optimus, & præſtantiſsimus potitur: beatitudinem autem mancipio tribuit nemo, niſi & vitam eidem tribuat cum virtute coniunctam; *quod Epicteto contigit.* Non enim in vita per voluptates corporis traducta beatitudo poſita eſt: ſed in actionibus virtuti cōſentaneis, quemadmodum & ſupra diximus.

S C H O L I A.

NOta, Ariſtotelem in hoc capite primum oſtendiſſe felicitatem non eſſe habitum: poſt eſſe operationem: tertio, eſſe operationem per ſe optabilem: quarto, hanc eſſe ſtudioſam, & ſecundum virtutem. Hoc vero poſtremum probat, quia ſi non ita eſt, quod & ſapientibus videtur: erit ergo in iocis, vt vulgo placet. hoc non eſt admittendum: igitur in functione virtutis, vt ſapientes cenſent, eſt reponenda.

Plurimiſq. laboribus atque malis.] Qualis ergo fuit Pyrrho Epirotæ mens, cum ex continuis bellis, atque conflictibus plenum ſe otium quærere dixit, & ex vino, iociſque perennem delectationem? tot igitur ſe, tantiſq. laboribus frangebat: tot curis & vigilijs angebatur: toties de vita certabat: tantam periculorum molem obibat; quod ob præmium?

vt quaſi puer, vel mente inualidus luderet, & iocaretur.

2 *Quare Herculem ferunt.*] *Lælium, & Scipionem in ruſticatione ſolitos repueraſcere, cum rus ex Vrbe, tanquam ex vinculis, euolaſſent: conchas, & vmbilicos ad Caietæ, Laurentiq. littora legiſſe: & ad omnem animi remiſsionem deſcendiſſe, in 2. lib. de Orat. ſcribit M. Tullius.*

De felicitate in contemplatione poſita.
Cap. VII.

SI igitur beatitudo eſt muneris functio virtuti conſentanea: probabile eſt eam præſtantiſsimæ virtuti debere eſſe conſentaneam. Præſtantiſsima vero in homine virtus eius fuerit, quod in homine eſt optimum: ſiue hoc in homine optimum mens ſit: ſiue aliud quippiam. Quod igitur natura imperare, ac præeſſe debere videtur, atque honeſtarum, diuinarumq. rerum in ſeſe notionem continere: ſiue diuinum ſit hoc ipſum, ſiue eorum quæ in nobis ſunt diuiniſsimum: huius muneris functio a propria virtute profecta, abſoluta erit beatitudo. Hanc autem in contemplatione rerum, eſſe poſitam ſupra diximus: quod quidem & ſuperioribus noſtris diſputationibus, & veritati congruere videtur. Contemplatio enim perfectiſſima eſt muneris in homine functio: quod ſex rationibus confirmari poteſt. Primum quia menti, quæ in homine longe optimum eſt, ineſt: & circa ea occupatur, quæ inter omnia, quæ cognoſci poſſunt, longe ſunt optima: *quod ſint à materia ſegregata.* Deinde, quoniam contemplatio maximè eſt aſsidua. Nam & res aſſiduæ contemplari magis, quam quiduis agere poſſumus. *minus enim mens, quam vlla alia animi facultas, defatigatur, dum ſuo munere fungitur: cum non ſit coextenſa materiæ, nec in organo corporis, vt ſenſus; ſed eo tantum quaſi inſtrumento vtatur. quod niſi a phantaſmatibus defatigaretur, poſſet contemplatio reddi perennis.* Tertio, quoniam beatitudo ita eſt complicata voluptati, vt ſeparari ab ea nequeat: omnium vero virtutis functionum eam, quæ ex ſapientia eſt, iucundiſsimam eſſe, vno omnes ore dicunt. Nam & ſinceriſsimas, & ſtabiliſsimas voluptates ſapientia continet: *Sinceras quidem maxime, quod nullo ſint morbido affectu pollutæ: nec ſint, vt corporis voluptates, cum dolore coniunctæ. tandiu enim voluptas bibendi manet, quandiu ſitis ardor erit. Stabiles quoque eædem ſunt maxime, cum à rebus percipiantur, quæ deficere non poſſunt, nec vllis caſibus iniurijſve ſunt expoſitæ.* Quin etiam ſapientia tanto maiorem virtutibus alijs voluptatem parit: quanto is, qui ſcit, magis delectatur, quam qui quærit. *Cum enim ceteræ virtutes ad ſapientiam dirigantur, tuſsis*

continuo quærere videntur, 3 *iſta inuentis vti, atque frui*. *Iucundiſsima vero eſt veritatis rerum inuentio, quòd noua affert. tum cognitio ipſa eſt per ſe maxime voluptuoſa: nam Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſſas*. Quarto, quoniam contemplatio maxime conferre videtur bonis omnibus, nec alienis indigere. hoc vero eſt eſſe beatum, in ea igitur maxime beatitudo poſita eſt. Eorum ſane, quæ ad cultum vitæ neceſſaria ſunt, & ſapiens, & iuſtus, & reliqui omnes indigent. Sed cum hi eiuſmodi rebus abunde fuerint inſtructi, diuerſimode ſe habebunt in ſuis functionibus. Nam iuſtus, temperans, fortis, ceteriq. in agendo occupati, niſi erga quos, & in quibus functiones ſuas exerceant, nacti fuerint, nihil agere queant. *aliquid itaque deſiderabunt ad beatitudinem*. At ſapiens, etiam ſolitarius, ſecum ipſe contemplatur, *& tunc quidem maxime: nec vnquam minus ocioſus, quàm cum ocioſus*: tantoque magis contemplabitur, quanto fuerit ſapientior. fortaſſe vero id melius efficiet, 4 ſi, quos habeat vitæ adiutores; *eoſque habere præſtiterit*. Ceterum hoc habet ſapiens, vt omnium hominum maxime ſit ſe ipſo contentus. Quinto, nam 3 ſola contemplatio maxime propter ſe diligitur: *quod eſt beatitudinis proprium*. Nihil enim ex ea redit, præter contemplationem, nec aliis ex ea fructus expectatur: ex ijs autem, quæ ſub actionem veniunt, aliquid præter actionem aut plus, aut minus conſequimur: *vt fortis victoriam, liberalis gratiam, prudens eorum, quæ ad finem conducunt, conſequutionem, temperans animi tranquillitatem*: Poſtremo, 4 in otio, & quiete beatitudo ſita eſſe videtur. verſamur enim in rebus gerendis, vt quiete tandem viuamus: & bella gerimus, vt pacem habeamus: at virtutum illarum, quæ ad agendum valent, functiones in ciuilibus, aut bellicis rebus poſitæ ſunt: atque eæ, quæ in his verſantur actiones, negotioſæ videntur eſſe, tumultus, laborum, periculorumve plenæ. Et quidem de bellicis minime dubium eſt, quin omnino ſint ab omni requiete vacuæ. Nemo enim bellum ſuſcipit, & apparat, vt bellum gerat. nam ſanguinarius quidam pænitus, ac impurus, atque ſceleratus videatur, ſi ex amicis hoſtes faciat, vt pugnæ, ac cædes fiant: 5 *quod Pallas Marti exprobrauit apud Homerum*. Hominis quoq. ciuilis adminiſtratio negotij, laboriſq. plena eſt, (*etſi minus turbida, minuſq. periculis obnoxia, quam militaris*) quod ea præter ipſam reipub. curam, & adminiſtrationem, potentiam adhuc, & honores, aut beatitudinem a ratione reipub. gerendæ diuerſam, ac differentem, tum illi, qui rempub. adminiſtrat, tum ciuibus comparat; quam etiam vti diuerſam quærimus. *Nam non contenti præſentibus bonis, maiora ſubinde volumus*. Si igitur ciuiles, bellicæq. actiones omnibus ijs, quæ virtuti conſentaneæ ſunt, actionibus pulchritudine ac magnitudi-

ne an-

no antecellunt: hæ autem ſunt negotij plenæ, finemq. aliquem propoſitum habent, nec ſunt per ſe expetendæ: mentis autem functio cum in contemplatione verſetur, rerum ſeriarum ſtudio videtur præſtare ceteris, & præter ſe ipſam nullum alium finem expetere: ac propriam voluptatem habere: (voluptas autem ſui muneris functionem auget) tum ſi copia bonis omnibus cumulata, nihilq. præterea deſiderans: & libera ceſſandi, ociandiq. facultas: & occupatio defatigationis, quantum res humanæ ferunt, ignara: & quæcumque alia viro beato tribuuntur, in contemplatione inſunt: ſi, inquam, ita eſt: perfecta ſane fuerit hæc a contemplatione potita beatitudo, ſi perfectam vitæ longitudinem adepta ſit. Nihil enim inchoatum vel imperfectum beatitudo admittit. *iuſtam ergo implebit ætatem vir beatus: vt non niſi grandæuus naturæ cedat. nam ſi quis parentum efferatur manibus, communi ſermone non dicatur felix.* Eiuſmodi autem vita contemplationi dedita melior eſt, quam hominis natura ferat: & qui eam viuit, non vt homo ita viuere videtur: ſed qua diuinum quiddam in eo ineſt: *mens videlicet ſubſtantijs ſeparatis, quæ orbes mouent, ſimilis, ac illis ipſis admodum proxima.* Quanto autem hæc particula homini, vt eſt quiddam totum & concretum, antecellit, tanto eius operatio præſtat illi operationi, quæ alijs virtutibus in agendo occupatis conſentanea eſt. *Illa enim virtutes non menti per ſe ſumptæ, verum toti homini, vt eſt concretum quid, atque per phantaſiam, & dianiam agit, conueniunt.* Si igitur mens cum homine comparata diuinum quiddam eſt: vita quoque menti conſentanea diuina ſit, neceſſe eſt, ſi cum humana conferatur. Quod ſi tanta eſt mentis præſtantia, vt homines proxime euehat ad Deos: non eſt probandum eorum conſilium, qui homines, & mortales cum ſimus, humana & mortalia nos ſapere, atque ſectari præcipiunt. Sed potius enitendum, vt nos ipſos, quo ad fieri poteſt, à mortalitate vindicemus, ac nobiliſsima noſtri parte viuamus. Hæc enim, etſi mole parua eſt, & magnitudinis expers, poteſtate nihilominus & honoris gradu lõge alijs hominis partibus antecellit. Hæc ipſa vnuſquiſque noſtrum eſſe videtur, *ipſeq. homo mens recte dicatur: ſiquidem, etſi homo ex animo & corpore coaleſcat, appellatio tamen a nobiliori parte ſumitur:* mens autem, quia principatum obtinet, nobilior eſt. Abſurdum igitur fuerit, ſi quis non ſuam, ſed alienam ſequatur vitam, *& contemplationem deſerat.* Denique, vt antea diximus, quod cuiuſque proprium eſt natura, idem & optimum illi eſt, & iucundiſsimum. Ergo & homini optima ea vita eſt, & iucundiſsima, quæ menti conuenienter traducitur: ſiquidem hæc pars homo eſt maxime. Hæc igitur vita in contemplatione poſita eſt beatiſsima.

SCHO-

SCHOLIA.

1 *Iſta iuuentis vti.] eſt enim ſapientia flos omnium ſcientiarum, eaſq. vna cum habitu primorum principiorum complectitur: ſimulq. principia intuetur, & ea quæ deducuntur ex principijs.*

2 *Si quos habeat vitæ adiutores.] homo enim eſt, & victu, atque cultu habet opus: ſuntq. ei ad vitam neceſſaria ſuppeditanda.*

3 *Sola contemplatio maxime propter ſe diligitur.]* Maxime *inquit: nam etiam functiones virtutum, quæ verſantur in rebus agendis, propter ſe ipſas expetuntur, perſiſtendo in illo vitæ genere, quod ciuile appellatur. Verum ſi cum contemplatione eæ conferantur, non tam propter ſe expeti videntur, quam illa. nam ad ſtatum contemplationis eæ diriguntur, vt imperfectum ad perfectum. Et quamuis ex contemplatione tranquillitas animi ſemper, honos & diuitiæ ſæpe proueniant: ex euentu id eſt; nam contemplatio ad ea non dirigitur. at reipub. adminiſtratio ad honores, opes, potentiam, fortitudo ad victoriam natura ſua feruntur.*

4 *In otio, & quiete beatitudo ſita eſſe videtur.] An non igitur in functione muneris? hoc vero ſupradictis aduerſatur, cum virtutem otioſam non ſufficere ad beatitudinem affirmauit. Sed explica,* in otio & quiete, *hoc eſt in functione minime negotioſa, vel ſtrepitus, atque tumultus plena, qualis eſt ciuilis functio, animum perpetuo vexans, & diſtrahens.*

5 *Quod Pallas Marti exprobrauit.] Horat. in eundem;* Heu nimis longo ſatiate ludo: Quem iuuat clamor, galeæq. læues, Acer & Mauri peditis cruentus vultus in hoſtem. *Hæc enim oblectamenta ſunt, deliciæque efferatorum hominum.*

6 *Quanto autem hæc particula.] forma non eſt nobilior toto coniuncto: nec mens eſt homine melior. homo enim non eſt ſine mente. Verum ſi quod in homine præter mentem extat, conſideres, vt inferiorem animi partem, ſenſum, & materiam: dices mentem eſſe homine, qua materia eretus eſt, & ſenſibus, ac æſtimanti facultati addictus, multo meliorem.*

7 *Si cum humana conferatur.] Vita igitur per contemplationem traducta non eſt plane diuina: ſed humanæ collata, ob excellentiam diuinitatis quandam ſpeciem habere videtur. Talem porro vitam Paulus, Antonius, Hilarion in Eremis egere: ſuntq. hodie non pauci eorum imitatores. Porrò Anniceris Cirenæus, hoc ipſum odoratus, acuto commento Platonem Aeginam tempeſtate delatum, & quod Athenienſis foret, ex lege occidendum, ſeruauit: aſſerens, legem in homines latam eſſe, non in Heroas. Philoſophos enim medios eſſe inter homines, atque Deos.*

8 *Non eſt probandum eorum conſilium.] Solonis forte, vel Simonidis;*

dis: quos ſequutus Horat. Quid æternis, *ait*, minorem conſilijs animum fatigas?

De felicitate in agendo poſita. Cap. VII.

POſt eam, quæ a contemplatione percipitur, felicitatem, [1] ſecundum locum illa obtinet, quæ virtuti in agendo poſitæ conſentanea eſt. Muneris enim functiones virtuti eiuſmodi conſentaneæ humanæ ſunt. Nam iuſtitiæ, fortitudinis, aliarumq. virtutum muneribus inter nos fungimur, in pactis conuentis, & rebus contrahendis: atque in neceſſarijs, & difficilibus tum noſtris, tum aliorum temporibus, varijſq. vſibus & actionibus: ac demum in perturbationibus: id quod decet, vnicuique tribuentes, atque decorum in omnibus conſeruantes. Hæc porro omnia, *quod ab homine, vt eſt ex animo & corpore compoſitus, emanant*, videntur eſſe humana. Nonnulla vero a corpore videntur proficiſci, *quales ſunt virtutes naturales:* multiſque in rebus virtus morum cum perturbationibus coniuncta eſt. *Alÿ enim ad fortitudinem ſunt natura idonei ob eas animi affectiones, quæ ad audendum in rebus terribilibus inuitant: alÿ ad temperantiam, alÿ ad liberalitatem ob affectiones, quas natura indidit, virtutibus eiuſmodi affines.* Quin prudentia cum virtute morum, & hæc cum prudentia copulata eſt: ſiquidem prudentiæ principia ex virtutibus morum conſtant: & quod recti in virtutibus morum ineſt, prudentia moderatur, *vt ſupra lib. 6. declarauimus.* Cum autem virtutes morum ſint perturbationibus quoque implicatæ: in eo etiam, quod ex animo, & corpore conflatum eſt, inerunt. At eius, quod compoſitum, & concretum eſt, virtutes humanæ ſunt: ergo & vita illis conſentanea, beatitudoq. ab ijſdem promanans humana erit. Mentis autem beatitudo ſeiuncta eſt: de qua nobis hactenus dictum ſit. Nam ſubtilius, exquiſitiuſque de ipſa diſputare, maioris negotij videtur, quam illud, quod nobis propoſitum eſt. Videatur autem illa & externorum bonorũ copia parum admodũ egere, aut minus, quam ea beatitudo, quæ moribus continetur. Demus enim rebus ad victum neceſſarijs vtrique opus eſſe, & quidem æqualiter: (quamuis in corpore, ceteriſq. huius generis magis elaborat is, qui ſe ad rempub. contulit) parum enim id referat: ſed ad muneris functionem multum refert. Liberali enim pecunia opus erit ad actiones liberales: & iuſto ad rerum creditarum ſolutiones: (obſcuræ ſunt enim hominum voluntates, multique, etiam qui non ſunt iuſti, ſimulant ſe res iuſtas agere velle, nec eas perficiunt: *quare functionibus iſtis externis opus eſt)* viro forti autem copijs, & potentia

erit opus, ſi quid virtuti ſuæ conſentaneum eſt effecturus: ac demum temperanti peccandi licentia. Alioqui quomodo ſciri poterit, ſit ne talis, an quidam alius? *porro habitus ex operatione dignoſcitur: nec quis habitum ſe conſequutū eſſe ſcire poſsit, niſi eū delectatione operetur, vt lib.2. horum ſermonum diximus*. Quæri autem ſolet, Vtrum in virtute exprimenda electio magis, an actio dominetur: proinde quaſi virtus in vtriſque conſiſtat, *nec bene deliberaſſe ſit ad virtutis laudem ſatis*. Minime igitur obſcurum illud eſt, in vtriſque perfectionem virtutis eſſe ſitam. Ad actiones autem multa deſiderat, tantoque plura, quanto eæ fuerint maiores, & pulchriores. *Quare multis eget rebus extra hominem poſitis hac ab actione beatitudo.* Ei autē, qui res animo cernit, & contemplatur, ad ſui muneris functionem nullis talibus opus eſt: immo vero ei ſunt potius impedimento. *Sed nihilominus homo eſt.* Qua igitur talis eſt, & cum pluribus vitæ conſuetudine iungitur, ſtudet etiam ea, quæ virtutibus morum, & prudentiæ conſentanea ſunt, agere. Quibuſdam itaque rebus egebit, vt cum hominibus conſuetudinem colat, & humaniter, ſiue vt hominem decet, viuat. Perfectam vero beatitudinem functionē quandam eſſe in rerum contemplatione poſitam, etiam ex hoc intelligere licet, quod Deos feliciſsimos, beatiſsimosq. arbitramur. Quas autem illis actiones tribuamus? iuſtas ne? at ridiculi videantur, ſi inter ſe contrahant, depoſitum reddant, ceteraq. id genus faciant. an fortes, vt res formidoloſas ſubeant, ac perferant, quia id facere honeſtum ſit? an liberales? cui vero donabunt? abſurdum autem ſi apud eos erit etiam nummus, aut aliquid tale. Iam vero vtrum erunt temperantes? at inepta, & contumelioſa laus iſta Dijs futura eſt, *ſi quaſi vulgares homines*, quod vitioſis cupiditatibus careant, laudentur. Quod ſi omnia, quæ in actionibus verſantur, perſequamur: exigua ſane, Dijſq. indigna, minuſq. illis tribuenda reperiemus. Atqui nemo eſt qui eos viuere non exiſtimet: ergo & aliquo munere fungi. Non enim oportet eos dormientes fingere, vt *in Lyciæ montibus Endymionem*. Ei igitur, qui viuit, *nec dormit*, ſi actio, multoq. magis ſi effectio adimatur, quid præter contemplationem relinquitur? Quocirca Dei functio ea, quæ beatitudine excellit, in contemplatione conſiſtit. Ergo & humanarum functionum vt quæque Dei contemplationi ſimillima eſt, ita ad beatam vitam conſtituendam plurimum valet. Adhuc tam late patet beatitudo, quam contemplatio: cum quæ ſunt contemplationis expertia, vt iumenta, non ſint capacia beatitudinis. Dijs enim omnis vita beata eſt: *quia perpetuo contemplantur*: hominibus autem quatenus aliquod eius functionis habent ſimulacrum: Reliquorum vero animantium beate viuit nullum, quoniam nulla eſt eis contemplationis communitas.

nitas. Eodem igitur contemplatio, beatitudoq. pertinent: & qui magis aſſidue contemplantur, ſunt beatiores: neque id ex euentu, ſed ex ipſa contemplatione. Ea enim per ſe magni pretij eſt, magnoq. honore decoranda. Itaque beatitudo erit contemplatio quædam. Verum opus erit beato proſperitate externa, cum ſit homo, velitq. vitam tueri. Non enim ſuis ipſa bonis ad contemplandum natura contenta eſt: ſed & bonam corporis valetudinem, & victum, atque reliquum vitæ cultum deſiderat. Non tamen ex ijs multa, & magna vir beatus deſiderabit. Copia enim bonis omnibus cumulata, *qualis ad felicitatem requiritur*, in nimio poſita non eſt: neque ab exuperantia copiæ iſtiuſmodi bonorum de illa iudicium faciendum eſt: neque beatitudinis functio nimiam eorũdem vim poſtulat: fieriq. poteſt, vt etiam ij, qui terræ, atque maris imperium non habent, res agant honeſtas, atque præclaras: ac liceat homini mediocribus bonis inſtructo, quæ virtutis propria ſunt, agere. Atque hoc liquido apparet. Priuati enim homines non minus, quam ciuitatum principes res æquitati, omniq. virtuti conſentaneas agere videntur: atque adeo magis. Satis autem eſt iſtorum bonorum tantum ſuppetere, quantum honeſtæ actiones poſtulant. beate autem ille viuat, qui muneribus fungatur virtuti conſentaneis. Quare non male Solon fortaſſe pronunciabat eos beatos, qui bonis externis mediocriter inſtructi, res, quas arbitrabatur honeſtiſsimas, geſſerunt, ac temperanter vixerunt. Fieri enim poteſt vt ij, qui mediocria bona poſsident, agant ea, quæ ſunt agenda. Anaxagoras quoque huius mentis fuiſſe videtur, cum ait, mirum ſibi non futurum, ſi, *quod rem familiarem ob ſapientiæ ſtudium perdidiſſet*, multitudini videatur ineptus. hæc enim indicant Anaxagoram neque in diuitijs, neque in potentia beatitudinem collocaſſe. Multitudo autem ex rebus externis iudicat, propterea quod ſenſu ducitur: ſenſus vero externa tantum percipit. *quare illius iudicium non eſt attendendum*. Atque his rationibus *duorum, quos nominauimus*, ſapientum opiniones congruere videntur: quæ tum ratione ipſa fidem faciunt: tum etiam factis. Vbi autem de ijs, quæ ſub actionem veniunt, quæritur: ex factis, & vita veritas maxime iudicatur. in his enim veritatis ad actionem ſpectantis firmitudo poſita eſt. Ita igitur ea, quæ ante diximus, ſpectare oportet, vt ſingulorum dicta ad eorundem facta, vitamque referamus: & ſi cum factis conſenſerint, probanda ſunt: ſin diſſentiant, & diſcrepent, verba ſunt cenſenda. *Solon autem, & Anaxagoras, quod de mediocritate bonorum externorum ad felicitatem conficiendam protulerunt, facto ipſo comprobarunt. vere igitur loquuti videntur*. Qui vero mentem colit, & muneribus fungitur illi conſentaneis, eſtque optime animo affectus, eum Deo ca-

riſsimum eſſe, exiſtimandum. Nam ſi Dijs vlla eſt rerum humanarum cura, vt videtur? illud quoque probabile fuerit, eos re omniũ optima, ſibiq. maxime cognata delectari:(hæc autẽ mens eſt) ijsq., qui hanc maxime diligunt, & plurimi faciunt, præmia perſoluere, gratiamque referre, vt eorum,quæ ipſis curæ ſunt, curam gerentibus, rectaſq. actiones obeuntibus.Hæc autem omnia in viro ſapiente maxime ineſſe, non eſt obſcurum. Eſt igitur ſapiens Deo cariſsimus. Eundemq. beatiſsimum eſſe veriſimile eſt.

S C H O L I A.

1 *SEcundum locum illa obtinet.*] *De ſapientia & prudentia, vtra ſit alteri præferenda, multi ſcripſere. Dixerim ſapientiam eſſe nobiliorem: prudentiam vero in hac vita magis neceſſariam, magiſq. fœcundam. Audi Nazianzenum orat. pri. in Iulianum.* Cum tota Philoſophia in partes duas,hoc eſt in contemplationem,& actionem diuiſa ſit; quarum altera, vt ſublimior, ita perceptu difficilior, altera humilior illa quidem & abiectior, ceterum fructuoſior: apud nos vtraque alterius ope & adiumento floret. *Maximus Tyrius binos edidit hac de re ſermones quaſi in iudicio ſibi inuicem aduerſantes: qui non ſine magna voluptate, atque vtilitate legantur.*

2 *Ac demum temperanti peccandi licentia.*]*nam,vt aiebat Antiphon,* Non eſt temperans, cui campus deeſt exercendæ intemperantiæ.

3 *Iuſtas ne?*] *Hæc, & ſimilia in homine laudantur,qui auare,abiecte,intemperanter agere poteſt: cuiq. magnum eſt,in ijs recte ſe gerere. At eiuſmodi perturbationibus non afficitur Deus. nec igitur, quod ijs careat, laudandus. Id enim eum homini æquare eſt.*

4 *Cum ait, mirum ſibi non futurum.*] *Ita Euſtrat. nec male. Ceterum ex lib. ad Eudemum conſtat, Anaxagoram interrogatum, quis eſſet beatiſsimus, reſpondiſſe; Non is quem tu exiſtimas; ſed qui tibi abſurdus quidam, & a beatitudine valde alienus videatur.*

Huius ſcientiæ finem eſſe actionem: iuuentutem diligenti opera inſtrui debere: vſum arti, artem vſui eſſe adiungendam.

Cap. vltimum.

CVm igitur de prudentia, & ſapientia, tum de ceteris virtutibus, ac præterea de amicitia, & voluptate ſatis copioſe a nobis dictum ſit, earumque omnium formæ quodammodo adumbratæ: num diſputationi, quam de beata vita ſuſcepimus, cumulate ſatiſfeciſſe videmur? An quemadmodum dicitur in ijs,quæ ſub actionem veniunt,

veniunt, finem non eſſe vnumquicque cernere, & cognoſcere, ſed agere potius: ſic neque virtutem cognitam habere ſatis eſt, ſed vt ea potiamur, & vtamur, conandum, vel alia aliqua via, vt boni ſimus, enitendum? Si igitur verba per ſe ſatis valerent ad bonitatem, virtutemq. comparandam:

Et multum & magnum iure ferant pretium,

vt ait Theognis: atque vnicuique in eo eſſet laborandum, vt magnam ſibi verborum copiam pararet. Nunc autẽ videntur illa quidẽ ad ingenuos, bonæq. indolis adoleſcentes [1] ad virtutem cohortandos vim habere: ingeniumq. generoſum, & honeſti vere ſtudioſum docile ad virtutem reddere, eiuſq. amore inflammare poſſe: vulgus vero ſuopte ingenio tardum, & indocile, *quod acrioribus egeät ſtimulis*, ad honeſtatem, & probitatem excitare non poſſe. Non enim eius eſt naturæ, vt pudore contineatur a turpibus; ſed potius vt metu coerceatur, atque ſupplicijs. Nam cum vitam ſuam perturbatione dirigit, & moderatur: tum voluptates ſibi proprias, & illas, quæ eiuſmodi voluptates pariunt, conſectatur: dolores eis contrarios fugit: honeſti autem, vereq. iucundi ne notionem quidem animo concepit, quod eam non guſtauerit vnquam. Tales igitur homines quæ ratio corrigere, aut à vitio ad virtutem traducere queat? Non enim fieri, aut certe vix fieri quidem poteſt, vt quæ iam pridem moribus concepta ſunt, & aſſuetudine firmata, oratione deleantur: atque præclare nobiſcum agatur, ſi cum omnia nobis ſuppetant, quibus boni fieri ſolemus, virtutem adipiſci poſſimus, *ad quam*

Ardua ſaxoſo perducit ſemita cliuo.

Bonos autem fieri, ſeu virtutem comparari putant alij natura, alij conſuetudine, alij doctrina. Porro quod a natura tribuitur, in nobis non eſt ſitum: ſed ab aliqua diuina cauſſa profectum ineſt in ijs, qui, *quod ſine labore boni euaſerunt*, re vera ſunt fortunati: *quod ſi hoc non eſt in nobis poſitum, qui non ſunt natura boni, non poſſunt naturæ beneſitio boni fieri*. Nec etiam doctrina per ſe ſumpta id conſequi poſſumus. Nam oratio & doctrina non peræque in omnibus valent: ſed oportet animum auditoris, vt humum, quæ ſemen ſuſceptura, & nutritura eſt, conſuetudine ante ſubigi, & excoli, vt lætetur, quibus eſt lætandum: doleat, quibus eſt dolendum. homo enim perturbationibus mancipatus [2] nunquam ſit eum patienter auditurus, qui orationem, vt eum a vitijs reuocet, inſtituit. At eum, qui ita ſit affectus, quæ oratio de ſententia dimouere poſſit? Neque enim orationi cedere videtur perturbatio: ſed vi potius ſit cogenda. Mores igitur quodammodo ante doctrinæ hauſtum inſint oportet ad virtutem accommodati, *vt eiuſdem ſemina frugem ferant. Quare ad tertium ferendæ virtutis modum deueniendum, qui in aſſuetudine poſitus eſt.*

tus eſt. Aſſuetudo autem educatione continetur. quare à pueris in eam potiſsimum eſt incumbendum. A puero autem ad virtutem inſtitui difficile eſt ei, qui ſub legibus ad virtutem inſtituentibus non educatur. Temperanter enim & patienter viuere, atque labores tolerare, cum multitudini ſit iniucundum, tum iuuenibus maxime. Itaque ſtudia, exercitationes, omnemq. educationem legibus deſcribi neceſſe eſt. Non enim eiuſmodi diſciplina, adhibita conſuetudine, moleſta futura ſit: *cum ea ſit vis conſuetudinis, vt res aſperas aſpergat ſuauitate. Non eſt igitur committendum, vt parentes arbitratu ſuo liberos inſtituant: ſed legibus educatio, inſtitutioq. definiantur, oportet.* Fortaſſe autem non ſit ſatis pueros, & adoleſcentes, quandiu in ea ſunt ætate, recte educari, & diligenter inſtitui: ſed adhuc corroboratis iam ætatibus, & in omni vita legibus fuerit opus, ea, quæ in pueritia, & adoleſcentia didicerunt, ſtudioſe tractari, atque perfici iubentibus. Magna enim pars hominum neceſſitati potius, quam orationi paret, & pœnis magis, quam honeſto commouetur. Quare in legibus ferendis ita progrediendum nonnulli cenſent, vt primum honeſtatis pulchritudine propoſita homines ad virtutem cohortentur, nulla conſtituta pœna in violatores: proinde quaſi viri boni more, & conſuetudine ſint legibus obtemperaturi. tum ſi qui appareant contumaces, neq. legibus pareant, & ad virtutem, atque officium natura fuerint inepti, pœnæ addantur, ſupplicia ſtatuantur. 3 poſtremo inſanabiles exterminentur, ac de repub. tollantur. Nam virum bonum, & eum, qui honeſti regula functiones ſuas dirigit, orationi obtemperaturum credibile eſt: vitioſum autem, atque improbum, quando voluptatem vehementer expetit, *nec ab ea ſine vi auellitur,* dolore atque plagis, vt iumentum caſtigandum, & coercendum. Atque ob hanc cauſſam pœnas ita ſtatui debere dicunt, vt eæ dolores illos potiſsimum inurant, qui voluptatibus, quas ipſi amant, & perſequuntur, ſunt contrarij: *V. g. vt inediam crapulæ, laboris tolerantiam mollitiei, bonorum largitionem auaritiæ indicant.* Quod ſi eum, qui vir bonus futurus eſt, oportet primum bene eſſe educatum, & rebus honeſtis aſſuefactum: deinde honeſtis ſtudijs teneri, *& quæ in adoleſcentia didicit, tractare, atque exercere:* poſtremo neque inuitum, neque volentem res malas, & flagitioſas admittere: hæc autem obtinere poterunt ij, qui mentem aliquam ſequuntur vitæ ſuæ ducem, rectumq. ordinem ab ea præſcriptum, qui tamen viribus armatus ſit, atque inſtructus *ad cogendum:* ſi hæc inquam vera ſunt, ſequitur in paternis iuſſionibus nullam ſatis magnam vim, aut neceſſitatem ineſſe, neque omnino vnius viri præceptionem, niſi rex ille ſit, aut regi ſimilis, ad eiuſmodi rectæ educationis neceſſitatem

imponen-

imponendam valere: ſed legem eiuſmodi eſſe, quæ cogere poſſit, cū
ſit ratio ab aliqua prudentia, & mente profecta, *& ab habente po-
teſtatem confirmata. Pulchrum humani ingenij inuentum, & ad vi-
tandam inuidiam aptiſsimum.* Nam eos quidem homines, qui impro-
borum hominum cupiditatibus, & appetitionibus aduerſantur, etiā
ſi hoc recte faciant, in odio nihilominus eſſe videmus. at lex cum
æquum & bonum præſcribit, minime grauis, vel odioſa eſt, nec vl-
lus cum ea inimicitias gerit. *Nam ſi ab homine plecteris, ſuſpicio
ſubeſſe poſsit, ne is perturbatione aliqua commotus id faciat. at in le-
ges nulla eiuſmodi cadit ſuſpicio, quod vacent affectibus, ſint natura
ſua implacabiles, nulloq. vel amore, vel odio poſsint irritari. Quare
videmus plerumque legumlatores ab ijs, quibus leges dederant, ciuita-
tibus ſponte deceſsiſse, multorum annorum peregrinatione ſuſcepta:
vt eorum, qui in leges committebant, ac pœna multabàntur, odium vi-
tarent.* [4] In ſola autem Lacedæmoniorum ciuitate, ac paucis alijs,
lator legum educationis, atque *puerilium iuueniliumq.* ſtudiorum
curam habuiſſe videtur: in plurimis hæc neglecta ſunt, viuitq. ſuo
quiſque arbitratu more Cyclopum, *de quibus Homerus:*

Vxorem, & natos priuata lege gubernans.

Optimum igitur eſſet, ciuium inſtitutionem communiter ab omni-
bus, & quidem recte procurari; atque diligentiam adhibere, vt in-
cepta perficerentur. Quod ſi hæc communiter, & publice negligan-
tur, *neque leges, vel mores adſint, qui hæc præcipiant:* vnicuique con-
uenire videatur, ſuis liberis, & amicis ad virtutem comparandam
opem ferre, aut certe in hoc toto animo incumbere. præcipue au-
tem hoc efficere poſſe videtur is, qui præceptis a nobis traditis in-
ſtructus, adhuc legum ferendarum ſcientiam fuerit conſequutus.
Nam cum inſtitutionis, & diſciplinæ publicæ procuratio perſpicue
legibus continetur: tum ea bona inſtitutio eſt, quæ bonis contine-
tur, & dirigitur. Vtrum autem ſcriptæ ſint leges, an non ſcriptæ,
ſed hominum memoriæ commiſſæ, quales Lacedæmoniorum ſunt, nihil
ad rectam inſtitutionem refert. *vtro enim modo latæ ſint, prodeſt.*
Neque etiam intereſt, vtrum his legibus plures, an vnus inſtituan-
tur: quemadmodum neque in muſica, neque in arte corporum exer-
cendorum, ceteriſq. inſtitutionibus. Quare vt in ciuitatibus leges,
& inſtitúta: ſic & in familijs priuatis oratio paterna, & mores va-
lere poſſunt, *etſi careant vi cogente ad obtemperandum*. Certe ob ge-
neris communitatem, & beneficia [5] magis parentum cohortatio-
nes, & exempla proſunt *aliquando*, quam publicæ leges. Nam filij
cum iam ante parentes diligant *ob conſuetudinem, & beneficiorum
acceptorum magnitudinem:* ſintque ad ijs parendum faciles, flexi-
bileſque natura: [6] *commodius hac domeſtica norma, quàm nudis le-*

gibus

gibus inſtitui poſſunt ad virtutem. leges præterea, cum in vniuerſum præcipiant, forte non erunt ſingulorum ingenijs, quæ diuerſa ſunt, accommodatæ. differunt igitur ſingulares, & priuatæ inſtitutiones a communibus: vt in medicina euenit. Vniuerſe enim ei, qui febri laboret, quies & inedia vtilis eſt: alicui autem fortaſſe ſit inutilis. Et pugilum magiſter non in eodem pugnæ genere diſcipulos omnes exercet. Videatur autem ille limatius, & exequiſitius naturam rei ſingularis perſequuturus, ſi vniuerſis præceptionibus minime contentus, priuatam diligentiam adhibeat, & quid huic, quid illi conueniat, diligenter diſpiciat. ita enim quod ſibi opportunũ eſt, vnuſquiſque magis conſequitur. *Teneat igitur in vniuerſum legum ferendarum ſcientiam is, qui leges ferre vult: ſed adhuc ſingularium cognitioni det operam, qua experientia dicitur, medici, & aliorum exemplo.* Nam medicus, & exercendorum corporum magiſter, & quiuis alius optime ſingulorum curam & rationem habuerit, qui genus vniuerſum tenuerit: v g. hoc vel omnibus, vel talibus eſſe vtile: *vt frictiones in vniuerſum omnibus ante cibum, ni febris, vel aliqua alia corporis moleſtia adſit, conferre: exercitationes quoque ante cibum valentibus, aut e morbo conualeſcentibus prodeſſe.* Rerum enim communium atque vniuerſarum, & dicuntur, & ſunt ſcientiæ. *Qui vult igitur omnibus, aut plurimis mederi, vniuerſorum ſcientiam habeat, neceſſe eſt.* Veruntamen nihil fortaſſe prohibet, quo minus etiam is, qui eiuſmodi ſcientia careat, vni alicui pulchre conſulat, ſi per experimenta diuerſorum euentuum edoctus, accurate, quod factum ſæpius eſt, perſpexerit. id enim præſtat vſus, qua ratione videmus nõnullos, cũ alteri mederi, *aut medendi artem profiteri* nequeãt, ſibi tamen ipſos in morbis optime ſubuenire, 7 *quod in ſe ipſis & morbi, & medicinæ vires non ſemel fuerint experti.* Ceterum ei, qui bonus artifex, & ad res percipiendas, & cõtemplandas idoneus effici vult, atque rem totam a ſuis principijs animo comprehenſam habere, non eſt in ſingularibus inſiſtendum: ſed progrediendum ad genus vniuerſum, atque in illo cognoſcendo, quo ad eius fieri poterit, elaborandum. In vniuerſis enim ſcientias occupari diximus. Fortaſſe autem ei, qui vel multos, vel paucos cura, & ſtudio velit efficere meliores, opera danda ſit, vt legum ferendarum ſcientia valeat, ſi leges hanc habent vim, vt per eas boni fieri poſſimus. Non enim cujuslibet hominis eſt quemlibet, & eum, qui erudiendus ei traditus eſt, recte conformare: ſed ſi alicuius eſt, profecto ſcientis eſt: velut in medendi arte, ac ceteris, quarum cura aliqua & prudentia eſt. Nũquid igitur noſtrum eſt, hominem, vt legibus ferendis ſit idoneus, inſtituere? an potius hoc ab ijs præſtandum, qui reſpub. adminſtrãt: ſicut in ceteris quoque *ratio, & ſcientia efficiendi, aliqua ab ijs petitur,*

tur, qui illa ipſa efficiunt? Ciuilis autem prudentiæ pars eſſe videbatur legum ferendarum facultas. Sed aliter ſe res habet in ciuili diſciplina, & reliquis ſcientijs, & facultatibus. In his enim eoſdem videmus artem, & facultatem agendi tradere, & artis facultatiſque muneribus fungi: vt medicos, & pictores: at reipub. ad miniſtrandæ ſcientiam Sophiſtæ profitentur: eorum autem rempub. tractat nemo, ſed ij, qui in ea regenda verſantur. Atque hi, *cum ſcientia careãt*, vi, & facultate quadam, atque vſu magis, *ac temere* hoc agere videri poſſint, quam ratione, atque mentis agitatione. Argumento autem eſt, rem ita ſe habere. quod illi neque ſcribunt de ratione gerendæ reipublicæ: neque de talibus rebus ſermonem habent (atqui pulchrius erat fortaſſe hoc facere, quam orationes iudiciales, aut conciones ſcribere, *vel accuſationes, defenſioneſq. factitare. & ad eiuſmodi inania fere ſtudia ſe conuertere.*) neque vel filios, vel vllos alios ex amicis ſuis ad Rempub. gerendam aptos reddiderunt: quod quidem probabile, & conſentaneum erat eos fuiſſe facturos, ſi vlla id ratione conſequi potuiſſent. Nam neque quicquam melius ciuitatibus ſuis reliquiſſent: neque aut ſibi, aut amiciſsimis quicquam hac facultate præſtantius exoptare potuiſſent. *Qui igitur reſpublicas capeſſunt, vſu potius quam ſcientia id efficiunt.* Veruntamen vſus, & exercitatio non parum videntur valere. his enim ad rempub. gerendam aptiores reddimur. quamobrẽ credibile eſt ijs, qui aliquid de repub. adminiſtranda ſcire cupiũt, præter ſcientiam adhuc vſu opus eſſe. Sophiſtæ vero qui hanc facultatem ſe tradituros pollicẽtur, ab ea tradenda longiſsime videntur abeſſe. Omnino enim neque quid ipſa ſit, neque circa quæ occupetur, norunt. Nam ſi ſcirent, non eandem cum dicendi arte facerent, vel etiam ea deteriorem ſtatuerẽt: neque putarent facile eſſe ferre leges ei, qui leges omnium conſenſu receptas collegiſſet: quoniam, inquiunt, præſtantiſsimas legere licet. quaſi vero delectus non ſit intelligentiæ opus; aut quaſi recte iudicare non ſit perdifficile, maximeq. arduum: quemadmodum in ijs quæ ad muſicam pertinent, perſpicitur. *Hæc enim, etſi ſenſu percipiuntur, ſunt nihilominus iudicatu difficilia. quanto igitur magis in ijs id erit, quæ mente comprehenduntur? Peritia igitur opus eſt ad iudicium de re aliqua faciendum.* Nam qui cuiuſque rei vſu periti ſũt, & rerum ſingularium periculum fecerunt: tum de artis operibus recte iudicant, tum quibus rebus, aut quomodo ea, quæ effici debẽt, efficiantur, & qualia qualibus conueniant, recte norunt. Imperitis vero magnum videtur ſcire tantum, recte ne, an perperam opus cõfectum ſit: *modum vero, & rationem rei conficiendæ non tenent:* quẽadmodum fit in pictura. Leges autem ciuilis facultatis opera videntur eſſe. Quonam igitur pacto ſine ciuilis facultatis vſu ad leges fe-

rendas

rendas idoneus effici queat, aut quæ nam illarum optimæ ſint, iudicare? Nam ne medicinæ quidem ſatis periti euadimus ex commentariorũ lectione, *ni accedat vſus*; etſi tradant illi non ſolum curationum genera; ſed & quibus remedijs ægri curentur, & quemadmodum conficere medicinam oporteat, & omnino de cuiuſque habitudine corporis diſtincte diſſerant. Sed hæc vſu peritis, & expertis vtilia videntur eſſe: ijs autem qui artem non didicerunt, inutilia & infructuoſa. Fortaſſe igitur in ciuili quoque facultate, & omni eorum numero, qui legum, & rerumpublicarum genera collecta habent, ijs quidem, qui animo cernere, ac iudicare poſſunt, quid bene, quid perperam conſtitutum ſit, & qualia qualibus congruant, hæc obſeruatio vtilitatem afferre poterit. qui vero eadem ſine habitu animi, atque ſcientia, vel peritia vſu collecta perſequuti fuerint, recte iudicandi facultatem nunquam ſibi comparabunt: niſi forte temere, & aliquo caſu. intelligentiores autem ceteris, *qui nec vſum, nec ſcientiam habent*, eſſe poterunt. *at hoc parum conducit.* Cum igitur qui ante nos fuerunt, legum ferendarum rationes exquirere, atque inueſtigare omiſerint: *hanc vero tradere nec ſophiſtæ, nec ciuitatum rectores valeant, quod hi ſcientia vniuerſorum, illi* [3] *tum ſcientia, tum vſu careant*: operæpretium fortaſſe faciemus, ſi ipſi de legibus ſcribendis, ac de omni reipub. adminiſtrandæ forma attentius commentemur *(philoſopho namque id incumbit)* vt quantum in nobis eſt, tota, quæ ad res humanas, & mortalium functiones pertinet philoſophia, perfecta ſit. Qua in tractatione ita progrediemur, vt primum ſi quid ſcitu dignum hac de re a veteribus ſingillatim litteris conſignatum eſt, id perſequi conemur: deinde vt rerumpublicarum formis collectis, videamus quibus rebus ciuitas ſeruetur, quibus intereat: & quas ob cauſſas hæc quidẽ recte, illa vero ſecus adminiſtretur. Vbi vero hæc diligenter perſpecta fuerint, fortaſſe melius intelligere poſſimus, qui ſit optimus reipub. ſtatus: & quibus inſtitutis, atque legibus vnaquæque reſpub. inſtituenda ſit, *vt ſuam formam tueatur.* Exordiamur itaque dicere.

SCHOLIA.

1 AD virtutem cohortandos vim habere.] Eiuſmodi indolem in Polemone inſpicere eſt: qui temulentus in Xenocratis ſcholam, vt ei illuderet, ingreſſus, continuo graui eiuſdem oratione ad ſanitatem reuocatus eſt: fuitq. poſtea modeſtiæ, atque ſobrietatis exemplum.

2 Nunquam ſit eum patienter auditurus.] Immo eum, a quo monetur, fugiet, vt molles homines ſecti a medico fugiunt interdum dolore victi, non expectato lenimento. hi a ſectione, illi ab admonitione nullam ferunt vtilitatem.

3 Poſtremo inſanabiles exterminentur.] Mors igitur, & perpetuum

exilium, ſeu deportatio non ſunt ijs iniungenda, qui etſi grauiter deliquerint, ſpem nihilominus præbent correctionis. hoc inquam ex Ariſtotelis ſententia.

4 *In ſola autem Lacedæmoniorum ciuitate.*] *Idem 4. Polit. Sed grauiter peccant reliqui. Plato lib. 4. de Repub. ſtudium omne circa pueritiam, & adoleſcentiam ponendum præcipit, tanquam circa meſſis vrbanæ ſementem. Idem primo de Repub. docet, ſtultos eos eſſe, qui filijs diuitias cogunt: illos vero ita educare, vt diuitijs bene vtantur, non curant. Crates Thebanus aiebat, ſe, ſi ex altiſsima turri omnes mortales ita alloqui poſſet, vt audiretur, hoc ſolum vociferaturum:* Quò quò mortales ruitis, qui maximum in pecunijs conficiendis ſtudium ponitis: filiorum vero, quibus eas paratis, nullam curam habetis. *addit in lib. de liberis educandis Plutarchus, hos non melius ijs facere, qui magnopere ſunt de calceis ſolliciti, cum pedem interim paruipendant.*

5 *Magis parentum cohortationes, & exempla proſunt aliquando.*] *additum* aliquando: *hoc enim verum eſt in liberis, qui bonæ ſunt indolis. aliter paternæ cohortationes nihil proſint: ſed vi opus ſit; quam non facile adhiberi ab ijs qui non ſunt reges, vel regum ſimiles, ſupra monuit Ariſtoteles.*

6 *Commodius hac domeſtica norma.*] *leges tamen de inſtituendis pueris, & adoleſcentibus latæ ſint oportet, cum ſæpe parètes non poſsint per ſe cogere filios ad obtemperandum. ſed quoniam hæ leges in vniuerſum conceptæ ſingulis ob ingeniorum diuerſitatem aptari non poſſunt; expedit eas priuata diſciplina temperari. Neque enim forte oporteat Lycurgi morem ſequi, qui pueros in Gymnaſijs publicis inſtitui, ac in publico cibum ſumere voluit. Commodius vero fuerit, ſi legibus in vniuerſum latis, cetera parentum curæ relinquantur. Hic videtur eſſe Ariſtotelis ſenſus.*

7 *Quod in ſe ipſis & morbi, &c.*] *Tyberius eos irridebat, qui poſt trigeſimum annum cura medicorum vterentur; quod proprio experimento, quid in valetudine facto eſſet opus, doceri potuiſſent.*

8 *Tum ſcientia, tum vſu careant.*] *Hi nec ſcientiam reipublicæ gerendæ tradere poſſunt, nec ipſi gerere. hanc impudentiam notauit Marius apud Saluſtium in quibuſdam, qui tum demum rationem reip. adminiſtrandæ quærere cœpiſſent, quando eſſent magiſtratibus præpoſiti: & quo tempore illos magiſtros eſſe decebat, vix fierent diſcipuli.*

FINIS.

Index rerum inſigniorum, quæ in hoc opere continentur.

A

ACromatici libri qui ſint pagina, 59

Actiones, per quas habitus acquiritur, ſunt eiuſdem ſpeciei cum actionibus ab habitu acquiſito manantibus 70.71

Actiones per ſe non arguunt habitum acquiſitum. 76. actionum octo circumſtantiæ. 99

Actiones vitiantur a malo fine: non ſic effectiones. 76.82

Actio vt ab effectione diſtinguatur. 226

Actio ipſa ſibi eſt finis. 222

Actiones quædam ſunt natura malæ: eæq. bonæ nunquam reddi poſſunt. 81

Aequitas & æquum bonum quid. pag. 213

Aequitas num ſemper legem corrigat in mitiorem partem. 215

Aequitas imitatur regulam Leſbiam. 215

Affabilitas quid, & quæ eius extrema. 175

Agamemnon Græcis dormientibus vigilat. 202

Alendi vis maxime in ſomno viget. pag. 56.57

Amabile quid ſit. 291

Amare magis eſt amicitiæ proprium, quam amari. 304. amari melius eſt, quam honore affici. 306

Amans delectatur amati conſpectu. pag. 349

Amicitia quid ſit, 292. eius tres ſpecies 293. eam tuetur beneficiorũ acceptorũ compenſatio 323. compenſatio an ſit facienda iuxta mentem eius, qui beneficium dedit. 324.325

Amicitia qualis inter diſpares eſſe poſſit 302. qualis etiam ſit inter Deum & hominem. 303.304

Amicitia iuuenum & ſenum qualis. 293.294

Amicitia magis ciuitati conducit, quam iuſtitia. 287.291. honeſtiſſima eſt, & digniſſima. 289.290

Amicitia quid ſit ex antiquorum ſententia. 289. An ſit virtus. 290

Amicitia regia, paterna, optimatũ, & coniugalis: popularis & fraterna. 312. & infra. & 315. vbi etiam de ſodalitia.

Amicitia in honeſto fundata eſt vere amicitia, et ſtabilis. 295. et inf.

An perſeueret inter abſentes. 297. 299.

Amicitiæ tribus partibus reſpondẽt tres politiæ. 309. & infra.

Amicitia ob iucundum eſt vera amicitiæ magis ſimilis, quam quæ ab vtili. 300

Ami-

Amicitia omnium maxima eſt ſui ad ſeipſum: eaq. exemplar eſt, & origo ceterarum. 330
Ad amicitiam qui ſint idonei. 298
Amicitia vti ſit æqualitas 299
Ad amicitiam non ſunt apti ſenes, & auſteri. 300. *In quo amicitiæ genere plures poſſint eſſe amici. pag.* 301
In amicitijs querelæ ſunt: & vti ſint vitandæ. 318. *& infra.*
Amicitia æque extenditur ac ius, et ſocietas. 307. 313. *An ſit poſthabẽda coniunctioni ſanguinis.* 308
Amicis an egeat beatus. 342. *& an in aduerſis magis, quam in ſecundis.* 347
in Amicos an ſint multi recipiendi. 345. *celebres amicitiæ inter binos* 346.
Ad amicos prompte in aduerſis eundum & quandoque in ſecundis. 348. *Calamitoſo conſpectus amici moleſtus, & iucundus.* 347
Amicus in calamitate non eſt facilis ad amicum accerſendum. 347
Amicitiæ munus præcipuũ eſt conuictus, & conſuetudo. 349
Amicus an velit amico omnia bona, etiam diuinitatem. 303. *Amico in melius vel deterius immutato, nũ amicitia perſeueret* 329. *& inter amicos inæquales vti ſtatui poſſit æqualitas.* 321
Amicorum omnia communia. 307. 308.
Amor ſui quãdo ſit laudabilis. 339
Animi partes ratione præditæ duæ ſunt. 219. *vtriuſque vero partis virtutes ſunt habitus illi, quibus verum enunciamus.* 220
Animi partes duæ. 56. 59
Ariſtotelis operum diſtuſio 19. *& fuſe* 59. *Ariſtoteles memoria lapſus.* 87. *an libri ad Nicomachum ſint Ariſtotelis.* 1
Arrogans quis. 177. *in quo deprehẽdatur.* 178. *arrogantium duo genera.* ibid.
Ars quid. 4. *imitatur Dei virtutem ibidem. Artium quædã inutiles, quædam execrabiles.* 7
Ars quid ſit, & in quibus verſetur. 226. *quid inter eam & naturam interſit.* 227
Aſotia & aſoti. 144. 150. 151
Auaritia vt iuſtitiæ opponatur, vt liberalitati 154. *Auarus, vide Illiberalis* 378
Audaces differunt a fortibus. 123

B.

Beatitudo varijs nominibus efferur. 14. *de ea plures opiniones* 17. *Quid ea ſit* 26. *Non requirit omnia bona* 27. 29. *requirit vitã perfectam* 30. *An acquiratur induſtria hominis.* 35. *Eſt quid diuinum.* 45
Beatitudo vide felicitas. Inter miſeriam & felicitatem datur ſtatus medius. 41
Beatus an quis dici poſſit, dum viuit. 36. *& infra. Pueri non ſunt beati.* 36
Bellerephontes a matricidio defenſus. 208
in Bello capi an ſit turpe. 132
Beneficium an liberalitate dantis metiendum ſit, an commodo accipientis. 320. *& num vir probus improbo beneficium referre debeat.* 326

Beneficia pro dignitate conferātur, & referantur: ſed non omnibus omnia. 326. 327. immo nec Parenti. 328
Benefici eos, de quibus benemeriti ſunt, magis amare videntur, quā vicißim amentur ab ijs. 336. *idque ob multas cauſſas.* 337
Beneuolentia nec amatio eſt, nec amicitia, ſed ambarum principiū. & beneuoli qui dicantur. 333
Bilis vtraque infeſtat corpus & animum. 272
Bona ſunt triplicis generis. 31. *Bona externa vti pertineant ad beatitudinem.* 33
Bonum omnia appetunt: eſtq. idem cum fine. 3. *&* 5. *in Mathematicis non ineſt bonum.* 5. *ſæpe quæ videntur bona, in hominis perniciem vertuntur.* 9. 11
Bonum aliud honeſtum, aliud vtile, aliud iucundum. 203
Bonus vir, et bonus ciuis an vbique ſint idem. 188
Braſidæ diuini honores habiti. 205
Bruta ex guſtatu, olfactu, viſu non percipiunt voluptatem, niſi ex euentu. 137

C

Caligulæ triumphus ſplendidißimus cur magnificentiæ laude caruerit. 159
Ciuilis facultas architectonica, & reliquarum princeps. 5. *& infra. Qua methodo ſit in ea progrediendum.* 9. *eius pars eſt diſputatio de moribus.* 6. *quæ ſint eius principia, a quibus progreditur.* 17. *eſt nobilior medicina.* 55. *eius finis actio.* 10
Ciuili viro incumbit aliquam habere facultatū animi notitiā. 55. 56
Concordia quid ſit. 335
Conſenſus omnium tollit ſuſpicionem erroris. 287
Conſilijs feſtinatio inimica. 242
Conſtantes & molles vt ſe habeant ad continentes, & incontinentes 269. *& infra.*
Conſuetudinis vis 65. 67. *vt differat ab experimento* 67. *An quid poſſit aſſueſcere contra naturam.* 68
Conſultare quid ſit: quid recta conſultatio. 239. 240. *quid ſit conſultatio.* 107
Conſultatio non inſtituitur de rebus æternis. 103. *nec de neceſſarijs, &c.* 105
Conſultationis, & electionis eadem eſt materia. 106. 107
Continentia laudabilis eſt: quid ea ſit: 252. 254. *Continentia, vt & incontinentia, non in omnibus verſatur:* 258. *Sed in certis voluptatibus.* 262
Continentes & incontinentes vti ſe habeant ad conſtantes & molles 269. *& infra.*
Contemplatio nobilior eſt actione pag. 366
Contractuum alij ſpontanei, alij ab inuito 188. *& qui ab inuito alij clandeſtini alij violenti.* ibid.
Cupiditatū magna diuerſitas. 139. *in cupiditatibus naturalibus non peccatur admodum ſæpe. ibid. in alijs vero frequenter.* 140. *Prauarum cupiditatum varia genera. pag.* 264
Cupiditas eſt deterior quam ira. pag. 267

D.

Democritus patrimonium contempſit. 154
Deus eodem perpetuo delectatur, quia eſt immutabilis. 286. maxime diligit ſapientes. 373
Dei felicitas in contemplatione eſt, non in actione. 371
Deo negatum facta infecta reddere. pag. 222
Diania 219. nihil mouet. 221. ea duplex 221. ab Ariſtotele interdum cum mente confunditur. 223
Diſſimulator opponitur arroganti, vt extremo: veraci, vt medio. 178
Diuitiæ cum vi, & rapina coniunctæ. 20
Dolonis ignauia inexcuſabilis. 91. 98.
Dolor & voluptas corrumpūt iudicium in rebus agendis. 230. & directo perimunt operationem. 361

E.

Ebrij in ebrietate delinquentes duplici pœna plectuntur 100. quando id verum. 114
Educationis vis. 65. 67. a pueris in eam incumbendum 375. Expedit leges ferri de educatione puerorum. 376. magni enim refert ciuitati, ibid.
Electio magis indicat mores hominis, quam actio 100. eadem ſubijcitur ſpontaneo, vt ſpecies generi. ibid.
Electio quid non ſit, quid ſit 100. 102. eſt mediorum, non finis 101 an electionem ſemper antecedat opinio. 103. bonam electionem virtus moralis efficit. 221. 246. Qui non ex electione iuſte agit, non eſt iuſtus 202. vſq. ad 207. Quæ ſine electione fiunt, interdum venia digna ſunt. 207
Encyclij libri qui fuerint. 19. 59. & infra.
Erratum differt ab infortunio. 206
Eudemus Ariſtotelis de animo. 64
Exoterici libri qui ſint. 56. 59
Extrema inter ſe magis opponuntur, quam medium extremis 83. a medio ſæpe magis vnum extremum recedit, quam aliud. 84. An ſit difficilius ab extremo tranſire ad extremum, quā ad mediū. 87

F.

Facetudo quid. 179. eius extrema pag. 180
Fæminarum virtutes. 318
Felicitas an haberi poſſit in hac vita 46. An ſit in corporis voluptatibus 49. an in bonore, vel diuitijs 51. an in reliquis corporis & fortunæ bonis 53. An præter virtutem requirat actionem. 32. 54
Felicitas duplex iuxta duplicem animi partem 55. vti corrumpatur calamitatibus. 37. 38
Felicitas in contemplando poſita maior, quam quæ in agendo. 366
Felicitas non eſt in iocis. 363
Felicitas vide beatitudo.
Ferinum vitium ex multis cauſſis manat. 251. & 265. Eius exēpla 252. 253. 264. Ferina timiditas. pag. 264
Feritas belluarum eſt minus malū vitioſitate: ſed horribilius. 268
Fides non gignit euidentiam: & ſi humana ſit, non gignit certitudinem. 225

Fines multi ſunt, & inter ſe diſcrepant. 3. & 4. finis alter altero nobilior. 4. Quem locum tenent prima principia in ſpeculatiuis, eundem tenet vltimus finis in practicis. 4. Quis ordo in finibus 5. Vltimus finis omnium felicitas. 5. Nobiliſſimi finis conſideratio ad nobiliſſimam ſcientiam ſpectat. 5.
Fortitudo quid ſit, & inter quæ extrema, & in quibus verſetur. 117. 118. *in ea peccatur modum ſuperando, & deſerendo.* 122.
Fortitudinis proprius campus 119. *eius triplex acceptio* 119. *fortitudinis adumbrata quinq. genera* 126. *vti ſit virtutibus alijs præferenda* 117. *Magis cernitur in timoribus depellendis, quam in audacia minuenda.* 133. *eſt res moleſtiæ plena.* ibi.
Fortis vere non eſt, qui ad ignominiam vitandam audet in periculis, vel ad honorem conſequendum 126. *nec qui audet ob vſum & experientiam* 127. *nec qui ob iram.* 128. *nec qui ob ſpem euadendi.* 129.
Fortis non eſt qui ſe ipſum interimit. 124. 125. *An viro forti liceat in bello fugere.* 132. *Honeſtatis gratia agit.* 122. *fortes ſunt etiam iracundi* 131. *ſtomachantur fluctibus mori* 118. 120. *dum vulnera, & mortem ſubeunt, aliquo modo ſentiunt voluptatem, aliquo non ſentiunt.* 134. 135. *Statuæ viris fortibus frequenter poſitæ a Rebuſpub. non ſic a monarchis.* 121.
Fugere in bello num ſit turpe. 132.

G

Galeni contra liberum hominis arbitrium defenſio euertitur. pag. 113.
Gaſtrimargia. 139.
Geometrica proportio in iuſtitia diſtributiua. 192.
Geſualdi admirandum facinus. 98.
Gnome, ſeu ſententia. 243. 244.

H

Habitus non eſt idem contrariorum, 183.
Habitus primorum principiorum. pag. 232.
Hannibal ſe excuſat ab ignoratione legum. 99.
Heroica virtus. 250. & *infra. opponitur feritati, & immanitati.* pag. 251.
Homeri margites. 235.
Homo vt poſſit ſe ipſum a vitioſitate ad bonitatem reducere. 115. *poteſt pro arbitratu ſuo fieri bonus vel malus.* 109. *defenſio liberi hominis arbitrij.* 113. *Non ſemper ijſdem delectatur.* 286. *An ſit nobilior orbibus.* 231. *ſponte hominem peccare pœna irrogatio docet.* 110.
Honor nec res eſt firma, nec eius. cui ex hibetur propria. 18. *Cur, homines honorem appetant.* ibi: *eſt ſummum, quod dari poteſt.* 162. *redditur principibus, quaſi merces laborum.* 202. *non videtur expeti propter ſe ipſum* 304. *Honore afficiendus eſt tantum vir bonus.* 164. *Præclare ſe ge-*

vere, vt honorem conſequantur, corrumpit laudem fortitudinis. 172. In honore occupatur quædam virtus magnanimitati ſimilis 170. & an ſit eiuſdem ſpeciei: 171.

Honores ijs, qui fortiter in bello ceciderunt, habiti. 119. Honorem recuſauit Ageſilaus, cum ſtatuas ſibi poni noluit. 163.

Humilitas an ſit virtus 170.

I.

IDeæ refelluntur 20. Quis verè Platonis fuerit ſenſus de Ideis. pag. 25.

Per ignorantiam multis modis peccatur, 206.

Ignorantia quando faciat inuoluntarium. 93. quotuplex ſit. 99. Inſcientem agere, & per inſcientiam non eſt idem. 99. omnis peccans eſt ignorans. 93.

Illiberalis donando modum deſerit. accipiendo ſuperat. 148. Idem eſt prodigo deterior. ibi. & 153. in multa effunditur vitia 149. Illiberales Tyranni non dicuntur, ſed potius iniqui & impij. 150.

Improbus non eſt ſibi amicus. 330. nec ſecum eſſe vult. 332.

Incontinens vt agat. 57. 259. vti ſit ignorans. 261. Incontinens non eſt, qui vehementiſſimis doloribus cedit. 271. Incontinens multifariam differt ab intemperāte. 272. Non eſt abſolute improbus. 274. Incontinens vt depulſa in ſcientia redeat ad ſcientiam. 260.

Incontinentia vituperabilis eſt. 252. quid ea ſit 254. quid non ſit 256. non verſatur circa voluptates præter naturam. 264. Quæ ſit ſanabilior 277. alia eſt a temeritate, alia ab imbecillitate 271. Non poteſt eſſe ſimul cum prudentia. 276.

Incontinentia iræ minus eſt turpis, quam incontinentia cupiditatum. 267.

Incontinentes eas imitantur ciuitates, quæ bonas leges habent: at ijs non vtuntur. 277.

Inſidijs in bello vti an ſit turpe. pag. 169.

Intemperans eſt incontinente deterior. 270. eſt timido probroſior, quia magis ſponte agit. 142. Peccat circa dolores aliter, quam meticuloſus. 140. Eſt inſanabilis. 273. Intemperantiæ nomen ad puerilia quoque errata traducitur. 143.

Inſtrumentum ne, quo maleficium patratur, an qui patrauit, ſit deterior. 269.

Iniuriam facere vti ſit prius tempore, quam accipere. 218. Quis iniuriam faciat: qui plus dedit, an qui plus accepit. 210. An quis poſſit ſeipſum iniuria afficere. 209. 210. 212. 216. & an volens quis iniuriam, & damnum pati poſſit. 208.

Iniuſtum an quis volens patiatur. 212. quid differat iniuſtum ab iniuſte facto. 204.

Iphicrates libere de ſe loquutus. pag. 168.

Ira minus eſt turpis, quam cupiditas, ob multas rationes 267. & infra. aliquatenus audit rationem. 267. eſt aperta, & ſine dolo.

lo. 268. eſt cum dolore. ibi. magis tranſmittitur ad filios, & nepotes, quam cupiditas. 267. 268. illi repugnare difficillimum cenſuit Heraclitus. 74. Quæ per irã fiunt, nō cenſentur ex induſtria admiſſa. 207.
Iracundia confert ad fortitudinem 128. 131. Iracundi qui. 173. eorum varia genera. ibi.
Inuerecundus habet quid forti ſimile. 118.
Inuoluntarium quid, & quotuplex. 68. 69. 96.
Iudex eſt ius animatum 193. Quis magis peccet, iudex ne, qui inique iudicauit, an qui perſuaſit. pag. 212.
Ius ciuile aliud natura, aliud lege conſtat. 203. ius legitimum varium eſt apud varias gentes. 204. ideo opinione, non natura, conſtare videtur multis. 9. Ius ciuile eſt inter eos, qui vitæ ſocietate iunguntur. 201.
Iuſtum dicitur analogice. 191. commutatiuum ius quid ſit. 192. in iure commutatiuo non attenditur perſona. 195. attenditur in diſtributiuo 190. & infra. hoc in quatuor terminis eſt. 190. 191.
Ius inter dominum & ſeruum, patrem & filium eſt analogum. pag. 202.
Iuſtitia duplex, particularis & vniuerſalis. 182. & infra. particulari duplex ius reſpondet. 187. 188. Inter iuſtitiam vniuerſalem & virtutem quid interſit. pag. 185. 186.
Iuſtitia particularis alia commutatiua, alia diſtributiua. 186. 187. Quid eæ ſint, vti diſtinguantur. 187. 190. vtraque eſt in voluntate. 189.
Iuuenis non eſt commodus auditor huius philoſophiæ. 10. & 12. eſt inconſtans in amicitia. 294.

L

Lex non gignit virtutem, ſed ad eam inuitat. 189. Lex non eſt odio expoſita, nec patet affectui, 376. nec facile ſingularibus omnibus accõmodatur 377. Quæ ſit legis pœnalis ferendæ ratio. 375
Legibus omnia comprehendi non poſſunt. 214. Quæ lege non iubētur, prohibita cenſeri, vti ſit intelligendum. 317
Liberalitas in quibus verſetur: quæ illius extrema, quæ & quales functiones. 144. 145. magis conſiſtit in ſuis largiendis, quam in rectè accipiēdo. 145. Ad perfectam liberalitatem quæ requirantur 154. Ei magis opponitur auaritia, quam prodigalitas. 150
Liberalem virum diuitem eſſe difficile. 146. Liberalis viri quæ ſint propria. ibi. Liberaliores ſunt qui facultates ab alijs acceperunt, quam qui proprio labore compararunt. 146
Loth a ſtupro excuſatus. 114
Ludus ad animi requietem ad mittendus. 346

M

Magnanimitas quid ſit, & in quibus verſetur. 161. 162. quæ eius extrema ibi, & 167. Magnanimo licet

mo licet interdum de ſe glorioſe loqui 268. Magnanimi propria quæ ſint. 162.& infra.
Magnificentia in pecunijs occupatur. 155. in ea decorum ſpectandũ ibi. quæ ſint eius extrema, ibi. & 156.& 158 vti differat a liberalitate. 159. vti ſit in pauperibus ibi.
Magnifica opera quæ dicantur. 156. et quos deceant. 157.& quando. ibi.
Maleficium an ſit ſpecies contractus. 190
Malum ex electione non poſſe illico bonum, etiam ſi velit, fieri, quomodo accipiendum. 111.& 113
Manſuetudo ſeu lenitas quid ſit, & quæ eius extrema. 172
Mathematicus quis eſſe poſsit etiam puer: at non phyſicus. 238
Matres amant liberos, etſi ab ijs ignorentur. 305
Matricidium in Alcmæone inexcuſabile 91
Mediocritas in actionibus corrumpitur ab exceſſu, & defectu. 70
Medium inuenire difficile, cui tamen incommodo ſubueniri poteſt. 85. eius non datur medium, neque parum, ſicut neque extremi vllũ eſt medium. 80. Medium aliud eſt rei in ſe, aliud ad nos refertur. 79
Mendacium turpe. 177
Mentem eſſe vnumquēq. noſtrum vt ſit accipiendum. 331
Mens vt ſit homine præſtantior. 368. 369. non conſiſtit in principatu, & potentia. 364
Meretrices an teneantur acceptum ab adeuntibus pretium reſtituere. 188
Metus vti excuſet a culpa. 98
Milonis Crotoniatæ interitus. 11. vires immenſæ. 81.& 82
Mors aliquando magis oppetenda, quam peccandum 91. amici & patria cauſſa interdum mors bone ſte obitur. 340. mors a fluctibus illata ignobilis eſt, & magno dolori coniuncta. 118. 120
Mortui an curent quæ apud nos geruntur 41. Et quid hac de re Plato, & Ariſtot. ſenſerint. 43
Motus, ad quem nihil confert mobile, eſt violentus. 92. Motus in parte temporis eſt imperfectus: in toto vero tempore perficitur. 357

N

Naturæ præcepta non ligant mentem. 205
Numa Pompilius quo conſilio Quiritum animos ad ſuperſtitionem traduxerit. 351
Nummus ad quid inuentus 197. Non eſt certiſsima rerum menſura. 198

O

Opinio cur inter habitus verum enunciantes non numeretur. pag. 225

P

Pater magis filium amat, quam patrem filius: idque ob multas rationes. 315. patri ne, an ei, cui pecuniam debemus, ſit in neceſsitate de pecunia ſubueniendum. 326. Patrem abdicare filio non licet: filius eſt ad patrem abdican-

dum

dum facilis. 328
Paupertas vti conferat ad virtutẽ. 34. *Paupertatem timere turpe eſt.* 118. 120
Pecuniæ nomine quæ veniant. 184. 150.
Pericles bonus conſultator. 242. *Idẽ glorioſe de ſe loquutus.* 169
Peritus vt differat a ſciente. 11. & 17.
Permutationem indigentia inuenit 197. *Inæqualitas in permutando vt ad æqualitatem reſtituatur.* pag. 194
Pertinaces & continentes in aliquibus conueniunt, in alijs diſcrepant. 274
Perſpicacitas quid, et in quibus. 242
Phalaridis Venerea immanitas. 266.
Philippi iocus de claui. 183
Philoſophiam antiqui occultarunt. pag. 62
Philoctetes, & Cercyon dolore victi. 271
Pilæ ludum Anagallis inuenit. 160
Primigeniorum iura legitima. 314
Principes caute monendi 176. *eorũ exempla multum valent in vulgus* 17. *Delectantur iocis, & hominibus facetis.* 364
Prodigus quis. 147. *vti peccet.* 148. *ſtultus apparet* 148. 153. *Diogenis acutum dictum in prodigum.* 152. *tandem prodigalitas tranſit in illiberalitatem.* 148. 149. 154. *non dicitur de* Regibus. 147. 152
Protagoræ inſignis verſutia. 324
Prudentia eſt propria virtus principum 247. *Quid ea ſit, & in quibus verſetur.* 228. *& infra. Vti ſe habeat ad ciuilem facultatem.* 326. *& infra. Vti dirigat ad finẽ.* 247. *ſine prudentia virtutes morum ſunt imperfectæ.* 248. *Prudentia cur obliuione non deleatur.* 231. *Eius vtilitas.* 245. *opponitur menti.* 238
Pugna num ſilentio, an clamore ſit ineunda. 124
Pyrrhi Epirotæ peruerſa de felicitate ſententia. 365

R

R*Ecta ratio quid ſit.* 219
Ratio ad optima hortatur, ſed repugnat appetitus. 57. Rationem *patris habemus, non vt rerum mathematicarum.* 57
Reipub. adminiſtrandæ *formæ tres.* 309. *An ſit abſtinendum a repub.* 238

S

S*Agacitas quid.* 240
Sapientia eſt flos ſcientiarum, eas cum habitu primorum principiorum complectens. 369. *Sapientia quid ſit* 233. *vna & ſimpliciſſima: ideoque melior quam prudentia* 234. *vti differat a prudentia ibi. &* 235. 236. 237. *An ſit melior prudentia.* 373. *eius vtilitas.* pag. 245
Scientia gignitur ab vniuerſali propoſitione 261. *Quid ſit: de quibus.* pag. 224
Scurrilitas opponitur facetudini. 180.
Senibus a Spartiatis honos habitus. pag. 328
Siculorum in ædificando magnificentia non iure reprehenſa. 157
Simonidis dictum illiberale. 148

Solertia

Solertia quid. 246. 248. ſecum patitur incontinentiam. 276
Solonis de beatitudine hominis ſententia. 36
Somnus efficit, vt dimidia vitæ parte inter beatos, & miſeros nil interſit. 56
Soſtratus pancratiſtes. 100
Spontaneum quid. 89. eius cognitio vtilis iuris peritis. 97. Qui in moribus ſponte peccat, deterior eſt, quam qui inuitus. contra in artibus. 250
Summum bonum. vide beatitudo.
Syneſis, quid ſit, & in quibus. 242
Syndereſis quid. 247

T.

TAlio quid. 195. In talione non eſt ius. 196
Temperans, & intemperans quis. 269. 270. Temperans aliter ſe habet circa dolores, ac vir fortis. 140
Temperantia quid: & quæ ei ſubiecta materia. 136. Eius extrema. 140. verſatur in voluptatibus guſtatus & contactus. 137
Terribile multiplex. non tamen omne vir fortis pertineſcet, nec omne contemnet. 121. & infra. terrores bellici plerumque inanes. 130. panici terrores. ibi.
Timor infamiæ & aliorum quorundam laudabilis eſt. 118. de timore multa, vbi de fortitudine.

V.

VEneris baltheus dolis plenus. pag. 268
Veracitas, & verax. 177
Verecundia non eſt virtus. 181. eſt tamen ex euentu bona. ibi. Verecundia vnde naſcitur. ibi.
Veſpaſiani magnificentia. 159
Virtutes morales manant a toto coniuncto: naturales vero a corpore. 370
Virtus rationem tuetur: vitium perimit. 373. eſt per ſe iucunda, bona, pulchra 32. 33. eſt honore melior. 18. ea abuti non poſſumus: arte poſſumus. 82. conſiſtit in mediocritate, quam recta ratio præſcribit 70. Eius medium quod nã ſit. 80. 82. Non eſt affectio, nec facultas, ſed habitus. 78. duplex eſt, iuxta duplicem animi partem. pag. 58
Virtutes non ſunt a natura. 64. ſed acquirantur. ibi. & 66. Imperfectæ virtutes, & imperfecta vitia ſunt a natura. 67. Quæ virtutes inſint in ratione. 58
Virtus moralis quid ſit. 80. An per vnum actum gigni poſſit. 69. Virtutes morum quæ dicantur. 58.
Virtutem morum eſſe acquiſitam, voluptas, & dolor arguunt. 71. 72. omnis virtus moralis in doloribus, & voluptatibus vertitur. pag. 71. 75
Virtus humana quæ dicatur. 55.
Virtuti abſolutæ non facile par vllus bonus reperitur. 163. Ad virtutes an ad vitia ſit magis homo procliuis. 68
Viſa, quæ & phantaſmata, non ſunt in hominis poteſtate. 117
Vis allata vt faciat inuoluntarium. 69. 96. Eos qui a vi ſuperantur ſæpe venia, vel miſeratio ſequitur. 92

Vita actiua magis eget bonis externis, quam contemplatiua. 371. *Vitæ deſiderio tenentur omnes, præſertim beati.* 331. 344
Vitioſitas deprauat iudicium. 247. *ob vitia corporis quando damnemur.* 111. 116
Vniuerſalia tenere ſine vſu ſingularium, parum rebus agendis conducit. 377
Voluntas per ſe fertur in bonum: huius autem vel illius volūtas in id quod apparet bonum. 108. *Voluntas vim non patitur.* 96. *de voluntate multa.* 101. 193
Voluptas ſtudioſe vitanda, etſi pulchra videatur. 86. *eam omnia appetunt.* 352. *Eam non eſſe bonum multis ſuadetur* 353. & *infra.* 277.
Voluptas non eſt generatio. 280. *nec motus, nec expletio* 254. 357. *Voluptatem eſſe ſummum bonum* 281. & *infra.*
Voluptatis cauſſam vti Eudoxus egerit 45. 351. *quid ſit voluptas* 358. *vti perficiat operationem* 359. *Eius differentiæ* 368. *Illi repugnare difficillimum.* 74. *dolorem pellit etiam ſibi directo non aduerſantem.* 285
Voluptas propria auget operationē: aliena impedit. 363. *Cur voluptate nemo continenter afficiatur.* 359. *Vti percipiatur tota ſimul.* 358.
Voluptates inter ſe ſpecie differunt. 360. *voluptates corporis non ſunt omnes malæ: nec omnes bonæ.* 284 & *infra multa de voluptate.*
Voluptas num ſit ob vitam, an vita ob voluptatem. 360. *Cuique animali ſua eſt voluptas propria.* 362. *Cur in homine magna reperiatur voluptatum varietas.* 362. 363. *Voluptates non ſunt, quæ improbis videntur, ſed quæ probis.* 363
Vſu magis, quam ſcientia nituntur qui Rempub. gerunt. 378
Vſus rerum magiſter efficaciſſimus vti acquiratur. 236
Vtilia quæ dicantur. 151
Vulgus non mouetur verbis. 374

F I N I S.

ERRATI CORRECTIO.

Pag. 275. *lin.* 3. *delendum* adduci. & *reponendum* deduci.
Cetera, quæ pauciſsima ſunt, atque leuis, lector per ſe facile emendabit.

REGESTVM

*ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Ab Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc.

Omnes ſunt duerniones.



ROMAE, Apud Aloyſium Zannettum. M. DC.

SVPERIORVM PERMISSV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE